EX MUNIFICENTIA
FERDINANDI III. M. E. D.
DIE 3. IUNII 1791.

VI

Fenelon

1744

Digitized by Google

9. 6. 79.

6

Digitized by Google

Digitized by Google



Per Virtus quod planat, iter Sapientia ducit
hac Sine non pandit templa, Sed arcet honor.

[F]ranz Martin Kuen, delin. Tob. Lobeck sculp. Aug. V.

REVERENDISSIMI AC ILLUSTRISSIMI

DOMINI DOMINI

FRANCISCI FENELONII

ARCHI-EPISCOPI CAMERACENSIS,

ET QUONDAM AB HUMANIORIBUS

LITTERIS SERENISSIMI DUCIS

BURGUNDICI

TELEMACHUS

GALLICE CONSCRIPTUS,

OB

AMOENISSIMAM TUM TRADENDÆ,

TUM ADDISCENDÆ CHRISTIANÆ

POLITICES METHODUM

IN OMNES FERE EUROPÆ LINGUAS

TRANSFUSUS.

Nunc

Nitidiore Latinitate et Indice ſatis copioſo donatus

à

R.D.P. GREGORIO TRAUTWEIN

Can. Reg. ad Exemptas Inſulas Wengenſes

Collegii S. Arch-Angeli Michaëlis Ulmæ

Profeſſo & Capitulari.

CUM FACULTATE SUPERIORUM.

FRANCOFURTI,

Sumptibus SAMUELIS WOHLERI,

Bibliopolæ Ulmenſis, M DCC XLIV.

Google

DEDICATIO.

REVERENDISSIMO, PERILLUSTRI
AC
AMPLISSIMO
DOMINO DOMINO

JOSEPHO

Collegii S. Arch - Angeli Michaëlis ad Exemptas Inſulas Wengenſes Ulmæ

PRÆLATO

DIGNISSIMO
SACRÆ CÆSAREÆ MAJESTATIS
CONSILIARIO AC SACELLANO
PERPETUO
DOMINO MEO
PERQUAM GRATIOSO.

REVERENDISSIME, PERILLUSTRIS AC AMPLISSIME

DOMINE PRÆLATE,

DOMINE PERQUAM GRATIOSE.

Conſecrabam ingenii mei quantumlibet exigui primitias, Paraphraſin elegiacam Hymnorum Eccleſiaſticorum, DEO, Deiparæ, Divis. Tam æquum id erat, quam uod æquiſſimum. Ut enim omittam, Deo iquando Primitias debitas fuiſſe præce-ô, poſtmodum & Deiparæ cæteriſque

Divis ſacras extitiſſe, exiſteréque decentiâ & conſiliô; ut taceam ſuperſtitioſæ Antiquitati nihil fuiſſe, nec Antiquitate illa poſterioribus ſæculis quidquam debere eſſe antiquius, atque à Iove (Deo Opt. Max.) ducere principium: ipſa profectò materia, quam laborum meorum initiis delegeram, eiusmodi fuit, quæ non monere, ſed imperare videbatur, ut eadem non niſi tantis Præſidibus inſcriberem. Quamquam enim nemini perinde atque mihi compertum erat, quàm illa eſſent tenuia & propè nauci: adeò tamen iſtud non movit, quò minùs, quod auſpicabar iuvante Cœlo, Eidem addicerem & conſecrarem ex aſſe, ut etiam impelleret. Occurrebat ſcilicet illa divi Nazianzeni ſententia Orat. 19. in hæc aſſerentis verba: quòd ſuper altare (Templi Salomonii) neque ſecuris aſcendiſſet, neque viſa aut audita aſcia eſſet, ſignificabatur, nativum & ſimplex ac fuci expers eſſe debere, quidquid Deo conſecratur.

Poſtquam igitur ſummo officio, quod prætermittere tam non fuiſſet æquum, quàm non pium, quoquo modo eſt à me ſatisfactum: ad præſtandum alterum omni cogitatione mihi putabam contendendum. Neque

que illud aliud eſt, quàm quod tibi, Reverendiſſime ac Ampliſſime Domine, debeo. Cui enim poſt Deum Cœlitêſque me proximiori officio obſtringit ſeu iurata invocatis Divis Obedientia, ſeu verè paterna tuorum & inter tuos meî præprimis Cura, ſeu tot in me indigniſſimum collatæ, cumulatæ, inquam, Gratiæ, ſeu mitiſſimus tuus in nos omnes & Tutoris & Mecœnatis & Parentis & Fratris (nunquam Domini, ex dignitate qui es) animus?

Ad iſtud ergo officium pariter pro viribus explendum eo ex tempore omnem cogitationem referebam. Quæſivi materiam Ampliſſimis tuis auſpiciis non indignam. Sanctam exigebat tua in res Divinas propenſio, tua in Deum Deíque Amicos pietas, tuum in cultu illorum promovendo ſtudium, tua pro decore Domus Dei è Davidis zelo incenſa induſtria. Aliam tempus non magìs obtulit, quàm obtruſit, ita profanam, ut minùs ſit receſſurus à ſacris, qui magìs ad ſcopum illius acceſſerit. Telemachi Ulyſſis filii Peregrinatio eſt, eventu fatorum mirabilis. Scripta fuit à Reverendiſſimo ac Illuſtriſſimo Fenelonio, Principis Burgundici, in ſpem regni Gallici geniti, olim Inſtructo-

ſtructore, poſtea Archi-Epiſcopo Cameracenſi, ea ubertate ingenii, ea eruditione diſciplinæ Politicæ, ea ſoliditate præceptionum ad mores eius, qui ſit imperaturus, pertinentium, ut in admiratione & amoribus totius Europæ, meliores litteras & imperandi inſtituta ambientis, ad hoc tempus extiterit. Nolim ego prolixior eſſe in laudando hoc Opere, cuius ea ſumma laus eſt, quòd ipſum quidem in nullum unquam vituperatorem, ſola Clariſſimi Auctoris intentio in criminationem inciderit. Satis mihi erit paucis exponere, Opus iſtud, ùt eſt à me latino idiomate affectum, tuis, Reverendiſſime àc Ampliſſime Domine, honoribus dedicare non modò, ùt antè dixi, decere ex officio, ſed congruere etiam ex materia.

Profectò ſi quis vel obiter apud animum ſuum voluerit repetere, Te aliquando in tradendis latinæ linguæ aliarúmque humaniorum diſciplinarum præceptionibus ipſos ſeptem & viginti annos tam incredibili moleſtia, quàm ferrea patientia conſtantiáque fuiſſe verſatum: tam is non malè iudicabit congruere, Opus in Latinam linguam à me traductum dicare Tibi, ut hanc volunta-

tem

tem etiam laudandam exiſtimaverit. At alia ſunt, ex quibus ſtatuebam congruenter me agere.

Libeat materiam præclariſſimi huius Operis attingere vel levi digito. Fiet iſtud agenti palàm, Telemachum relicta inter procorum inſidias moleſtiáſque Penelope quærendi Ulyſſis genitoris cauſâ ſapientiſſimo Mentore (Minerva perſonata) duce diverſa ſuſcepiſſe, & diſcriminis plena itinera. Ecce Ulyſſem, Penelopen, Mentorem & Telemachum totius ferme Operis caput & idoneæ voluntatis meæ argumentum! Ulyſſem certè vix quiſquam ignorat viginti omnino annos abfuiſſe aut potiùs exulâſſe domo, terras mariáque obiiſſe infinitis erroribus. Atqui longè meliorem Ulyſſem proximè elapſo ſæculo ſuperius aſpexit in Viro Reverendiſſimo, Nobili Ulmenſium ſanguine procreato, & Collegii noſtri Præpoſito Ambroſio Kaut; quippe quem triſte temporis illius ingenium Domo, cui præſidebat legitima poteſtate, eiectum alienas terras non minus viginti annis exulem obire coëgit: donec fidiſſimo optimóque Eumæo Carolo V. Imperatore iubente Ulyſſem hunc ſuum paſtoris verè

boni & verè fidelis habitu afflicta Penelope, Collegium, inquam, noſtrum, recepit, virtute, non ſorte tanti Herois transfuſa in ſubſtitutos ſucceſſores.

Mentorem porrò quem dixerim, niſi Te, Reverendiſſime ac Ampliſſime Domine? Recuſabit tua demiſſio tantum nomen non minùs ac Mitram ab animo tuo recuſari olim declarabant recèns Electo Tibi expreſſæ lacrymæ. At nunquam leviùs peccamus, quàm cùm laudandô graves modeſtiæ exiſtimus. Eſt enim hæc ipſa pars magna modeſtiæ modeſtè & non graviter ferre, quas laudes de illa exemplo poſteritas accipit. Mentorem ergo Te facio; imò Tu Ipſe Te. Quid enim? Erudivit ille pueritiam & Iuventutem Telemachi; Tu (quod ſuprà laudavi) illius, Cui cum poteſtate nunc præes, Collegii. Conformabat ille optimis præceptis Alumni ſui animum, quibus ſe Heroum albo & optimorum Regum inſereret; Tu illis placitis imbuebas diſcipulos, quibus eluctati ſunt in Aulas Principum, in Cathedras docentium, in apicem Regalis Sacerdotii, in faſtigia Mitratæ dignitatis. Ducebat ille Ulyſſis filium longa difficillimáque itinera: adiuvabat in laboribus: conſolabatur in ærumnis: comitabatur,

imò

imò plerumque antecedebat in periculis: confirmabat afflictum: erigebat deiectum: inſtaurabat corpore animóque fractum. Sed & Tu, Reverendiſſime ac Ampliſſime Domine, melioris Ulyſſis filios, nos, inquam, illius per viginti annos conſtantiſſimi Exulis Ambroſii poſteros ducis per iter Religioſæ Perfectionis, quo quidem aliud nec longius, quia eundem terminum habet cum vita, nec difficilius tum ob fragilitatem incedentium, tum ob malignas vires illud infeſtantium. Tu nos adiuvas in laboribus, quos ſeu Chorus Canonicis imperat, ſeu Apoſtolici Ordinis ſectatoribus animarum cura demandat, ſeu rei familiaris adminiſtratio cenſu Chriſti victitantibus imponit. Tu conſolaris in ærumnis, dum aliàs peramanter inviſis tentatos ſiniſtra valetudine, aliàs agitatos adverſîs benignè ſuſcipis, aliàs ſubſidia ad quaſcunque neceſſitates indigentibus diligenter, quin anxiè properas. Tu comitaris, imò tu ita antecedis in periculis, ut ea ferè unus adeòque excipias, ut plerumque, ad quos eadem diſcrimina pertinent, diſcrimen non adeſſe, ſed tantùm cognoſcant adfuiſſe. Unde meritò dicere cum Apoſtolo 2. Corinth. 11. poſſes: *In*

peri-

periculis ſæpe : - in labore & ærumna : - quis infirmatur & ego non infirmor? Docebat porro Mentor Telemachum : diligebat ùt alumnum : amabat ùt filium. Et Tu nos doces verbo; doces exemplo, & iſto quidem tantùm non unicè. Tam gratus utinam fuerim demiſſioni Tuæ, quàm innoxius exempla illa memorandô, quæ, ùt dignitas Dominum, charitas Patrem, demiſſio quaſi unum ex nobis; ſic illa Te Magiſtrum ſalutis noſtræ conſtituunt! Quàm non pauca allegarem ſpecimina virtutum, quæ Te vitâ longè amplius, quam dignitate removerunt à vulgo. At dabo iſtud Modeſtiæ Tuæ, ut quantum alii gaudent ornamenta ſua luci exponi publicæ, Tu tua mandes latebris & ſolitudini.

Sunt tamen omnino duo, quæ, quàm in Mentore illo fuerunt notabilia, tam in Te præteriri non debent. Et Mentor quidem cùm emineret in Ulyſſis Regia, formandis Regii hæredis moribus præfectus, adeò tamen ab omni luxu abhorruit, ut illuſtriora Architectonicæ ornamenta templis duntaxat Deorum cenſeret permittenda. Veriſſima ſpecies Tui, Reverendiſſime

me ac Ampliſſime Domine, ingenii, quod, quàm in aliis non patitur apparatum decúſque luculentius, tam in ſacris id appetit. Inde fuit magnanima illa contentio, qua anno ſuperiore es aggreſſus templo noſtro triſte & bene trium ſæculorum ſenium formámque hodiernis temporibus inviſam detrahere, modisque optimis emendare; magnanima, inquam, contentio, quia non ſuſcepta clauſo, ſed aperto Iani Teutonici templo, ubi propinqui Mavortis impetus, ſubditorum anguſtiæ, horror non longinquus diſcriminum tanto operi ſe audent inferre, Tuisque auribus obſtrepere. Mentor denique non ſemel legitur peregrinanti Telemacho Matris ſuæ inter domeſticas anguſtias dolentis, Penelopes, vehemens deſiderium admoviſſe. Et cuius Tu Matris deſiderium cultúmque nobis admovere coniteris? Matris nimirum dolentis ſeu Doloroſæ; Cuius Doloribus ſanctiſſimis maiori cum fructu recolendis, annus eſt, cùm decreveras, ut per Quadrageſimam ſexta quaque Feria locò Pſalmi 50. Planctus B. Vnis ſeu *Stabat Mater* ſolenni cantu frequentetur.

Habes,

Habes, Reverendiſſime aç Ampliſſime Domine, cauſas, ex quibus iudicabam & æquum eſſe ex officio & congruere hoc Opus novo idiomate dedicare Tibi. Quanquam autem quatuor ferme annos hoc me officio conabar expedire: citius tamen per tempus non licuit. At *Dummodo morata* (Dedicatio) *rectè veniat, dotata eſt ſatis.* Plaut. in Aulul. Rectè autem veniet, ſi, quem negas nemini, benigno eam obtutu præſidioque non dedignabere. Etſi denique *Non quacunque manu victima caſa litat*: Martial. lib. 10. litabit certè iſta, quippe profecta manu, obſervantiæ & imperiis Tuis devota Sacramento, totaque voluntate, qua, quantum ſpiro, ſpirabóque, perennaturus ſum

Tuus,

REVERENDISSIME, PERILLUSTRIS AC AMPLISSIME DOMINE

Servus & Filius obedientiſſimus
P. Gregor. Trautwein.

Ad Lectorem.

Panegyricum quàm præfationem huic maluiſſem operi addere. Auctorem ex titulo patet habere Franciſcum Fenelonium. Is eſt, quem invitabant Apertæ, ut cum *a* Zenodoto loquar, Muſarum Ianuæ; dignus omnino, qui humanioribus litteris hæredem imbueret regni etiam Gallici. Atque hoc quidem præſtitit maiore ingenio dicam, an ſuaviore furto? Poëta iudice ſemper doctorem exoſa iuventus. Mavult doceri ab alio, quàm cui traditur docenda. Non fugiebat id, quem modò nominabam potiùs, quàm laudabam, Virum. Ergo ſuavi iucundóque invento egit, ut ſibi videretur non ab ipſo, ſed ab alio, imò & in alio inſtrui regalis diſcipulus. Mentorem, à quo; Telemachum, in quo inſtrueretur, ſubſtituit. Erat Telemachus Ulyſſis regis Ithacæ ex Penelope filius: Mentor habebatur ex Ulyſſi fidiſſimis. Illum ergo, patre ex Phrygia cum regibus ceteris non reverſo, *b* Homero permittente fingit ex Ithaca in terras exteras ad conquirendum

a apud Eraſm. in Adag. *b* in Odyſſ.

eum Mentore duce & comite migrâſſe, mira ſortis varietate iactatum. Peccaverat hæres regni Gallici? repræſentabatur peccanti peccans eadem & emendans vel dolens Telemachus. Tradendum erat eidem præceptum vel virtutis vel inſtituti regii? occinebat id Mentor Fenelonio aut interprete aut internuncio. Neque ſpernere tyro poterat, quæ à Mentore intellexerat dici. Minervam ſeu Sapientiam perſuaſum ipſi erat magiſtro tradente, in Mentoris perſona latere.

Et verò hæc illuſtriſſimi Magiſtri ſolertia frequentiſſimæ Europæ tam utilis tamque iucunda eſt viſa, ut omnino ſit, quæ magiſter poëtarum a) miſcentibus utile dulci promittit, conſecuta. Videas quipe paſſim mandata ſeu inciſa Æri, quæ illa mandavit chartis. Videas hunc librum tranſiiſſe Mare; veniſſe ad Anglos & Batavos, ad Hiſpanos & Italos; eſſe in admiratione & deliciis Germaniæ.

At enim non una fingendi ſolertia, non una præceptorum tam illuſtrem auctorem fecit utilitas. Addidit plurimum nitor ſtyli, dicendi non magis ornamenta, quàm illecebræ. Fateor & me iſtis etſi non ſine diſcrimine ita affectum, ut, cùm non ignorare cœpiſſem, ea in alias atque alias transfuſa linguas in omnium ferè manibus verſari, honeſtè, nec ſine ſocio dolerem, nondum, quod meminerim, in Latium eadem typîs tranſiiſſe. Ita paullatim accenſa voluntas audendi, quod à calamo peritiore cupiebam & decebat fieri.

Et ecce huius voluntatis forſan temerariæ opus, latina & ſoluta oratione Telemachum! In quo nec omnia omnibus credo placitura nec nihil. Dictio-

a Horat. in art. Poët.

Dictiones (præter ſuperſtitionem) ſectabar aureæ ætatis; phraſin plerumque. Stylum cui ex quatuor latinitatis ætatibus accommodare ſtuduerim, tu, Lector, benevolè & eruditè iudica. Sobriam criſin non recuſo. Nimiam putere aiunt & inſanire. Aſper eſt Salluſtius (ita cum Viro ex S. J. mihi amiciſſimo & eruditiſſimo viſum ſentire) gravis Cæſar, ſimplex Cornelius, lacteus Livius; brevis Velleius, præceps Florus, incitatus & ſalebroſus Tacitus; nitidus Curtius, floridiſſimus Barclaius. Omnes ſuo loco & tempore digni, quos imiteris: niſi quis velit ex purpurati Richelii ſinu Barclaium eripere, atque ex nimis atroci & inter Werenfelſii Meteora referenda Gottſchedi [a] ſententia ad moriotrophium amandare. In quo quidem ſatis obſcuro loco hunc auctorem dulcioris narrationis ante hoc tempus neminem litteratum recordor exiſtimâſſe inveniendum.

Tu itaque, Lector benevole, ad quem ex ſupra citatis auctoribus vel prope acceſſerim vel proximè, ſtatue. Aſper ſum? dic Salluſtianum. Gravis ſum? Cæſareanum voca. Brevem Velleii, nitidum Curtii, floridum Barclaii aſſeclam nomina, vel cum Gottſchedo (mihi ceteroquin verè & magni, ſed cum delectu æſtimato) argue. Nullum ſi aut ſequor aut aſſequor, humanum appella. Nomen, quod ambio, dabis, Fenelonianum ſi dixeris, qui ſit interpretis officium, quantum decebat fabulam delectandi & docendi cauſa concinnatam, ſecutus.

Equidem nudis verbis non adhæſi religioſius. Errant, qui ex verborum ſitu, non mente ſcriptoris verſam ſententiam æſtimant. Aliud doctiſſimus

[a] Poes. Crit. c. 11.

Buchnerus *a* exigit, dum iubet ita verti ſententiam, ut non in alia, ac in quam transfertur, lingua ſcripta eſſe propemodum videatur. Quid? quòd Venuſinus *b* vetat fidum interpretem verbum verbo reddere; ut mirari debeam, cur Germani Parnaſſi decus illuſtriſſimum Beniam. Neukirchius *c* doleat copiam tum neceſſitate metri tum natura linguæ vernaculæ ſibi præreptam Fenelonii verbis ſingulis inhærendi, niſi ægre ipſi fuerit ob pretium delicatiſſimi Gallicîſmi eâdem privari.

Ego certè per licentias privilegiáque interpretum audacter aliàs libitu meo vagabar, aliàs ſtyli & Latinitatis ingenio. Multabam nonnulla poëtico faſtu, ſalva rerum integritate, ut ſoluta oratio luxuriaretur minùs. Nonnullis per Synecdochen commodiora ſubſtitui. Ita pag. 3. Cedrum miraberis ſuccreviſſe Quercui; quoniam in proſa exiſtimabam ſimilitudinem præſtantis fœminæ & Deæ à cedro, quam quercu aptiùs duci.

At quid ſi, dum in alio faſtum coërcui, ipſa mea oratio agatur tumoris & quæſitæ venuſtatis rea? Non dubito fore ſubinde de utroque ſuſpectam. Sed eſt certum, quid reſpondeam. Auctorem habebam præ manibus, cui ineſt vis, copia, acumen troporum ſermonis Gallici, quantum adæquari nullâ credebatur linguâ poſſe. Eò igitur erat incumbendum, ut hæc quàm plurimis eximeretur opinio;

> Ne *d* virtute foret, clarisve potentius armis,
> Quàm linguâ, Latium.

Unde

a Orat. 2. de Exerc. Styli. *b* In art. poët. *c* In præf. Telemach. germ. carm. *d* Horat. in arte.

Unde multum abeſt, ut parcior debuerim adſpergendis linguæ Latinæ deliciis eſſe. Quin largiorem eius rei me credebam fore ſine piaculo, quoniam multa niſi per tropum efferre Latini non poſſunt. Et quanquam ex ſæpe citati Poëtæ conſilio quædam ambitioſa ornamenta recideram, putà, quæ ex aſſe erant poëtica: tropos tamen recidere nec volui, quoniam exempla eorum nec in hiſtoricis ætatis aureæ deſiderabam; nec debui, quoniam interpreti convenit, quàm fas eſt, æquis paſſibus ſequi.

Iam præfationi ſtatueram finem: cùm ecce! Telemachus mihi offertur latino & heroico carmine expreſſus, impreſſúsque. Alia omnia expectaveram, movebarque initio. Involabam in opus ambabus manibus. Cupido erat noſcendi auctoris. Celeberrimum Anonymum eſſe inveni. Suſpicabar propterea plágiarium eſſe, Heraultii poëtæ Gallici venâ fraudulenter ditatum; Heraultium enim priores quinque libros carmine latino iam anno 1729. abſoluiſſe ex Faramondo *a* didiceram. Volvo itaque, revolvo: libo prima, media, finem, cetera. Legebam tetraſtichon, quod aditum pandit vaſto operi:

Flebat adhuc Superum celſa de ſtirpe Calypſo,
Se malè rellicta, diſceſſum inſignis Ulyſſis:
Cura hæc prima, Deam ſe, non mortaléqueNumen,
Æternumque atrox ſecum per pectora vulnus.

 Facilè

a præfat. ad Telemach. Germ.

Facilè tum auctorem iſtum plagii ſuſpicione abſolvi. Deſiderabatur à me, quam Juvencius *a* cum Gallis ſuis in Epopœia requirit, perſpicuitas, ſuavitas, accurata dictio, numerus poëticus. Pergebam tamen, memor, equos etiam optimos ſubinde initio peccare inceſſûs:

Triſtia ſqualebant vocis conclavia blandæ
Cantibus aſſuetis viduata, ſilentia Nymphis
Imperitabat heræ mæror: Diva ipſa ſtupebat,
Soláque formoſos, æterno & vere virentes
Intrabat campos: oculis intrabat at udis.

At ego tum in eam ingrediebar cogitationem, ob tumorem aut affectatum decus nunquam fore, ut poëtam hunc ad moriotrophium clariſſimus Gottſchedus amandet. Et abſit, ut amandem ego. Rem magnam vir præſtitit, quod totum Telemachum pertexuit carmine; maiorem, quòd latino. Imò tum ob ſparſam paſſim copiam poëticæ & Virgilianæ dictionis, tum ob vim ſatis acrem cogitandi rem mihi videbatur præſtare maximam potuiſſe; ut & ſuavitas, & accurata dictio, & numerus, ceteráque heroicam translationem eius, ut illam Neukirchii, dignam planè & æqualem exemplari ſuo reddidiſſent. Verùm peracto utcunque etiam labore dulcis quies. Et quotumcunque ſcriptum eſt, quod ſuadente Horatio emendandi ergo nonum prematur in annum? Sed nec ego meum tam diu preſſi. Multa emendaturus, id ſi vacâſſet, eram. At neque tunc ſine errore prodiiſſet tum typographi, tum maximè auctoris. Impoſſibile Crates dicebat eſſe, quemquam inveniri, qui nunquam

a In Inſtitut. poet.

quam lapſus ſit: ſed veluti in malo punico granum quoque aliquod putreſcere *a*. Quod quidem vitium cùm non obſtet, quò minùs mala punica verſemus manu: utique nec meum hoc opus tua, benevole Lector, dedignabitur manus. Lege itaque amanter: iudica ſobriè: fave, quantum meretur, & vale.

a Aert. in Polyanth. Langii.

ARGUMENTA XXIV. LIBRORUM

TELEMACHI.

LIB. . I.

TElemachi & Mentoris ſeu Minervæ eiectio in Calypſûs inſulam. Benignè excepti. Iuvenis propemodum amatus & Mentor Deæ ſuſpectus. Suſcepta à Telemacho quærendi Ulyſſis genitoris ſui ergò itinera, tempeſtas ad Siciliam, captivitas in eo regno & periculum cadendi pro victima ad Anchiſæ tumulum. Barbarorum irruptio & à Telemacho ac Mentore contra eos Aceſtæ navata opera. Aceſtæ cura ambos reducendi in patriam.

Lib. II.

Argumentum.

Telemachus captivus in Ægyptum abductus. Deſcriptio Ægypti & laus Regis Seſoſtris. Telemachus ſeparatus à Mentore. Addictus paſcuis. Inſtructus à Termoſiri ſacerdote Apollinis. Celebratus famâ. Spes libertatis facta à Seſoſtre, extincta rurſus morte regis. Novum diſcrimen & cuſtodia Telemachi. Interitus Bocchoridis regis Ægypti.

Lib. III.

Argumentum.

Liberatus Telemachus. A Narbale reductus Tyrum. Mores Pygmalionis Regis Tyri. Mores & leges Tyriorum. Sub ipſum fere in Cyprum abitum proditus. Dolo Aſtarbææ Regiæ concubinæ liberatus.

Lib. IV.

Argumentum.

Telemachi narratio interrupta ſomno. Obiurgatio Mentoris & admonitio periculi. Somnium in itinere Cyprio. Conſtantia & virtus imminente nau-

naufragio. Cypriorum mores corrupti. Mentoris interea ſors. Redditus Telemacho ab Hazaële Syrio. Iter in Cretam. Amphitrites ſpectaculum.

Lib. V.

Argumentum.

Telemachi in Cretam ingreſſus. Fatum Idomenei Regis Cretæ. Comitia Cretenſium pro Rege eligendo. Victoriæ Telemachi in certaminibus pro Cretenſi Corona. Poſtulatio eius in Regem.

Lib. VI.

Argumentum.

Corona Cretenſis à Telemacho & Mentore recuſata. Ariſtodemus Mentoris ſuaſu electus in Regem. Reditus Telemachi turbatus à Neptuno. Naufragium & in inſulam Calypſus eiectio.

Lib. VII.

Argumentum.

Calypſus admiratio, conatus eum retinendi in inſula. Cupido à Venere miſſus in auxilium. Mentoris monita. Telemachi in Eucharin propenſio; indeque Calypſus æmulatio, ira, iuramentum ex inſula ſua pellendi Telemachum. Cupidinis conſilia. Navis à Mentore factæ per Nymphas incenſio. Telemachi cum cupiditate certamen. Mentoris cura. Telemachus à Mentore, conſpecto eminus navigio, deturbatus in mare.

Lib. VIII.

Argumentum.

Telemachus cum Mentore ab Adoamo Narbalis fratre in navem receptus, agnitúſque. Mors Pygmalionis & Aſtarbææ ſupplicium. Baleazar admotus regno Tyriorum. Convivium. Achitoæ cantus Tritonumque & Nereidum plauſus. Achitoas cantu victus à Mentore. Bæticæ per Adoamum deſcriptio, laudes, mores.

Lib.

Lib. IX.

Argumentum.

Mors Telemachi incaſſum poſtulata à Iove per Venerem. Error à Neptuno immiſſus Athamanti rectori Tyriæ navis. Pro Ithaca ducti Salentum. Idomenei Regis in advenas humanitas. Sacrificium Idomenei pro felici belli cum Manduriis ſucceſſu. Reſponſum Numinis.

Lib. X.

Argumentum.

Cauſa belli cum Manduriis Mentori indicata ab Idomeneo. Manduriorum ratio agendi probata à Mentore. Illorum improviſus adventus. Varii Reges Græciæ inter hoſtium auxilia. Mentoris ſolitarius cum Principibus adverſi exercitus congreſſus.

Lib. XI.

Argumentum.

Telemachi deſiderium viſo extra Salentum Mentore, eiusque ad hoſtes furtiva excurſio. Præſentia illius utilis promovendæ paci. Regum pacificus in urbem ingreſſus. Pacis conditiones initæ ab Idomeneo. Obſides dati. Inter urbem & caſtra ad faciendam amicitiam commune ſacrificium.

Lib. XII.

Argumentum.

Idomeneus invitatus ad fœdus contra Daunios. Mentoris hac in re contentio. Centum Cretenſes nobiles fœderatis permiſſi cum Telemacho. Triſtis diſceſſus à Mentore. Correcti ab eodem Salentini Imperii mores & leges.

Lib. XIII.

Argumentum.

Proteſilai, intimi amicorum Regis, & Timocratis perfidia. Philoclis, Purpuratorum optimi, caſus, eiusque poſt caſum vivendi ratio.

Lib. XIV.

Argumentum.

Proteſilai & Timocratis caſus. Philoclis reſtitutio; eius poſt reparatam ſortem vivendi ratio.

Lib. XV.

Argumentum.

Telemachi & Philoctetis coniunctio. Huius fata ante & poſt Herculis obitum.

Lib. XVI.

Argumentum.

Telemachi cum Phalante ob captivos controverſia. Eius de Hippiade Phalantis fratre victoria doloroſa. Adraſti improviſa & per dolum impreſſio. Prælium. Cædes Hippiadis & Phalantis periculum.

Lib. XVII.

Argumentum.

Telemachi arma. Eius illo in prælio induſtria. Mors Iphiclis filii Adraſti. Victoria. Telemachi in vulneratos & præcipuè in Phalantem cura, atque in Hippiadem cæſum pietas.

Lib. XVIII.

Argumentum.

Telemachi deſcenſus ad Inferos quærendi genitoris cauſa. Supplicia malorum hominum, præcipuè regum.

Lib. XIX.

Argumentum.

Telemachus in Campis Elyſiis. Gaudia bonorum Regum, & Domitorum gentium.

Lib. XX.

Argumentum.

Telemachi ſententia de occupanda Venuſia urbe, neutri addicta parti. Eius ſapientia in iudicandis cauſis proditorum. Decretoria cum Adraſto pugna. Telemachi induſtria & fortitudo. Piſiſtrati filii Neſtoris mors. Neſtoris exinde luctus. Philoctetes

vulne-

vulneratus. Telemachus Adraſti totiúsque cauſæ victor.

Lib. XXI.

Argumentum.

Dauniorum ſubiectio. Metrodori filii Adraſti parricidium. Arpos regio oblata & recuſata à Telemacho. Eius de dividendis hoſtium regionibus ſententia, item de ſtatuendo Rege Dauniorum. Arpos ſuadente Telemacho tradita Diomedi, tum forte appulſo. Regum diſceſſus.

Lib. XXII.

Argumentum.

Telemachi Salentum reditus: admiratio ob mutatum ſtatum Salentini Imperii. Detectæ à Mentore cauſæ, ſaluti regnorum adverſæ. Telemachi conſilium de iungenda ſibi Antiope Idomenei filia laudatum à Mentore. Laus Regiæ Virginis.

Lib. XXIII.

Argumentum.

Idomenei metus ob futuram hoſpitum ſuorum profectionem. Studium illam impediendi delatis cauſis profanis & ſacris. Mentoris de utriſque ſententia & inſtitutio. Solennis venatus. Antiopes in eo diſcrimen, diſcuſſum à Telemacho. Moleſtia iuvenis diſceſſus Salento tum faciendi tum petendi ab Idomeneo. Levata & diſſipata à Mentore. Utriuſque ab urbe Salento in Ithacam profectio.

Lib. XXIV.

Argumentum.

Varia præcepta Mentoris ad bene regendos populos & cognoſcendos hominum animos. Exſcenſio in inſula. Telemachi cum Ulyſſe genitore adhuc ignoto colloquium, & tenerior in eum ſenſus. Cauſa huius explicata à Mentore, adiecto ſolatio propediem videndi genitoris. Minerva in Mentore manifeſtata. Ulyſſes inventus & agnitus.

Reverendiſſimi ac Illuſtriſſimi DD. Franciſci Fenelonii TELEMACHUS.

Lib. I.

Calypſo ſpem ſolatii cum Ulyſſe amiſerat. Incuſabat fatum miſera, quòd non poſſet mori. Horrebat triſti ſilentio, in qua conſidebat, ſpecus. Nec famulæ (Nymphæ erant) verbô interpellare ſolitudinem dominæ auſæ. Quotiès ſubmotìs arbitris ambulantem acceperat diſtinctus floribûs ceſpes, qui æternas Veris delicias circumfundit inſulæ! adeò nihil ex loci facie mitigatis eius doloribus, ut etiam creſcerent, ſubeunte Ulyſſe triſtem memoriam, quem millies hìc affata eſt. Quoties inhæſit littori, ſtatuæ ſimilis, niſi quod lacrimas funderet eò defixìs oculis, ubi Ulyſſis navigium, fluctibus lapſum, videre deſierat! Cùm fragmenta naufragiò colliſæ navis aſpexit. Laceratæ nautarum ſedes & remi erant, quos in arena procella diſperſerat. Gubernaculum, velìs ſpoliata pinus,

ruden-

rudentes carpebant littus. Longiùs emittit Dea oculos. Homines duo venêre in conſpectum, quorum alter ſenis præferebat, alter Ulyſſis ſpeciem, in eo quanquam Iuvene agnoſcendam. Quippe oris par lenitas & virtus eminebat; par corporis habitus, & qui Regem deceat, gradus. Nec latuit Deam, Telemachum eſſe, ex Heroë, quem amaverat, genitum. Hominem autem ætate venerabilem & comitem, quis eſſet, quanquam Dea, cognoſcere haud potuit. Minerva comitabatur Iuvenem Mentoris habitu; quæ quia latere volebat, fruſtravit Calypſûs eam cognoſcendi ſtudium. Quippe maiora Numina, quæ libet, Deorum minimos celant. Ceterum quòd nec oris nec corporis habitu diſparem patri filium expuliſſent fluctus, admodum læta Calypſo, imminebat Iuveni, & peregrinum intuentis ſpecie: Quæ te huc, inquit, temeritas? Scias licet, neminem hæc impune contingere littora. Ferociùs hæc dixerat, ut falleret intuentes gaudium, quod vel ex invito Numinis ore promicabat.

At ille: O! quæcunque es, ſeu rogari tantùm, ſeu (quod ſpecies ſuadet) adorari etiam te fas eſt: miſerere filii, quem per agitata ventis maria quærendi genitoris amor traxit; ad cautes afflicta navis deſtituit. Hìc ſciſcitari Dea patris nomen. Et ille: Ulyſſes eſt, ex iis Regibus, qui decennalis belli caput, Pergama, vaſtârunt, illuſtre, & à pugnandi virtute & ab idoneis conſiliis per omnem Græciam Aſiámque venerandum nomen. Iactatur modò, quàm longè fluctus immenſum æquor agit, & cum immanibus ſcopulis luctatur. Credas ab ipſo recedere, imò fugere patriam. Et Penelope, cuius toro ſe dicavit, & ego, quem genuit, deſperavimus redi-

reditum. Ego ut cognoſcerem, ubi nunc verſaretur terrarum, ejus in pelago errores ſectabar. At quàm metuo, eſca piſcibus ne ſit, undis hauſtus, & genitor & altor meus! miſerere ſortis noſtræ; & ſiquid, Diva, nôſti, ſeu ſervare Ulyſſem ſeu perdere fata decreverunt, filium doce.

Mirari Calypſo tantum in Iuvene vegeto ingenium et facundiam: moveri deinde & in contemplationem ejus effundi: tacere. Ad ultimum: quæ parenti accidêre, Telemache, te ingnorare haud patiar. Sed plura ſunt, quàm commemorari nunc queant. Tot fatigato moleſtiis magnopere neceſſaria quies eſt. Sequere ad ſedes meas ducentem te. Has paternis futura mater ſubſtituo. Huc ades, ſolitudinis meæ ſolatium! & ſi fortunæ ſcias beneficiis uti, mitiores ejus futuras per me vices crede.

Premebat igitur invitantis pedem Iuvenis. Nympharum comitatus erat, ætate florentium; inter quas illa toto vertice ſuperior, velut inter humiliorem ſylvam elata cedrus eminebat. Prona ad fulgorem, Deæ ſpecies, palla purpurea oblongâque & permiſſa ventis; capilli aptè quanquam ſine lege retrò intercepti, ignea vis luminum, ex oris lenitate facilior, Telemachum ſuſpenderant; perſeverante in oculorum & ſilentii modeſtia Mentore ac legente veſtigium.

Ventum erat ad introitum, qui antrum Calypſûs aperit. Obſtupuit Iuvenis, cùm videret exteriorem ſpeciem loci, à ſimplice vitam rurî agentium cultu nihil abhorrentem, univerſas oculorum illecebras obiicere. Non auro, non argento creſcebat hìc pretium: non ex Paro marmora non ex

Corintho fulcra ſurrexerant:neque efficta ſeu penicillô ſeu ſcalpro imagines commendabant locum. Simplex labor inciſum rupibus antrum ita curvaverat,ut ſinus ejus frequentes ſcrupuli diſtinguerent; conchylia ornarent. Pubeſcebat vinea, quæ tenellas vites palmitéſque juſta ordinis religione quaquaverſus explicaverat. Frigora lenes Zephyri efflabant, opportunum & perpetuum adverſus largiorem Phœbum ſolatium. Libabant auras ſuſurri, quos evecti per amaranthis violíſque deſcripta prata jucundè movebant rivuli; paſſimque exesîs alveolîs balnea iidem lavandis artubus præparaverant, nihil eô, quod in cryſtallo commendamus, inferiora. Florum innumerabilis multitudo, qui enaſcentes inter gramina circumjectum divinis ſedibus pingebant ſolum, palatiis agreſtem hunc cultum invidentibus ruri. Sylva quoque in conſpectu ſita, aureos fœtus enitebatur, flore, in quem deſtinatis anni temporibus ſe induit, nares afficiente ad illecebras. Coronam eam dixiſſes, quam benignior natura pratis impoſuit, ut foverent umbræ, Phœbi etiam radiis prævalituræ. Sylveſtri ſolitudini nihil præter cantus avium obſtrepebat rivíque gemitus, qui præceps ê ſcopulo, atque ex lapſu ſpumoſior erumpebat in campum.

Quà ſe ad planiora collis demittit, Calypſûs diverſorium erat, oppoſitum mari; quod aliàs liquidum, & glacie videbatur rigere, aliàs ferociùs inhorreſcens illiſum rupibus & cum atroci diviſum ſonitû inde referebat ſeſe, concitatis antea fluctibus ac in ſublime prodigioſo tumore evectis. Maris ſinum reſpicit alterum latus. Enaſcuntur in eo inſulæ virentibus tiliis & populis, cœlo audaciùs ſuc-

ſuccreſcentibus & cingentibus ripas. Multi amnes (unde inſulis ſpecies) manant, quos certare luſu crederes aperto campo, quem ſecant. Torrentes aquas rapiebant alii; alii ſegnes trahebant & velut oblitas itineris. Quidam torti longiore flexu redibant, & riparum, inter quas defluunt, amore retenti fontes ſuos videbantur repetere. Editi colles montiúmque juga longiùs receſſerant, immerſa nubibus. Admirabilis eorum ſpecies extremis apicibus, primóque, qui iis incumbit, ætheri ſpectaculum affinxerat, par capaciſſimæ oculorum cupidini. Qui propiùs acceſsêre montes, frondoſas & nondum adultas vites oſtentabant, commodè ſubſtrictis frondibus arborúmque fœtibus, quos humana manus fingit, ſimiles, ordine, quo deſcendunt, artis induſtriam imitante. Pallere vidiſſes ad uvarum nitorem purpuram, quem objecta folia necquidquam diſſimulavêre. Fatigabat vineam fructuum, quos edidit, copia. Diffuſæ arbores varia ſpecie. Illæ ſtillabant oleo; illæ ficus, illæ mala punica gignebant, aliáque, quorum à natura acceperant ſemen, prato, in quo erant, ingentis horti ſpeciem conciliantes.

Neque has naturæ opes aut univerſas aut ſingulas Dea celavit Telemachum. Ad quem tum denique: Reſpira, inquit. Veſtimenta madent, quæ mutare iam eſt opus. Redibo. Audies ex me, quæ tangant animum. Simul hoſpites iubet ſuccedere in regionem antri cuiusdam intimam, poſtremámque, nec à ſede Numinis remotam. Ardebat ibi focus, quem interea Nymphæ ſuſcitaverant, multa in eum congeſta cedro, quæ tenerrimum illicium ubique afflabat naribus. Veſtes item paraverant.

 Tuni-

Tunicæ duæ Telemacho attributæ, altera nive candidior, molli lana, & deſcenſura ad talos; altera nitebat purpurâ auróque. Quorum ille aſpectu lætari, & mente pro eo, ac Iuventus ſolet, cùm grandia videt, efferri.

At increpantis voce Mentor: Ergóne, inquit, hi ſenſus animi occupabunt Ulyſſis filium? id potiùs age, ut protrahas genitoris gloriam & vincas, quæ te odia ſiniſtræ ſortis premunt. In rudi meretur vulgo ſordeſcere Iuvenis, viliorem ſexum cui libet in colendo corpore imitari. Moleſtiis par & voluptatibus ſuperior animus ſedes una eſt & digna gloriæ.

Excepêre tam grave monitum Telemachi gemitus: In Stygem me demergant Dii priùs, quàm in mollitiem, in voluptates hunc animum ego. Nunquam mehercle frangent humiles & effeminati mores Ulyſſis filium. At ô ingens ab Aſtris beneficium, quòd huic ſeu Divarum ſeu mortalium piiſſimæ nos obtulêre poſt naufragium!

Quin nullum non ab illa damnum time: ita Mentor. Fallit ejus amicitia, fugienda præ ſcopulis, qui navem tuam perdidêre. Naufragia ipſáque mors, quàm voluptates terroris habent minus. Virtutem illa, hæ virtutem oppugnant. Mendacia crede, quæ loquetur tibi, vel mendaciis affinia. Tumet Iuventutis animus, & captat inania. Spes de ſe ingentes nutrit. Infirma eſt; neque tamen putat ſe aut arduis imparem, aut periculis exponi. Credula deinde eſt & incauta futuri. Cave blanditias & verba dulcia, quibus aures tuas ſtudebit imbuere. In herba latens anguis eſt. Venenum, quod non vides, time. Ingenium tuum ſuſpectum habe. Cave, me non conſulto quid agas. Ad

Ad Deam tum inde regreſſi, paratam invenêre. Compoſiti crines candidæque veſtes adornabant famulas. Ab his continuò illatum epulum, non magnificum, non ſumptuoſum; ceterùm commendandum à guſtu, & inſtruentium induſtria. Avium ferarúmque carnes fuêre in cibum, illæ retibus, hæ Nympharum iaculis exceptæ. Dulciſſimum vinum erat, quod argenteîs emiſſum vasîs redimitæ floribus phialæ ex auro miniſtrabant in potum. Calathis allatæ fruges. Nullum earum deſiderabatur genus, quod ſeu Veris promittunt tempora, ſeu Autumnus gignit. Cantui ſe quatuor Nymphæ accinxerant ex adoleſcentioribus; quæ accepto ſigno non unius generis argumentum numeris celebravêre. Iam pugnabat cum Gigantibus Iupiter, amabátque Semelem: jam Bacchum deponebat, femoris partum, Sileni educandum magiſteriô; jam ad curſum provocabat Atalantam Hippomenes, pomis Heſperiis, quàm pedibus ſuis, magìs debiturus victoriam. Poſtremò Troiana bella canentium modulis affecta; prœliáque Ulyſſis & prudentia conſiliorum eius non tam celebrata, quàm elata ad ſidera, Leucothoë (Nympharum, quæ canebant, hæc caput erat) ad vocales delicias cæterarum lyræ ſonos adiungente. Expreſſerat Telemacho lacrimas Ulyſſis nomen, vultu ad novum formæ incrementum diſperſas. Cibi quoque deſiderium hebetaverat dolor. Quod ubi Calypſo advertit, datô ſignô monitæ Nymphæ ad Centaurorum Lapitharúmque pugnam, deinde ad Orphei iter, ad Inferos ſuſceptum pro liberanda Eurydice, numeros ſtrenuè tranſtulerunt.

Solutô conviviô Iuvenem ſeorſum trahens Dea:

Quàm benignè te, inquit, magni Ulyſſis genus, excipiam, vides. Dea ſum. Mortis adhuc obnoxium legibus non admittit, quam colo, inſula. Nec ipſum, quod ſubiiſſe te ſcio, naufragium exemiſſet ſupplicio, niſi te aliunde amarem. Sed recipit te, quem (ah! male) reliquit pater tuus, fortuna ſinu. Diu illum mea fovebat inſula, ubi volenti licuiſſet mecum immortalitate potiri. At miſeræ patriæ inconſultus amor ſprevit hæc commoda. Hæc gaudia, has delicias (quas & ſentis & vides) illi eripuit concitatum, quanquam obnitentibus fatîs, Ithacæ deſiderium. Ille ſpectare, ille arripere fugam. Sed vindicavit procella Numini illatam injuriam. Quæ illum hinc vexit navis, diu ventis ludibrium, fluctibus denique hauſta eſt. Miſerabilem hunc caſum, quid agas, conſule. Naufrago patre quid ſperaveris filius? non patris aſpectum, non Ithacæ Imperium.

Ergo amiſſo eo præſentis fortunæ ſolatium habe, Numen eſſe, cujus voluntate fortunatiſſimus, cujus dono Rex ſis. Plurima deinde ſubjunxit, ut oſtenderet prolixè dictis, Ulyſſi nihil non tribuiſſe ſortem, cùm in inſula fuiſſet. Quæ in antro Polyphemi, quæ in aula Leſtrigonum Regis (Antiphates erat) contigiſſent Patri, referebat. Nec Circes Solis filiæ monſtra omiſit, & quibus Scyllam inter & Charybdim periculis ſit functus. Immiſſam à Neptuno intolerabilem tempeſtatem, cùm deſereret ipſam, denique repræſentabat animo, ut fidem Iuveni faceret, genitorem periiſſe, aſtutè celans adventum eius in Phæacum inſulam.

Telemachus ipſa initia benignitatis, qua exceptus à Numine fuit, immaturo gaudio celebrave-

rat.

rat. Sed caſtigatus à Mentore, nunc demum agnovit blandientis aſtutiam, & quàm utilia comes ſuaſiſſet. Itaque obiter reſpondit: Indulgeret dolenti. Abſorbuiſſe luctus animum. Futurum alias (quod ſperaret) ad ſentiendam magnitudinem fortunæ, quæ offerretur, aptiorem. Pateretur in præſens deflere, à quo meminiſſet ſe genitum. Scire ſe, ipſámque luculentiùs, quantum mereretur lugeri.

Illa tum quidem non auſa urgere afflictum, communes etiam & inſtauratos ob Ulyſſem luctus fingit. Ceterùm ut rectiùs cognoſceret, quæ præ reliquis penetrarent Iuvenilem hunc animum, ſuper naufragio, quod feciſſet, multa interrogat, quique huc terrarum ipſum egiſſent caſus. Iuſtô prolixior erit, ille inquiebat, ſortis meæ commemoratio. Dea id ſemel iterúmque negare, ardere deſiderio audiendi, & maturaret verba, exigere: etiam atque etiam tergiverſari Iuvenis. Victus tandem rogandi pertinaciâ, hunc ſermonem eſt orſus.

Reverſos à vaſtatis Troianis Principes aditurus, ut ſiqua de Ulyſſe cognoviſſent, percontarer, ex Ithaca diſceſſeram. Ea res admiratione ſuſpendit Penelopes procos, quorum quia comperta mihi erat perfidia, profectionem illis meam ſtudiô celavi. Ceterùm neque Neſtor, quem Pyli conveneram, neque Menelaus, quem Lacedæmone ſalutavi, & cujus multa fuit in me humanitas, edocere potuit, viverétne adhuc genitor? jámque fatigaverant me dubii incertíque nuntii. Siculos ergò decrevi, quoniam patrem eò abreptum ventîs eſſe dicebant. Temerè deſtinatis hic præſens Mentor haud temerè reſtitit. Cyclopes, qui atroci & procero corporis habitu leges humanæ ſtaturæ,

naturam eſu carnis humanæ violarent; Æneæ quoque naves cum claſſe Troianorum in Sicilia hærentes referebat. Troiani, inquit, efferatum Græco nomini genus, quàm non inviti perderent tuum utique, Ulyſſis filii, caput! Ithacam repete (nam etiam hoc ſuadebat.) patrem tuum amant Dii. Fortè ambos patria eodem temporis articulo excipiet. Quodſi nec illum vivere, nec redire ad ſuos velint, repetenda tamen eſt Ithaca, ut habeat in te vindicem genitor, liberatorem genitrix, oraculum populi, argumentum Græcia, Ulyſſem dignum hæredem coronæ, quam tantopere honeſtâſſet, reliquiſſe. Hoc ſalubre conſilium ſprevit imprudens, & quem cupiditatibus permiſeram, impos ſui animus. Ceterùm perſeveravit eximia Mentoris charitas, qua me diligebat. Quippe & temerè & diſſuadente ipſo proficiſcentem ſequebatur. Permisêre errorem Superi, ut reſipiſceret caſtigata temeritas.

Calypſo ab ore loquentis Telemachi oculos in comitem ejus tranſtulerat, turbatô animô, rata, neſcio quid Numinis in illo deprehendiſſe. Deficiente, quod dubitationem eximeret, hæſit ad ignoti hominis aſpectum plena metu & ſuſpicione; nihil perinde tunc verita, atque pavorem ne proderet. Igitur ad Telemachum reverſa vultu: age, inquit, quæ novitatis cognoſcendæ avidam delectent, proſequere. Tum ille:

Secundis ventis longiùs vela navem provexerant: cùm ſubductô atris nubibus cælo repente in navigantes ſpiſſa caligo incubuit. In eodem diſcrimine alias quoque naves, eáſque Æneæ eſſe conſpeximus, cùm emicarent fulgura. Ergò &

ab

ab iis & à ſcopulis par metus erat. Tum verò ſalubris conſilii, quod Mentor dederat, ratio ad animum tota quanquam ſerò pervenit, à cujus juſta æſtimatione me ſtolidè ferox ætas abſtraxerat. At ille tanti periculi non intrepidus modò fuit, præſentíque animo, verùm ſolito etiam lætiore. Idem me erigebat torpentem: inſpirabat (quod ſenſi) invictas vires: turbatóque magnitudine mali gubernatore placidè diſpenſabat negotia. Ceterùm ego: ah! dilecte Mentor, aiebam, ah conſilium cur neglexi tuum? infelicem me, arbitrio meo hac ætate qui obſequor; hac ætate, quæ nec proſpicit futura, nec ſapit ex præteritis, nec rite intendit ſollicitéque præſentibus! ùt ego, huic ſi diſcrimini ſuperſtes ſim, arbitria mea ceu ſanguinolentas inimici ſolertias damnabo! ùt uni Mentori meo habebo fidem!

Subridebat ille, &: Errorem, quem erràſti, inquit, verbîs non multabo. Satis eſt, agnoſci à te, futurum aliàs ad moderandas cupiditates frenum. At ſuccedet, quod vereor, eadem agendi temeritas ſuperato periculo. Nunc animis, ut ſervemur, eſt opus. Proſpiciendum & timendum eſt futurum diſcrimen; præſens contemnendum. Dignum ergo Ulyſſis te filium oſtende, & ſuperiorem malis, quæ minantur, animum.

Rapuit me viri iuncta cum fortitudine lenitas. Ceterùm majori poſtea admiratione ingenium ejus proſequebar, quo è manibus Troianorum evaſimus. Liquidior lux apparebat cælo, & propiùs nos turbo admoverat, quàm ut non facilè ab hoſtibus licuiſſet agnoſci: cùm navem Mentor aſpexit, noſtræ admodum propinquam ſpecie, & vi

tem-

tempeſtatis aberrantem à reliquis. Florum quoddam genus erat, quo puppim eius ornaverant. Protinus & ipſe coronas floréſque, à Troianis nihil diverſos, affert, atque averſæ à prora parti annectit faſciis etiam ipſis colorem imitantibus. Tum remiges, quantum poſſent, pronum corpus iuſſi in tranſtra demittere, ne conſpecti ab hoſtibus noſcerentur. Hac ratione in mediam hoſtium claſſem recipimur. Quo illi viſo lætari, clamorem tollere, veluti intuentes ſocios, quos periiſſe crediderant. Porrò diutius in hoc diſcrimine detinebamur, maris intemperie eòdem, quò Troës tendebant, vela noſtra aufferente. Tandem de induſtria ſegnior curſus nos à triremibus hoſtium modico intervallo ſeiunxit. Qui dum Africam verſus propelluntur tempeſtatum impetu, nos vi, quanta humana poterat eſſe, adhibitâ remis inſtitimus, ut ad propinquam Siciliæ oram navis appelleret.

Et verò appulſa eſt. At par fuit ab iis, tum quos fugimus, tum quos quæſivimus, periculum. Alii ibidem ex Troianis occurrerunt hoſtes Græcorum. Siciliam Aceſtes ſenior, relictis Pergamîs, tenebat. Vix in ripam evaſimus; cùm incolæ ſuſpicantes, nos eum armis aut ex eadem, aut ex diverſa gente ad opprimendos ſeſe appuliſſe, primo furoris abrepti impetu, ignes navi noſtræ iniiciunt, comites cædunt. Mentori & mihi pepercêre, ut Rex, cui nos ſiſtere decreverant, unde & quo conſilio veniſſemus, cognoſceret. Vinctis igitur poſt tergum manibus abſtrahimur à littore: ducimur, fato ſuperſtites ſcilicet in crudelis populi, ſi noſceremur, ſpectaculum.

Itum

Itum continuò ad Aceſten. Aureum ſceptrum erat, quod tenebat manu, cùm ius diſtribueret populis; & fortè tum in procinctu ſtabat non communis ſacrificii. Ille haud otioſè interrogare patriam & itineris conſilium. At imminens reſponſo Mentor, ex Heſperia, cui vicina eſſet natalis utriusque terra, nos dicebat venire. Sic declinatum ab illo Græciæ patriæ noſtræ nomen. Ceterùm plura tyrannus non audiit, certus, nos advenas eſſe, qui celarent conſilium. Igitur in vicinam ſylvam ambos juſſit abduci, facturos inter Regii pecoris cuſtodes ea, quibus mancipia aſſueviſſent. Hæc ſors morte acerbior mihi viſa. Itaque elata voce concitatus provocabam, mori potiùs iuberet nos Rex, quàm ad tantam vilitatem deſcendere: En Telemachum ſagaciſſimi Ulyſſis, cui Ithaca ſubeſt, filium! patrem, quà maria poſſunt adiri, quæro. Quodſi nec ille, nec patria, nec à ſervitute immunitas mihi dabitur, exue vitâ, cujus miſeriam non fero.

Nec mora: tumultuari ad hæc audita populus, perſtrepere clamore, eliminandum è vivis hominem, quem crudeliter aſtutus populator Troiæ genuiſſet. Et Aceſtes: Litandus eſt, inquit, tuus, mi Iuvenis, ſanguis tot Troianorum manibus, quos ad nigras Cocyti ripas detruſit, à quo tu ſanguinem. Morieris cum duce tuo. Inter hæc progreſſus è concione vir provectæ ætatis, ſuadebat Regi, ut ſupra Anchiſæ ſepulchrum iuberemur mactari. Pii Herois manibus, inquit, iucundas inferias dabit hoſtilis cruor, famámque huius rei Natus ſibi gratulabitur, cùm, quantum ames unas ſuas quondam in orbe delicias, hoc argumento diſcet. Voce nutú-

nutúque ab omni concione probatum conſilium. Omiſſa omnia præter inhumani ſacrificii apparatum. Itur ad deſtinatum feralis victimæ locum. Aræ duæ erectæ, in quibus ſacros ignes excitaverant, ingens noſtris videntium oculis tormentum. Floribus coronaverant morituros. Fruſtra requirebamus miſericordiam; actúmque de nobis erat: cùm Mentor, ne in illa quidem ſorte motus tranquillo, cui aſſueverat, animo, poſtulata copia loquendi: Si te, Rex, inquit, nec adoleſcentis nec à Troiana cæde innoxii Telemachi fortuna movet: at moveat ſaltim tua ſalus. Præſagientis animi cognitio, quam de ominibus & voluntate Deorum habeo, ſpecies mihi admovet imminentium rerum. Tres non abibunt dies, cùm Barbari te oppriment, qui torrentium inſtar aquarum ruentes de montibus urbem inundabunt tuam, regnúmque peſſum ibunt. Maturatô opus eſt. Arma ſubditum, & qua potes celeritate, ex paſcuis reductum in urbem numeroſum pecus coge. Quodſi fallet hæc à Diis profecta denunciatio, tres intra dies nos, ſi tibi libitum, cæde. Secus memento dare vitam iis, qui ſervârunt tuam.

Terruit Regem divinantis inuſitata conſtantia. Itaque: Dii, inquit, ùt adverto, compenſant fortunas, quas parciùs tribuêre tibi, donô potiori ſapientiæ. Quibûs dictis mora ſacrificii imperata, & quæ occuparent futurum malum, diligenter diſpoſita. Timore pallentes feminæ, pavidíque viri, quos olim exacta ætas nunc gravior metus curvabat, rure profugi cum liberis ſquallentibus fletu, impleverant urbem. Ibant boum greges oviúmque ſuiſquique vocibus confundentes auras,

&

& depulſi ab ubere pabulo errabant deficientibus ſtabulis, quibus reciperentur. Agebatur paſſim incertus fremitus multitudinis, cùm alius alium impelleret, alius alii fruſtra ſermonem ſociaret, alius communi perturbatione errorem adiuvante ignotos etiam appellaret amicos, alii denique nulla ducente itineris ratione diſcurrerent. Nobiliſſimus quisque civitatis, quoniam puduit ſentire cum vulgo, criminabatur Mentoris fidem, eúmque à pœna velle expediri divinandi mendacio.

Inter has cogitationes nondum triduô abſumpto, pulveris nubes, qua vicini montes deſcendunt, efferri viſa. Subinde ingens barbarorum multitudo cum armis conſpecta eſt. Himerii erant, effera gens, adjunctis, qui montes, quos Nebrodios vocant, & Agragæ jugum colunt, perpetuo rigentis gelu. Abacta ab hoſtibus illorum greges & mancipia, qui vaticinio non habuêre fidem. Ad quæ Aceſtes: Ego verò, Mentor, inquit, patriæ veſtræ ignoſco. Aliàs hoſtes, nunc amici noſtri eſtis, conſiliô Deorum huc profecti, ut ſalvemur. Et nunc, credo, quantum cognitio rerum & conſulendi prudentia, tantum auxilii nobis virtus tua præſtabit.

Et ſanè emicuit ex Mentoris oculis ea præſentia animi, ut belli audaciſſimus quisque obſtupeſceret. Scutum, galea, ferrum & haſta arma erant. Quibus ipſe ſumptis Aceſtæ militem diſpoſuit, & ante prima ſigna ingreſſus, hoſti ſervatis ordinibûs admovit. Regem quoque ſubibat diſcriminis par animus: ceterùm hac ætate non poterat niſi longo intervallo Mentorem ſequi. Proximus ego ibam;

ibam; at quantum ab virtute eius remotus! Credidiſſes loricam, qua tegebatur, vim Ægidis induiſſe. Ferrum, quod ſtrinxerat, in alios atque alios hoſtium ordines diffundebat ruinam. Videbar mihi leonem videre ex Libya, quem in imbellem gregem abripit famis atrocitas. Dilaniat: mactat: graſſatur ſtagnante cruore, trepidantibus & dilabentibus metu, quos ab hoſte oporteret prædam vindicare.

Turbavit ea res Barbaros: quippe imparatum incolam opprimendi fiduciâ venerant. Et ille quidem Mentoris exemplô verbóque confirmatus ipſa ſpe ſua maioribûs animis arſit. Ego filium adverſarii Regis haſtâ deieci. Hic ut ætate par erat mihi, ita corporis magnitudine præſtabat; quippe natalem ad Gigantes referens, cognatum Cyclopibus genus. Pygmæorum è tribu cenſebat hoſtem, meis duntaxat viribus congreſſurum. Ego verò nec inuſitato æmuli robore perterritus, nec efferis & ab homine multum abhorrentibus moribus, intortâ pectori haſtâ eum percuſſi, ut linquente animo ingentem vim atri ſanguinis evomeret; pronúsque in lapſum nitebatur victorem obterere. Strepitus armorum corruentis ipſos adeò montes concuſſerat. Demptis cæſo hoſti, quæ verti poterant in prædam, retrò ad Aceſten conceſſi. At Mentor, disiectis ordinibus, ultima clade hoſtem affecit, fugientes ad ſaltuum confinia perſecutus.

Effecit ancipitis mali tam non malignus eventus, ut Mentorem velut dilectum & illuſtratum à Diis hominem adorarent. Aceſtes gratias nobis habebat, aſſeverans, extrema ſe nobis metuere, ſi

naves

naves Æneæ reperirent Siciliam. Itaque inſtructo navigio, quo ſine cunctatione reveheremur in patriam, donſque cumulatos etiam urgebat feſtinare, ut malis imminentibus, quæ prævidebat, nos matura profectio eriperet. Ceterùm nec regi, nec promoveri per ſuos navem voluit, veritus, ne in maritimis Græciæ oris apertum diſcrimen adirent. Ergò Phœniciæ mercatores deſtinati ad opus, futuri extra periculum, quoniam commercii iure univerſis gentibus miſcerentur; iuſſique perfectô negotiô navigium, à quo accepiſſent, reddere. Verùm Diis, quorum arbitrio volvuntur hominum ſortes, alia diſcrimina capitibus noſtris decreverant.

TELEMACHUS.

LIBER II.

SEſoſtrem Ægypti Regem, & tot gentium victorem Tyriorum inſolentia offenderat. Quippe & auctis mercimonii induſtriâ opibus & Tyri urbis maritimæ (quam cum fama, expugnari non poſſe, colebant) elati viribus, imperatum ab eo poſt victorias tributum recuſabant. Germano quoque Regis, cùm reverſum eum per ipſam ſolennem cujusdam diei lætitiam decreviſſet cædere, paraverant auxilia.

Tantæ audaciæ imperaturus Rex, conſtituit, ne libero mari usquam eorum merces commearent, impedire. Ergo miſſæ naves, ubique rebellibus infeſtæ. Ex his erant, quæ nobis occurrêre, cùm paulatim montes Siciliæ requirerent oculi. Fugere à nobis portum terrâsque credebam, & evadere in nubes. Ac tum quidem hoſtium claſſis appro-

pinquabat, urbi, quam veherent undæ, ſimilis. Cognito periculô Phœnices deflectebant, elabi feſtinantes inutili fuga. Nâmque hoſtis & velocitate navium, & ventorum auxilio, & nautarum quoque numero præſtabat. Itaque oppreſſi ſumus, & ducti in Ægyptum.

Docebam ego, ex nobis Phœnicem neutrum eſſe. Vix indulſere aurem. habiti ab ipſis ſumus mancipia eius conditionis, quorum commercia frequentarent Tyrii. Nihil præterquam opimum ex nobis quæſtum avaritia victorum meditabatur. Ventum erat, ubi mixtis, quæ ex Nilo decurrunt, aquis palleſcit mare. Ora Ægypti etiam intra conſpectum erat, undis, quas compeſcit, haud multo ſuperior. Tum ad Pharon inſulam, Nûs oppido imminentem, ſucceſſimus; inde Memphim adverſo amne vecti.

Alendis frugibus mitis Ægyptus eſt. Horti largè madentis amœnitatem explicat. Nec facilè admittunt numerum paſſim oberrantes rivi; jucundiſſimum utique intuentibus ſpectaculum, niſi dolor in poteſtate hoſtium exiſtendi, animos noſtros hebetâſſet ad delicias. Opulentæ urbes & ab iucunditate ſitus commendandâ prædia paſſim occurſabant, utrique ripæ affuſa. Iacebant agri, qui annuis frugibus, quas nunquam ceſſant reddere, flavent; frequentiſſimâque armentis paſcua. Agreſtes quoque meabant, opum, quas beatæ glebæ ſinus generat, onuſti copiâ. Denique à circumiectis nemoribus clivisque acceptas voces exigebant ſuaviſſimè ſonantes paſtorum fiſtulæ.

Ad hæc oculorum auriumque oblectamenta comes meus: Beata gens, inquit, cui præeſt, qui

non

non caret ſapientiâ- Qua re dives, qua parte felix illa non eſt? ùt amat eum, cui ſua debet! Ita regnabis (ſubjungebat ille) ita beabis populos, ſi quando, Telemache, Dii in caput tuum Patris inſignia transferent. Dilige ſubditum paternô animô. Experire, quam dulce ſit, amari Principem; idque age, ut, cùm pacis delectatur otio, nunquam non meminerit celebrandum fontem, ex quo illi manat tanta bonorum copia. Humani generis flagella Reges ſunt, qui omnem operam in eo ponunt, ut timeantur; qui attererestudent ſubditum, ut tutius imperent. Timentur; id quod deſiderant. Sed præterea odium incurrunt, & diras ſuſcipiunt. imò magis timere debent ſuos, quam timeri à ſuis.

Heu! quid ſerò tu imperandi præcepta mihi? ita Mentori reſpondi. amiſſa eſt Ithaca. Nec patriam poſthac videbimus, nec Penelopen. Finge Ulyſſem, celebrati nominis circumfluentem gloriâ, reverti: num propterea ille unquam aut delectari noſtro aſpectu poterit, aut ego, ut regnandi artes diſcam, ejus imperiô? moriamur, dilecte Mentor! ſperare meliora non licet. moriamur, quoniam Dii miſericordiam à nobis averterunt!

Hæc loquentis verba gemitus violabant. Ceterùm ille mali, quod inſtabat, formidinem præcipere ſolitus, advenientis eius terrore ſemper caruit. Itaque: Degenerem Ulyſſis filium, exclamat, quem fortunæ clades exanimat! impera tibi, ut credas, tempus fore, quod & patriam & Penelopen tibi reſtituet: Quem adhuc ignoras, Ulyſſem apparatu priſtinæ fortunæ videbis Regem; Ulyſſem, dico, nunquam hoſtium, nunquam ſortis etiam qualiſcunque telis inferiorem, & animi, quem ad

ærumnas invictum afferas, magiſtrum, experientiâ mali, tuô longe majoris, eruditum. Vah! implacidi maris violentiâ procul gentium abrepto quantus rubor exiſteret, cognitô, genuiſſe ſe nec laboris patientia, nec virtute parem ſibi! quàm id multò graviùs infinita ſortis ſuæ varietate acciperet!

Advertere deinde me juſſit ad beatam illam copiam, quæ omni Ægypto ſe offuderat; urbéſque, quarum duo admodum & viginti millia numerat. Admirationem illi movebat optima diſciplinæ, quam incolæ proſequebantur, ratio; opulentiæ, quàm paupertati non æquior juſtitia; ſtudium educandi prolem, eámque obedientiâ, temperantia, artiúmque & ſcientiarum amore imbuendi; præterea Religionis, & quæ illam exornant, cultus ſanctiſſimus, fuga privati commodi, & deſiderium gloriæ; fides denique, quam hominibus, & reverentia, quam Diis præſtare liberos genitores docuêre. Neque à commendandis hiſce præclaris moribus ceſſabat. iterum, iterúmque ad me: felices provido Rege, felices tam ſancto imperio populi! at longè felicior, qui bonorum tot gentibus auctor eſt, & deditus virtuti. Vinculum induit humano generi, quod longè, quàm dicere queam, fideliùs ſtringit timoris vinculô, quia amantibus induit. Paret illi ſubditus; imò parere amat, geſtitque. Subſternunt ſe omnium animi, adeóque non recuſant ſubeſſe, ut etiam timeant, prohibentibûs fatis, ſubeſſe non poſſe; parati, ſalutem Domini jacturâ ſuæ redimere.

Neque ſurdo Mentor canebat. Deſcendêre in hunc animum, quæ dixerat, eique vigorem ſuum ablato penitus torpore reddiderunt; adeò, ut ad modum

modum protracti ab homine tam ſapiente, tam amico ſermonis ſuccreſceret reparata fiducia. Ventum erat Memphim urbem tam opulentam, quàm magnificam, ubi tamen morari non licuit. Quippe continuò prætoris juſſu ad ipſum Regem procedendum erat, futurum cauſæ noſtræ, aliàs acerbiſſimâ in Tyrios irâ judicem. Thebas appellant tunc nobilem Seſoſtris Regiam, ad quam adverſo flumine itum. Centum portæ ſunt, quæ aditum in urbem præbent. Immenſum ſpatium ambitu complecti nobis videbatur, & frequentior etiam ſplendidiſſimis, copioſiſſimiſque Græciæ oppidis. Sine ſordibus plateæ, innoxiè & uſui opportunè manantes aquæ, commodè ſtructa balnea ſtudium perfectiſſimæ diſciplinæ prodiderunt; accedit artium induſtria, & quòd tutis incolis commeare licet. nullum forum eſt, faliente quod careat, obeliſcis ad nitorem ejus circumeuntibus. Templa ex marmore ſtructa majori auguſtæ dignitatis apparatu, quàm artis. At Regis palatium vel ipſum ſpeciem magnæ urbis reddit, ubique aut ſubjectis columnarum marmoribus aut eminentibus gigantum ſimulacris, aut conflata ex auro argentôve ſupellectili viſentibus admirabile.

In Phœnicum nave nos fuiſſe nunciabant Regi, qui Tyrios mercatores interceperant. In more poſitum Seſoſtri erat ſtatis in diem horis audire, qui aut querelas afferrent, aut nuncios. Nemo vilis adeò, cui negaret aditum; credebátque ſe ob hoc ſolum deferre Regis inſignia, ut benefaceret ſubditis, quos haud ſecus quàm pater diligebat. Neque exteris auſterus erat. Præſtò ſibi illos eſſe voluit, quoniam aliarum gentium mores & inſti-

tuta credebat nunquam inutiliter ſciri. Eáque novitatis induſtria nos quoque accerſivit ad Regem. Ex ebore erat, quod occupabat ſolium, ex auro ſceptrum. Nihilque amœnitati ejus gravior ætas detraxerat. Admirabilis manſuetudo ingenii, & oris dignitas. Ius & judicium in dies populis reddidit, ídque vera laude patientiæ, ſapientiæque. Exacto componendis imperii & juſtitiæ negotiis die, veſpertinum otium doctis, aut optimis viris dabat, quos amicitiæ ſuæ probè noverat deligere. Sanctus erat omnino, niſi quòd iuſto magnificentior eius ex ſubactis Regibus triumphus fuit, quódque uni homini, de quo protinus, ſe permiſit.

Commotus meo Iuvenis & dolentis aſpectu Rex, patriam & nomen rogat. Tum ego, quanquam admirabili eius ſapientia atque ubertate dicendi unà cum Mentore perculſus; Decem annis oppugnata, infinito denique totius Græciæ impendio everſa Pergama, Rex magne, haud ignoras. Inter eos, qui exſcidêre, Ulyſſes Genitor meus & ipſe clariſſimus fuit. Nullus in pelago ſinus, nulla inſula eſt, quam non oberrat incertis itineribus. Neque tamen Ithacam, inſulam & Imperium ſuum, valet attingere. Filius parentem quæro. Illius iniquæ ſorti æquale fatum eſt, quòd venerim in exterorum manus. Redde me Patri, redde me Patriæ. Sic incolumem pignoribus te tuis præſtent Dii, velintque ea ſub paterna manſuetudine dulcius acquieſcere.

Tenebat interim oculorum miſericordia, quam in me adiecerat Rex. Cæterùm, an ſincerè pronunciàſſem, exploraturus, ad purpuratum ambos miſit, iuſſum ab iis, qui navem noſtram ceperant, inqui-

inquirere, Græcine eſſemus (quod affirmabam) an ex Phœnicia? quòdſi iſtud, inquit; geminum ſupplicium merentur ùt & hoſtes & rei de impudenti mendacio. Sin alterum, humaniter acceptos ex navibus noſtris una patriæ ſuæ reſtituet. Græcos amo, quibus non pauci gentis noſtræ dederunt leges: Virtutem Herculis revereor: ad Nilum penetravit Achillis gloria: Neque minùs, quæ de malè fortunati Ulyſſis ſapientia rumor diſperſit, ſuſpicimus. Voluptas noſtra eſt auxilio eſſe miſeræ virtuti.

At verò quàm ad ſublimia erectus, quàm integer Seſoſtris, tam depravatus, tam ad fallendum acutus erat animus ejus, ad quem cauſam noſtram rejecerat diſceptandam. Metophi erat nomen. Interrogandi fraude ſtudioſè nobis inſidiatus, cùm circumſpectius, quàm ego, Mentor reſponderet, averſari eum & ſuſpectum habere cœpit. Nunquam enim probitati æquum ſcelus. Ergo à latere meo Mentor diſtrahitur, ut ex eo tempore illum penitus ignorarem. Haud aliàs magìs ſtupui attonitus improviſo malo. Et Metophis quidem ſperabat pertinaciùs, ſi interrogaremur diverſi, fieri poſſe, ut contraria eliceret. Multò minùs dubitabat, fore ut eblandirentur ex me promiſſa, quod celâſſet comes. Nimirum ſimplex explorator veri non erat, ſed captioſus auceps tituli, quo apud Regem commentus, Phœnices eſſe, nos ſervitiis ſuis manciparet. Et profectò nec innocentia noſtra, nec Regis Divina quædam, & ſingularis ſapientia, quò minùs falleretur, prohibere potuit. Eheu! quot periculis ſepta Regum conditio, quos ne ſumma quidem rerum cognitio ab impoſtorum

ſolertiis præſtat immunes. Verſutia, & quæ uni deſudat ſibi, induſtria thronos ſtipat; recedit inde fides, quoniam neque Aulæ anhelat officia, neque gratiam prenſat, neque ad adulationem ſe novit componere. Non obtrudere ſe vir bonus, ſed expectare requirentis operam ſolet; quam quotusquisque Principum impendit? contra verò ad audendum proſilit malitia: fraudes machinatur: ut in animos influat, ut placeat, impenſe generoſa eſt; ſimulationis artificio erudita, & vel per honoris & rectæ mentis diſpendium prono ad omnia ſtudio, ne quid ejus, qui dominatur, libido deſideret. Ah Regem miſerum, cui nullus adversùm improborum artes locus! occidit, niſi rejectis aſſentatorum lenociniis aures & animum illi dedicabit, qui liberè confitetur verum. Ita ego tunc mecum, recenti malo admonitus omnium, quæ unquam ex Mentore perceperam.

Oaſin ſolitudinem vocant, montibus horridam, in quam me cum mancipio iniquiſſimus iudex dimiſit, futurum in cuſtodiendo pecore, quo abundabat, ſocium. Hìc rupto ſilentiô Telemachi ſermonem interpellans Calypſo: & quid tum agebas, inquit, qui mortem ſervituti præferebas in Sicilia? Augebatur in dies (ita ille) mea calamitas; & ne miſerabile quidem illud ſolatium aderat, quo ſervitutem cum morte compararem. Cogebar ſervire, & quaſi univerſas fortunæ clades accipere. Spes tota me deſeruit. Et quid tunc vel mutire pro libertate utiliter potui, iniquo homine ad omnia diligenter obſurdeſcente? Æthiopibus ſe venundatum Mentor ſubinde narravit, atque ita in eorum terras veniſſe.

Ego verò in deſerta perveni omni vaſtitate affecta. Steriles campi jacent obruti fervente ſabulo, & exurente veſtigia. Inde (quod mireris) nives cernere eſt, eáſque perpetuas, quæ montium occupantes cacumina æternæ hyemis rigorem ſervant. Itaque non aliàs niſi intra petrarum ſinus, armentorum pabulum gignitur. Quà ferè ad interiora prærupti omnique aditu circumciſi montes coëunt, dirimuntur vallibus, quas humilior ſitus propè ab aſpectu ſolis depreſſit.

Paſtores tenent vaſtiſſimam regionem (neque enim tunc aliud inveni hominis veſtigium) ſed & ipſi incultis moribus, & à loci, quem colunt, aſperitate nihil diverſi. Ergo noctes lacrimis, quas affundebam ſorti meæ, dies autem commiſſi pecoris cuſtodia exacti, ne haberet ibi ſervientium præcipuus, quod in me tam inhumano quàm rerum ſuarum cupido furore notaret. Quippe ex perpetuis aliorum accuſationibus, quibus occupabat aures Domini, liberum ſe ſperabat fore, gratúmque illi ſtudium, quod contentio pro rebus ejus accenderet. Buti erat nomen.

Tum quidem adeò ingraveſcebat fati mei calamitas, ut mirari debeam, non oppreſſiſſe. Fortè dolendi magnitudine fatigatus, ſecurúſque cuſtodiæ, juxta cavernam in virentem humum languentes artus projeceram, mori perſeverans, quoniam non audebam deinceps tot mala ſuſtinere: Cùm montes commoveri, relictis ſedibus ſuis viſæ pinus & ilices deſcendere, torpere venti. Vox deinde humanâ gravior ex antro emiſſa: Fili Ulyſſis, cujus exemplô dura ferendô comparabis gloriam! felices eſſe parùm merentur Principes, qui nunquam

ſuerunt infelices: privat eos mollitia viribus, ratione ſuperbia. Næ tu beatus eris, ſi victor ſortis tuæ, nunquam memori animo illam ſinas effluere. Ithaca te, nomen tuum ſidera excipient. Vitæ necisque aliorum ſubinde dominus, cave obliviſcaris ſtatum hunc tuum, in quo infirmus, egenus fuiſti, eorúmque afflictus ritu. Ama ſublevare miſeriam: tuos dilige: adulatores preme. Denique eundem affectionum tuarum & gloriæ tuæ modum futurum crede.

Intimos animi ſinus intrabat non expectatum Oraculum, novóque voluptatis ſenſu perfuſum erectúmque eum confirmavit. Neque enim, qui Diîs cum homine loquentibus agentibúsve rigore percellit venas, me horror invaſerat. Surgo præſens animi; ſupplex & elatis etiam manibus Minervam colo: illi quippe gratiam reſponſi me exiſtimabam debere. Mirabar alium in me Telemachum, illapſum rationi lumen, alacritatem periucundam ad coërcendos impetus animi, & impotentiam indomitæ iuventutis. Inde cœpi omnium paſtorum hisce ſterilibus in locis florere gratia. Demum agendi facilitate patientiáque, ac quæ incumbebant, præſtandi religione etiam Buti illi effero, & ab autoritate inter ſervitia inſolenti, ipſâque ſervitutis meæ initia crudeliùs aggravanti, ſatisfeci.

Ad leniendam ereptæ libertatis & humanæ conſuetudinis moleſtiam petebam à libris auxilium. Dolori enim ſuccubueram, quoniam ratio nulla ſuppetebat, quæ aleret foverétque hunc ſpiritum. Felices, dixi, quos indomitæ voluptatis non obtrivit impetus, quíſque illecebris expertem vitam iu-

cundè

eundè nôrunt traducere. Felices, qui erudire ſe præceptis gaudent, & acuere doctrinis ingenium. Quoquò gentium adverſâ fortunâ expulſis, qui occupari legendis libris queunt, nunquam deeſt temporis belliſſimè fallendi ſubſidium, & prævertendæ, quacum vel in ipſo voluptatis amplexu inſcitia conflictatur, moleſtiæ. Felices iterum, quibus curæ libri & (quod abeſt mihi) in promptu ſunt. Inter has cognitiones me in ſilvam denſis arboribus immiſi. Et ecce ibi hominem, qui ſenium vultu, librum manu præferebat!

Frons illi eminentior & ſpoliata pilis, rugisque leviter deſcripta. Ad cingulum, quo lumbi coërcebantur, promiſſa barba candida dignitatem proceri corporis augebat. Ipſa oris ſpecies eâdem adhuc ætate viva & rubicunda; oculi acuti, nec torpentes gravitate; denique vox lenis, & ob ſermonis, quo utebatur, ſimplicitatem auribus ſuaviter ſe inſinuans. Non aliàs virum ætate magis venerabilem ſe meminerunt videre hi oculi. Thermoſirin ſe dicebat, & in templo, quod ex marmore ſtructum Divo nemoris Præſidi dedicâſſent Ægypti Reges, ſacerdotis officiô Apollinem colere. Hymnos Deorum, compendio ſucciſos, in librum, quem ferebat, congeſſerat. Salutabar amiciſſimè: collatóque ſermone res geſtas tam apertè recenſuit, ut non tam auribus quàm oculis, tam non prolixè, ut nunquam cum faſtidio acceperim. Acutè intuebatur futura. nec hominum ingenia ignorabat, nec quæ ab ipſis poſſent effingi. Altiſſimæ rerum cognitioni animum adeò ſerenum iunxit, adeò indulgentem, quem (etſi hac ætate) nec ipſe feſtiviſſimæ iuventutis lepos aſſequatur.

Illud

Illud omittendum, non eidem cordi fuiſſe homines ætate florentes, in quibus eruditionis & gloriæ vigebat deſiderium.

Me certè protinus eximia charitate eſt amplexus. Libros, afflicto ſolatium, dedit. Filii etiam compellatione in me auxit fiduciam. Ego verò ſæpius ad ipſum: Pater, aiebam, Dii non nullam miſericordiam mihi impertivêre. Ablati Mentoris in te fidem, in te præſidium reddiderunt. Neque ego virum illum Deorum ſpiritu dubito valuiſſe. Orphei certè, Linive imaginem præferebat. è memoria mihi pronuntiabat, quos compoſuerat, modos. Aliôsque tradidit haud ita paucos, qui ex optimorum poëtarum vena propitiis Muſis fluxerant. Simul atque longa & inſoliti candoris tunica indutus ebur lyræ ſollicitabat manu, exciri tygres, urſi properare, Leones accurrere, adulari, pedes demulcere linguâ: proſilire è nemoribus Satyri, & iucundo ſaltu coronare. Ipſæ adeò arbores moveri viſæ; poſitâque aſperitate ad numerorum ſuavitatem petræ avidiùs imminere. Deorum magnitudo & excellentia erant, quæ celebrabat cantu. Aliàs illuſtrium virorum fortitudo perſonare iuſſa, atque eos demum ſapere, qui voluptati gloriam anteponerent.

Frequenter hortabatur, animum erigerem; nec Ulyſſi defuturos Deos, nec Ulyſſis filio. Ad ultimum aſſeverabat etiam, futurum per me, ut (quod factum ab Apolline) Muſas gregibus diſcant paſtores coniungere.

Iupiter, inquit, occupato ad aureæ lucis detrimentum fulminibûs cælo Appollinem offenderat: cùm iſte auctores fulminum Cyclopes telo conficit,

vit, doloris ſui opportunam victimam. Extemplò vacare turbinibus ignium, flammarúmque procellis Ætna; ceſſare horror malleorum, quibus afflictis ad incudem impreſſæ telluris viſceribus cavernæ, pelagíque profunda remugiebant. Rubigine ſquallere ferrum, æra in ſcabiem incidere, à qua illa vendicare poliendi induſtriâ Cyclopes conſueverant. Ergo ex fumigantis officinæ ſuæ faucibus proſilit Mulciber; quanquam rigentibus altero pede nervis, turbulentè in Olympum eluctatur. Pulvere ac ſudore perfuſus adit conſcripta Numina: graviſſimis querelis omnium aures obtundit. Indignitate rei commovetur Iupiter: proſcribitur reus: Apollo in terras detruditur. Hærebat, quo vehebatur, excuſſo rectore currus, ſponte omiſſis deſtinatis curſibus, quibus dies & noctes, ſtatæque vices temporum demenſæ. Extinctum vetuſtum decus, radii. Tam ſubita rerum mutatione compulſus Apollo, dignitatem Numinis cum paſtoris habitu, æterna Iovis palatia cum Admeti caula mutavit; paſcendoque pecori eius deinceps intentus, ludebat fiſtula. Nemo paſtorum fuit, quem non traxerit ad fontis liquidi, multáque ulmorum amœnitate inumbrati, margines cupido cantus eius audiendi. Atque illi adhuc feram agreſtemque vitam ducebant, quíque greges agere, lanam deſecare, exprimere lac & expreſſum cogere noverat, omnes ruris artes credebatur exhauſiſſe. Quædam etiam eremi aſperitas omnem agrum invaſerat.

Igitur Apollo, quæ ſimplicem ruri vitam expetibilem quoque facerent, incolas edocere non diſtulit. Nunc florum pulchritudinem, nunc odorum

præ-

præſtantiam, quarum altera Veris dignitatem, altera delicias adiuvaret; nunc enaſcentes ad mollienda euntinm veſtigia herbas canebat. Quanta æſtivos dies exciperet iucunditas noctium, quæ lenes Zephyros, quæ dulces è cælo rores (illos æſtu fatigatis hominibus, iſtos vapore ſolis arentibus terris ſolatium) adveherent, memorabat. Aliàs pomorum pretia, quæ Autumnus mercedi parturit agreſtis induſtriæ, aliàs brumale otium extollebat, quod conſuetis ad focos ſaltibus iuventus tolerabiliter petulans agit. Sylveſtres denique umbras illuſtrabat cantu, quæ montium iugis vallibúsque incubantes, nocturnam interdiu ſcenam protrahunt; Mæandrô licentiùs oberrantibus rivis, atque ridenti prato liquidum ſpectaculum infundentibus. Atque ita quàm bellè ruri vivere liceat ad ſimplicis naturæ oblectamenta non rudem guſtum afferentibus, oſtendit. Et facilè intellexêre quantumlibet agreſtes diſcipuli, ipſam adeò fiſtulam regum ſceptris potiorem. Ingenuæ voluptates, quæ auratas Principum aſpernantur domos, commigrabant in humiles caſas non ſingulæ, ſed per turmas intruſæ. Quocunque caſtiſſimæ gregum cuſtodes tulerunt gradum: eas Amores, Riſus, Gratiæ, ſequebantur. Dies ſingulos percurrêre paſtorum Hilaria. Una deinceps oblectatio aurium erat vel ex lepidiſſimis avium garritibus, vel quam aſpirabant dulces Zephyrorum animæ, motis arborum ramis leniter colluctantes, vel quam ſuſurri perennium & de petra cadentinm aquarum movebant, aut ruſticanæ Iuventutis moduli, cùm ſequebatur Apollinem, à benignè obviis Muſis inſpirati. Ille porro ex

æmula

æmula currendi velocitate palmam, ille damas cervóſque iaculîs inſectando ſylveſtrem referre prædam docuit. Iamque adeò ſuper his Deorum invidia tentari cœperat, amplitudinem ſuam, quantalibet pollerent in aſtris, novo vivendi inſtituto inferiorem ducentium. Itaque, ne mortalibus Olympus vileſceret, revocatus ab exilio Phœbus ordinem ſuum recuperavit.

Ex quibus tu quidem, mi fili, quoniam urgeris Apollinis fato, quid agendum tibi, intelliges. Age! ſolitudinem ſolitudini detrahe. Fac etiam deſerta emicent in florem, & diſcant gignere ſterilia. Fac, audiant, qui præſunt gregibus, quàm non inanes ſint, in aures abſque diſcordia influentes numeri; mitiga efferatos animos: propoſita virtutis pulchritudine trahe. ſentiant per te, quàm non iniucundum, imò quàm beatum ſit guſtare voluptates innoxias, ſolitudini domeſticas, ruri ſempiternas. Erit, mi fili, erit, cùm debilitatus ægritudine, cùm laceratus miſerabilibus curis, quibûs fata referſêre Purpuram, deflebis agreſtis vitæ, quam damnas modò, iacturam in magnifico & ſuperbo ſolio.

Hæc elocutus fiſtulam mihi tradidit, cuius ea fuit, cùm inflaretur, ſuavitas, ut, quia multiplicati repercuſſis montibus ſoni latiùs ſe diffundebant; mox è finitimis paſcuis alliceret, qui novum Muſicum circumſtitêre. Erat Divina quædam vocis meæ concentio. Arcani quoque impetus inceſſebant, quibus velut alienatus animus ad prædicandam amabilis naturæ in agros & paſcua beneficentiam incitabatur. Diem integrum & noctem multam occupabant coniunctæ noſtræ omnium voces. Caulæ gregíſque obliti, quaſi ſtupor quidam ſuſpendiſſet men-

mentem, in eodem veſtigio hærentes me ſtipabant, cum erudirentur cantu. Deſertum in deſerto abeſſe credidiſſes; abſtersâque feritate aliam planè eámque iucundiſſimam faciem illi loci induerant, ab incolarum iam clementibus ingeniis quaſi miteſcente terra.

Inter hæc ſæpiùs itum unà cum victimis ad Apollinis templum, in quo Thermoſiris Sacerdotio fungebatur. Procedebant lauro redimiti comites. Sequebantur ex iisdem paſcuis puellæ, quæ cingentibûs floribûs, ſaltûque hilares muneribus onerabant verticem, quæ Numini voverant. hîs peractîs ad apricum celebrata ſacrificiorum ſolennia. Inter convivantium cupedias fuêre caprarum oviúmque uberibus manu noſtra expreſſum Lac; ex pomis dactyli, ficus, uvæ, & ipſæ recèns à nobis lectæ. Accumbentibus torum ceſpites præbebant, umbram multa fronde arbores, ah! quàm illâ, quæ ab Regum, auro conveſtitis, laquearibus proiicitur, gratiorem!

Fortè Leo urgente atroci inedia in gregem meum ſeſe ferocius immiſerat. Ea res ſplendorem famæ, qua in agreſti gente magnus cæperam haberi, omnibus numeris abſolvit. Quippe ingentem ſtragem ineunti fortiùs, quàm ab armis tutiùs (virga enim mihi erat vix cogendæ capellæ ſufficiens) occurrebam. Ille fluentem collo iubam ſurrigere, renidere efferatis dentibus, parare ungues, aridis æſtuque accenſis faucibus immanè dehiſcere. Fulgurabânt oculi, velut cruore ſuffuſo, flammíſque terribiles. Flagellabat iam hoc iam alterum latus protenſa, & impetu atroci retorta cauda. Aggreſſus hoſtem in terram afflixi, conficiendus ſanè,

ſanè, iturúsque in fruſta, niſi lorica, qua ex paſtorum in Ægypto more induebar, obſtitiſſet diſcepturo. Ter deiectus, ter reſtaurato furore inſiliit tanta atrocitàte ſublatî fremitûs, ut nemora compleret. Tandem coactum in lacertos, præcluſis faucibus. oppreſſi; monueruntque teſtes relatæ victoriæ, ſocii, ut interfecti adeò terribilis & animalis & adverſarii exuviis inſolito pugnandi genere nobilitatos artus operirem.

Non continuêre ſolitudinis ambitu ſeſe, quæ geſſeram. Omnem regionem Ægypti, deinde Seſoſtris etiam palatium fama pervaſit tanti facinoris, & emendatæ, meo tum exemplô tum magiſterio, rurî diſciplinæ. Compertô itaque Rex, alterum captivorum (ùt crediderat) Phœnicum ætatem auream induxiſſe ſterilibus et humanum cultum propè reſpuentibus locis, accerſiri me iuſſit. Afficiebant Regalem animum moduli, & quidquid ad inſtituendas mentes hominum facit. Adſum: audior: placéo. Atque ille intelligens, ſe circumventum Metophis avaritiâ, eum æternis tenebris vinculíſque mandatum privavit omnibus, quæ poſſidebat per ſcelus. Et, quàm malè, inquit, eſt imperantibus! quoties veritas fallit eorum vel apertos oculos! videlicet à latere ſunt, qui illam reiiciunt à Principis aditu, qui ex ipſa orationis, qua utuntur ad Reges, vanitate aucupantur fœnus; qui ita temperare didicerunt flammas ambitionis, ut boni publici ſtudio videantur ardere; qui ſimulant à ſe amari Regem, quamquam unam Regis ament, ſi largiatur, manum. Amant vero? Imò dum captat gratiam blanditia, prodimur perfidiâ.

Mira deinde facilitate converſus ad me ſtatuit,

navibus inſtructum militibúsque, in patriam remittere ad liberandam ex amantium manibus Penelopen. Iam parata claſſis erat, iam omiſsis ceteris urgebamus abeundi propoſitum. Tunc verò mecum admirabiles fortunæ impetus perpendebam, ſubitò revocantis ad faſtigium, quos depreſſit infra ceteros. Iam ſperare etiam audebam ex hac rerum varietate, genitorem poſt difficillimos & tot annorum caſus reverſurum ad ſuos. Neque illud omiſi, facere quoque fortunam poſſe, ut Mentorem recipiam, quanquam tum in extremas & ab hominum cognitione ferme remotas partes Æthiopiæ abductum. Atat dum morulam ſolvendi facio, ut diligentiùs de illo rumores colligerem: Seſoſtris extrema ætate improviſo fato extinguitur. Et hoc eſt, quod telam calamitatum mearum retexuit.

Tanti, omníſque ætatis ac memoriæ clariſſimi Regis obitus totum imperium afflixit non officioſo ſed vero dolore, quémque nulla ratio videbatur poſſe abſtergere. Domus nulla fuit, quæ in Seſoſtre non deſiderârit amicum verè bonum, tutorem præſentiſſimum, patrem. Viri ætate, ſed tum mœrore magìs confecti, manus proiiciebant cœlò, potius cùm eiulatu quàm gemitu: Nunquam, ah! nunquam meliori domino Ægyptus paruit. Et quando, eheu! quando parebit meliori? Decuit, o boni Superi! decuit hominem talem aut nunquam terris dare, aut nunquam auferre. Et quid nos eſſe voluiſtis Magno Seſoſtri ſuperſtites? Deſpera patria (iuniores ſuſpirabant!) patres noſtri felices, quibus licuit Rege tam bono ſeneſcere. Nos eheu! illum duntaxat vidimus,

mus, ut amiſſi eius acerbum deſiderium relictos exhauriat. Ploratu, lamentíſque & planctibus purpuratorum non dies, non noctes vacavêre. Ipſos quadraginta dies tractæ exequiæ, infinito longinquarum etiam gentium concurſu celebratæ. Omnium oculi ſupremum funeris obtutum, imaginem eius captabant animi. Neque pauci fuêre, qui conſtituebant mori.

Ad doloris & iacturæ incrementum accedebat Bochoridis, quem in ſpem regni ſuſceperat, ingenium. Neque enim aut in peregrinos facilis, aut avidus litterarum fuit. Virtutem parvi ducebat, minoris gloriam. Indignum ſceptrô reddidit patriæ magnitudinis excellentia. Voluptatibus innutritus, ſaginatúsque, & compoſitus ad belluæ ferociam, nullo loco humanum nomen habuit, ratus, mortales reliquos eius duntaxat causâ animam accepiſſe, ideóque viliorem ſuâ. Libidinem explere, immenſas opes, illam pecuniam paternâ & ſanctiſſimâ curâ futuris neceſſitatibus præparatam conficere, affligere ſubditum, iniquiſſimis iudiciis miſerorum ſanguinem exſorbére, adorare ſtolida placita vecordiſſimæ iuventutis, quæ ſtipabat latus eius, cum ignominia pulſis, quos tum ætas venerabiles effecerat, tum quòd Seſoſtris ſeſe iis commiſiſſet: hæc ferè ſunt, ad quæ Bochoris omni cogitatione ferebatur. Non Rex, ſed monſtrum erat. Eâque res omnibus futuris ſubditis eius argumenta gemendi cumulavit. Et quanquam ob reverentiam paterni Nominis, univerſæ Ægypto tam cari, tam ſancti, ignavos & immanes filii mores tolerarent, exitio tamen obviam infelix ruit, recuſante throno degenerem hæredem diu pati.

 Cete-

Ceterùm aſpectum patriæ mihi ſperare deinceps haud licuit. Qua mare terras alluit, detinebar in cuſtodia, turri incluſus ad Peluſium, unde ad meos rediturus fueram, niſi Seſoſtris occidiſſet. Ea nempe fuit Metophis ſolertia, ut non libertati modò, ſed Regis etiam gratiæ fuerit reſtitutus. Igitur ut dolorem ſuum expleret ob defuncti Principis offenſam, cui ipſum obieci, eò perduxit rem, ut illa mihi decerneretur cuſtodia. Ergo dies noctéſque mœrori datæ. Thermoſiridis vaticinia, divina ex ſpecu reſponſa vanitatis, qua nocturnæ imagines nobis illudunt, damnata. Iacebam incredibili quadam triſtitia deiectus. Proſpectus in mare dabatur, fluctus infimæ turri, in qua eram, advolvens. Naves plerumque aſpexi, maris intemperie agitatas, & fortè perituras ad rupem, cui turris incumbebat. Quibus in præſenti licèt exitio palantibus tantùm abeſt, ut condoluerim, ut magis vicem, quam patiebantur, inviderem. Aut quamprimum ad fati ſui terminum, (ſic cogitabam) aut in patriam pervenient; eheu! ad neutrum ego.

Dum animum iſtis impendo, dum inutili ægritudine conficior: ecce tibi oculos in nemus quoddam arbitrabar incidiſſe eminentium è navigiis malorum. Tumebat opertum carbaſis mare, concepto vento; & quàm numerari queat, frequentiùs everberatum reiectabat ſpumas. Obruebat me allapſa omni ex parte vocum confuſio. In littore incolarum multitudo erat; palantes alii, & diſcurrentes ad arma, alii velut in occurſum conſpectæ claſſis hoſtium effuſi. Tyrii eam, Cypriíque conflaverant; quæ res nec ad momentum me fefellit,

ad

ad rei nauticæ notitiam experientiâ malorum ſenſim erudiente fortunâ. Videbantur eminus proſpectanti non eadem ſentire, aut velle Ægyptii. Et ſanè haud difficulter in eam cogitationem ſum ingreſſus, imperandi vecordiam alienâſſe à Bochoride ſubditorum animos, ſeditionſque ac inteſtino bello ſubieciſſe flammam. Factum, ut pugnam plenam ſanguinis ac cædis ex alto ſpectaverim.

Iamque ope ſua expoſitis, quæ popoſcerant, peregrinarum gentium auxiliis Ægyptii aucti, populares ſuos invadunt. Nimirum Regem iſti ſequebantur, qui fortiter excluſo metu incitamento ſuis fuit. Martem dixiſſes, aut Martis æmulum. Sanguinis rivi circùm dimicantem fluebant. Atri cruoris ſpumæ rotas quadrigæ eius aſperſerant, per aggeſtos paſſim obtritorum, convulſorúmque cadaverum cumulos ægrè moliendas. Neque ille, quippe florentibus annis, ingenti & firmo corporis habitu, imperioſis denique & truculentis moribus, promicantem ex oculis furorem, atque deſperationem diſſimulare potuit, præſtanti equo non abſimilis, cuius contumacia domantium operam fatigat. Inferebat eum in aperta diſcrimina fortitudo animi, ceterùm quàm incauta, tam moderandi non patiens. Nec erroris iam commiſſi damnum reſarcire, nec mandata certa dare, nec quæ inſtarent mala, noverat proſpicere, nec mitiùs agere cum iis adeò, quibus carere non poterat. Quæ quidem haud crimina fuêre minùs boni ingenii (quippe non fortiori animo, quàm acriori mente pollebat) ſed ſimpliciter ei indulgentis fortunæ. Indolem quoque pueri probam, doteſque

raras adulatione (peſtifero diſcentium malo) depravârunt, quibus tradebatur in diſciplinam.

Regnandi licentia iuxta, ac ſortis quæque illi annuentis corruptus obſequio, exiſtimavit nihil eſſe quantumvis iniqua & impotentius deſideranti opponendum. Momènti unius mora, ſi quæ iniiciebatur, iram eius accendit; neque tunc petebat à ratione conſilium, ſed quaſi amens ferebatur. Superbiæ furor abiecerat eum ad vilitatem, quam in brutis vel contemnimus vel formidamus; quáſque debebat naturæ beneficio, bonitas & ſana ratio puncto temporis deſtituebant impotentem. Quid? quòd ſervi, quorum alioquin eminebat in Regem fides, & ipſi cogebantur aufugere, illis tantùm perſeverare auſis, quos nefandum inhoneſtiſſimis cupiditatibus adulandi obſequium à furentis impetu præſtabat immunes. Quæ res fecit, ut ſemper, quæ verè & maximè repugnabant ſaluti, eligeret; viris optimis eò denique adductìs, ut tantam agendi vecordiam averſarentur.

Ille quidem effusè in ſe fluentem hoſtium multitudinem non fortiùs minùs, quòd diutiùs ſuſtinuit. Ad ultimum tamen impar temeritas occidit. Vidi hìsce oculìs pereuntem. Sagitta pectus eius transfixerat excuſſa Phœnicis manu. Itaque dimiſſis habenìs, quibus ſe trahentes equos moderabatur, è curru infra pedes equorum ſuorum præceps ruit. Confeſtim ex Cypro miles cadaveri gladio caput dempſit, crinibusque raptum univerſis victoribus velut in triumpho ſpectandum exhibuit.

Hærebit me hercle, quamdiu reminiſci dabitur, intimis medullis affixa ſpecies, quam à cervicibus revulſi

revulſi capitis aſpectus impreſſit. Ut manabat cruore & ſanie! ut oculi clauſi & offuſa caligine! vultus pallore deformatus, labia diſtorta, & quaſi incœptum verbum fædè hiantia! ut in exanimato corpore adhuc perſeverabat immanis geſtuum ferocia! Nunquam ſanè hæc horroris plena imago meos oculos fugiet. Et ſi aſtra mihi conceſſerint potiri regnô, tam miſerabilis exitii ſpectator & teſtis identidem admonebor: Tantum imperandi merito, tantum felicitati potentiæ ſuæ reges detrahere, quantum imperio ſanæ rationis. Ah! miſerum hominem, qui deſtinatus in incrementum publicæ ſalutis, ab una deſtruendæ eius licentia poteſtatis ſuæ argumentum petit.

TELEMACHUS.

LIBER III.

TAnta loquentis Telemachi ſapientia Deam admirationi immerſerat. Omnium maximè probabat, nihil celare iuvenem, quæ ſeu immaturitate conſilii peccaverat, ſeu eorum, quæ Mentor olim ſuaſit, neglectu. Vulgo quippe maioris & præſtantis animi ſpecimen erat accuſare ſe, & (quod videbatur) ex inconſultè geſtis conſultè, moderatéque agendorum rudimentum elicere. Unde illa: perge, amabò. Fac intelligam ex te, quemadmodum ex Ægypto evaſeris, atque hoc, tam cauto rerum, amico (Mentorem aſpiciebat) poſt graviſſimas iacturam eius acerbiùs dolendi cauſas denuo ſis auctus. Hìc Telemachus inſtaurato ſermone: Cum numerô multis partibus

inferiores eſſent, quorum probitas & fides in Bochoridem perſeverabat, cedendum erat multitudini; utique cum occiſo rege deſiderarent, quem ſequerentur. Imperii inſignia Thermuti data. Phœnices iuncta cum Rege novo amicitia, redditísque ab eo omnibus, quos ſive Seſoſtris, ſive Bochoris exceperat, cum Cyprio milite revertuntur. Ego, habitus quaſi ex eadem gente, dimittebar ex vinculis, unaque cum reliquis imponebar navi, veriſſima ſpe animum, ex quo diffluxerat, repetente.

Iamque vela propitium à puppi ventum conceperant; Sublatis anchoris everberati crebro remorum impetu fluctus concitabantur in ſpumas: tenebant altum provecta navigia; creſcebátque nautarum clamor, qualem re bene geſta ſolemus edere. Auferebantur è conſpectu littora, in planitiem paulatim montium iuga decreſcebant; quæque verſari ob oculos cœpêre, aut pontus, aut æther erant: Cùm oriens Phœbus quaſi Scintillantem, ſuperbumque flammis apparatum videbatur ex undis admovere, ac quod neſcio pretium ſpeciémve auri montium culminibus, quæ nondum Horizon abſorpſerat, aſpergere. Ex reliqua cœli facie, quæ cœrulea erat, caligini non nihil favens, omninabantur, placidum mare navigantibus fore.

Quanquam autem ſaluti mihi fuerat, pro Phœnice haberi, tamen in omnium, quibuscum eram, Phœnicum ignoratione verſabar. Narbal præerat navigio, quod iuſſus eram conſcendere. Ille nomen & patriam ſcire volens, cuius in Phœnicia oppidi civis eſſem, interrogat. Negabam me Phœnicem eſſe, ſed ab Ægyptiis, cùm Tyria navi veherer, interceptum.

Apud

Apud eos (perrexi) re quaſi vera hoſtis detinebar in cuſtodia, fuítque mihi & diuturnæ moleſtiæ & ab ea libertatis cauſa Phœnicis nomen. Cuias igitur eſſem, rogatus; Telemachus ſum, dixi, Ulyſſis, cui ſubiecta vel eſt, vel erat Ithaca Græcorum, filius. Populatorum Troiæ nemini claritudine nominis deceſſit genitor. Sed adhuc Deorum voluntate arcetur à patria. Terra maríque perquirebam: at in calamitatem eius incidi. En! hominem, in quem incumbunt omnia fortunæ odia, à qua tamen nihil præter unum conſpectum patris meorúmque efflagito.

Præfectus ſtupere, me intueri, arbitraríque, ſe neſcio quid in me obſervare, à Diis ſolis, nec quibusque hominibus ſolitum dari. Erat illi tam à vulgo quàm à ſimulationis arte remotum ingenium. Itaque tactus dolore meo familiariùs cœpit mecum agere; Deorum inſtinctu, credo, ut, quod graviſſimum impendebat capiti meo periculum reiiceret. Quæ tu mihi, Telemache, aiebat, ſuſpecta non habeo; ſed nec habere potuerim unquam. Id lenitas, id virtus prohibent, quas luculentos teſtes ore tuo circumfers. Imò, quos adhuc amavi Deos, favere tibi ſentio, velléque, ut in Narbale habeas patrem. En ſalubre conſilium, quod gratis dabo, niſi celari quòd velim. Securum ego iubebam eſſe, aſſeverans facillimum mihi, rebus, quæ mihi committerentur, præſtare ſilentium. Etſi parùm ætate, plurimùm tamen me proceſſiſſe conſuetudine tum ab aliorum conſcientia removendi interiora mea, tum maximè quocunque titulo foràs non efferendi cognitioni meæ impertita. Eo deinde percontante, quemadmodum ita teneros

annos hac virtute inſtruxerim aſſerentéque, fore ſibi pergratum intelligere, qua ratione tacendi artem, illud ſapienter vivendi rudimentum, illud unicum ornandi animi ſubſidium, perdidicerim; hunc in modum reſpondi:

Ulyſſem, cùm Troianæ expeditioni ſe accingeret, ſinu me ulníſque excepiſſe narrant, collóque tenerrimè admotum, quanquam infantem, ita compellâſſe: Utinam nunc ultimò te, nate, videam! utinam, quod vix cœpêre, ſtamen vitæ tuæ atræ Sorores inciderent, neque aliter quàm recèns orti floſculi ætatulam ſecarent! utinam ſive hoſtes mei ſive inimici te, inſpectante genitore, præſente genitrice dilaniarent in fruſta, ſi quando futurum Aſtra præviderent, ut à patris virtute degeneres! Filium meum vobis, amici, (nam & hos alloquebatur) filium tantopere dilectum trado. Infantiam eius curate. Procul, ſi me amatis, procul à puero aſſentationis peſtem reiicite. Diſcat ex vobis triumphare de ſe ipſo. Tenello arborum generi ſimilis eſt, quod ne deflectat, dum adoleſcere incipit, flectitur. Præ reliquis illud, obſecro, quod iuſtitiam, quod beneficentiam, quod candorem, quod fidem arcanorum ingenerare tenello animo poſſit, ne intermittite. Neque enim aut mendax meretur vivere, aut arcani proditor imperare. Propterea id refero, quia magna omnibus cura fuit paterna documenta mihi inculcandi; eáque adeò non leviter inſedêre animo, ut poſtea nihil æquè ac Ulyſſis præcepta memoria frequentaret. Neque amici, quibus me parens crediderat, cùm ætas pateretur, ſegniter diſcipulum uſu tacendi ſecreta exercuêre. Illi longè adhuc infra ephebos balbutienti dolorem

rem impertire, quem ex præſenti, & matri ob temeritatem magno numero ambientium nuptias imminente, periculo conceepiſſent; illi ex eo iam tempore mecum agere, quaſi cum pôtente rationis, & cui omnia tutò committi queant; conſultabant me præſente de rebus graviſſimis: exponebant, quo conſilio decreviſſent ſubmovere procos. Ego, cùm fidei meæ tantum viderem credi, geſtiebam veriſſimô gaudiô, neque dubitabam, iam firmam, & grandibus maturam rebus mihi ætatem eſſe. Nec perverſe utebar hominum in me fiduciâ. Taciturnitatis leges ea religione colebam, ut nec verbum ſecretorum damno unquam hoc ore exciderit. Equidem qui genitrici moleſti ob amores erant, non ſemel nec leviter tentabant rude ſilentium ea ſpe, proditum iri à me, ſi quid paulo maioris momenti pueriles hoſce vel oculos vel aures advertiſſet. Sed eluſi operam ea dexteritate, ut reſpondendo nec vitium veritati, nec palàm facerem, quæ celare oportuit.

Hactenus ego. Tum Navarchus: quæ ſit Phœnicum potentia, facilè coniectabis, Telemache. Claſſes habent finitimis terribiles; protractis ad ipſas Herculis columnas mercimoniis adeò quæſtuoſi, ut nec illuſtriſſimis feliciſſimíſque gentibus debeant invidere. Seſoſtris ipſe (quantus Rex!) eos marî nunquam vicit, terrâ non ſine maxima ſua vexatione & quanquam Aſiæ domitore inducto exercitu. Tributum imperavit, ſed nobis recuſantibus oppidò caducum. Rerum, copiarúmque abundantia, quæ Tyrios beabat, ordinem nec diu nec leviter tulit. Excuſſo ſervitutis iugo ad libertatem reditum eſt. Bellum, quod Seſo-

Seſoſtris propterea nobis faciebat, fata prohibebant finire. Et profectò nulla erat calamitas, quam amolientibus iugum facultas virium eius & maximè conſiliorum, inferre non potuiſſet. At extincto patre ubi ad filium devolutæ res ſunt, plumbeum ſanè & ad ſapientiam nihil eruditum hominem, rectè ſtatuimus, licere nobis iam eſſe vacuis metu. Neque deinceps Ægyptii agros noſtros intravêre cum armis, ut revocarent ad obedientiam. Quid? quòd nos vocare in auxilium adverſus impium & crudeliter imperantem Regem debuerunt. Modò hoſtes eorum, nunc liberatores ſumus. Quantum inde libertati noſtræ decus, quanta opulentæ Phœniciæ gloria!

Verùm enim quibus libertatem ſuam Ægyptus debet, ſervimus ipſi miſeram ſervitutem. Eſt ſanè Telemache, quod metuas, in Pygmalionis, qui nobis imperat, ne inferaris manus. Etiamnum illæ Sichæi cruore ſordent, quem ex matrimonio cum Didone Sorore affinem habuit. Didonem facta mariti cæde deſiderium vindictæ cum claſſe Tyrô abſtràxit, plerisque, quos virtutis amor libertatísque trahebat, proſequentibus viduam. Illa oram Africæ nobilitavit condita urbe, quam Carthaginem vocant, magnificentiæ illuſtriſſimum exemplum. Interim Pygmalioni calamitatem & ſubditorum invidiam infinita rerum cupiditas, qua incenſus eſt, magis magîsque cumulat. Divitias habere crimini civibus ducitur. Diffidentiâ & ſuſpicionibus tyrannum implet opum eſuries & humanitate paulatim exuit. Odit divites; pauperes metuit.

Sed longè graviori ſcelere ſe ex Tyriis cenſentur

tur obſtringere, qui virtuti ſtudent. Pro certo enim ponit, iniquum & tot nefaſta perpetrantem bonis intolerabilem eſſe. Damnat ſceleſtum probitas, cui graviſſimè iraſcitur. Nihil eſt, quod non agitet, non perturbet, non torqueat miſerum. Ad umbram ſuam trepidat, per diem vigilanter anxius, per noctem anxiè vigil. Et neſcio, maioribúsne ludibriîs Dii cumulent, an divitiîs, quibus uti non audet. Moratur omninò felicitatem eius, quòd anhelat felix eſſe. Dolet vel obulo theſauros minuere, nêve tantillô careat, nunquam deſinit vereri. Augere ſua cum afflictu curat. Conſpectum hominum ſuſtinere putas? imò in infimis ædium ſuarum partibus, remotis arbitris, ſolitarius, ſquallens & afflictus torpet. Sunt, quos cognatos regis appellamus. Sed neque ipſi aſſiſtere lateri audent, ne affines eius ſuſpicionibus ſint. Immane præſidium cum ferro, haſtíſque collocatum ad fores palatii exaſperat adeundi copiam. Triginta omnino cubicula ſunt, non pluribus ſparſa locis, ſed contigua, mutuóque introrſum tranſitu. Singulorum aditus obices ſex muniunt magnæ molis, & ex ferro. His velut domeſticis carceribus ab conſuetudine hominum & forenſi luce ſe prohibet. In quonam illorum pernoctet, ſemper incertum; affirmántque nunquam duas noctes continuas in eodem cubiculo verſari inſidiarum metu. Ignorat, quid animi iucunda remiſſio, quid hac iucundior amicitia. Admonitus, ut ingrediatur dulce otium, illud ſentit longiùs divertere ab animo. Ad terrorem igneſcunt recedentes ſub fronte & omnium angulorum exploratores oculi. Rumuſculos quoſcunque leviſſimos excipit patulis auri-

auribus, totáque mente complectitur. Pallore deformis, macie torridus, atras & mordaces curas deſcribit in ruinis, nunquam rugas exuentis vultûs. Tacet ſuppreſſa voce: ſuſpirat miſerabiles queſtus ab imo trahens, nec par premendis doloribus, quibus attrita viſcera dilaniantur. Faſtidit curioſiſſimo artificio apparatas epulas. Ipſos adeò, quos procreavit liberos, aliàs firmamenta paternæ ſpei, cauſas facit metuendi ſibi; odióque capitali proſequitur. Habuêre adhucdum momenta ſingula, quæ vixit, metus & terrores ſuos. Violentiæ ſcilicet impetu ſalutem ſuam firmat; opprimítque, à quibus timet opprimi. Adeò vecors & à ſanæ rationis diſciplina eſt remotus, ut non intelligat crudelitatem, nunc unicum auxilium ſalutis ſuæ, funeſtam olim ſibi fore. Erunt denique ex purpuratis, qui æquè malè ominantes ſibi, maturabunt monſtrum iſtuc à natura amoliri.

Ego verò Deos timeo. Fixum eſt, quem dedêre mihi Regem, quidquid denique futurum ſit, nunquam deſtituere. Satius eſt, me iubente ipſo, quàm ipſum me aut cædem inferente, aut non prohibente, iugulari. Tu porrò Telemache, illud inprimis cave, ne reſciſcat Ulyſſem genitorem tuum eſſe. Alioqui abripieris in vincula, tyrannum alliciente ſpe, Ulyſſem, cùm revertetur ad ſuos, magni libertatem tuam empturum.

Tyrum appulſus egi ex Narbalis conſilio. Compertóque, verum dixiſſe, tota ingenii facultate non poteram aſſequi, qua ratione quis in calamitatem, qualis ipſa mihi Pygmalionis videbatur, ſe poſſit devolvere.

Obſtupefactus tam luctuoſo tamque inſolenti ſpecta-

ſpectaculo, cogitare cœpi: Homo iſte eò contulit omnem operam, ut felix, ut beatus eſſet. Id cenſuit aſſequendum congeſtis opibus, &, cui leges nemo auſit definire, potentia. Poſſidet, quidquid valet, ut poſſideat, deſideriô complecti. Atqui ex ipſis híscc felicitatis adiumentis infelix eſt. Mutet aulam ſuam cum paſcuis, ex quibus ego non evaſi pridem; næ ipſe perinde atque ego aget proſperé: dediſcet dolere & ægrotare animo: fruetur deliciis, quas ſine noxa Dii indulſerunt ruri: non ferrum, non venena metuet: amabit homines, amabitúrque. Non erit tum quidem in hac lauta atque bene aucta, ceterum quia eâ veretur uti, lutô nihil meliori ſorte. At erit cum libertate, lectíſque ex agro fructibus: nunquam verâ premetur inopiâ. Crediderim miſerum illum agere, quæ libent ipſi. Verùm obedienter duntaxat facit, quæ libent effrenatæ ſuæ cupidini. Iam avaritia, iam metu, iam ſuſpicionibus abripitur. Imperio videtur coërcere homines; at ipſe rebellis, ipſe indomitus ſibi eſt, tot carnificum & tyrannorum mancipium, quot effrænatis appetentiîs occupatur.

Hæc ego mecum de Pygmalione, quem tamen non videram. Nulla quippe eius videndi cuiquam dabatur copia. Præaltæ duntaxat turres illæ armatis, qui in præſidium ſunt, diu noctúque ſtipantibus ad intuentium formidinem ſpectabiles erant, infelix cuſtodia Regis ſponte & miſerabiliter captivi; utpote quibus ſe, curáſque ſuas (opes) continebat incluſas. Reputabam mecum, Tyrius iſte & ignobilis tenebrio quàm diverſus ab illuſtriſſimo Seſoſtre eſſet, qui tam facilis animo, acceſſu affatu; tam cognoſcendæ peregrinitatis avidus,

tam

tam ſtudioſus audiendi etiam ſingulos, eruendíque ex humanæ mentis receſſibus illud in aulis prodigium, veritatem. Quid Seſoſtris metuebat (pergebam mecum) imò quid erat, quod metueret? habebant eius copiam ùt ſua ipſius pignora, ita & ſubditi. Contra quid eſt, quod iſte non metuit, imò & metuat? vel in proprio palatio, quanquam adiri nequeat, inter ipſos adeò cuſtodum ſalutis vigilúmque cuneos ipſa ſibi Regis improbitas perpetuat miſerè pereundi diſcrimen. Salva erat inter infinitos populos Seſoſtris veluti patris in corona ſuorum bonitas.

Ceterùm à Pygmalione præceptum, ut remitterentur auxiliares Cypriorum copiæ, utpote debitâ ex fœdere operâ perfunctæ. Ex his Narbal captare occaſionem me liberandi ab imminente ſervitutis malo. Numerabar ergo cum Cyprio milite. Nihil enim erat exiguum & ſpernendum adeò, unde non aliquid eliceret ſuſpicionis Rex. Qui faciliùs credunt, & negligentiùs agunt Principes, peccant cæcâ fiduciâ, qua hominibus, quos charos habent, verſutis depravatíſque committuntur. Contra reus erat ex eo Pygmalion, quòd diffidebat etiam honeſtiſſimis. Homines apertos, & ſinceros, qui pro more habent agere ſimpliciter, æſtimare non poterat. Imò cum viris probis nunquam vixit. Abominatur enim perverſos Reges bonorum virorum probitas. Interea in imperii ſui curriculo in hominibus, quibus aſſueverat, tot denudavit ſimulationis veſtigia, tot argumenta perfidiæ, tot tamque nefaria, integerrimæ etiam virtutis ſpecie adornata crimina; ut deinceps perſuaderet ſibi omne genus mortalium fingere,

omnem

omnem candorem, veræque pretium virtutis univerſo terrarum orbi eſſe detractum. Unde haud aliter atque eiusdem fermè furfuris habebat, quotquot vivebant mortalium. Neque curandum ſibi putabat, detectis impoſtoribus ſubſtituere, qui abeſſent à deceptionibus. Exiſtimabat quippe, nec iſtos fore meliori frugi. Imò bonos. quàm apertè malos habebat deteriori loco, quoniam ipſi videbantur improbos non modo æquare nequitiâ, ſed & ſuperare fallacia.

Sed revertor ad mea. Adiunctus Cypriis, fefelli acutiſſimam Pygmalionis ſuſpicionem. Trepidabat Narbal metu, veritus, ne, compertô, quis eſſem, ambo multaremur vitâ. Incredibile dictu, profectionem meam quàm intolerabili deſiderio expectârit. Verùm adverſis ventis diutiſſimè detinebamur in portu.

Ceterùm perutilis mihi fuit hæc navigandi mora ad perdiſcendos mores huiusce per orbem celebratiſſimæ gentis. Mirum mihi erat, urbem Inſulæ, medio enatæ mari, commodiſſimè incumbere. Quæ vicina eſt ora, fertili gleba & pomorum, quæ gignit, præſtantiâ commendatur, urbiúmque ac pagorum ferme perpetua ſerie. Accedit cœli ſaluberrimus iuxta ac periucundus hauſtus. Quippe hinc iuga montium vapores Auſtri levant, illinc à mari Aquilo frigus afflat crepidini. Omnis hæc regio ſub radicibus Libani montis procumbit, diſſectis nubibus, iugum aſtris immiſſuri. Æterno frigore frons eius adſtringitur: Petræ, quæ eidem accumbunt, torrentes nivium, velut eliſos fluctus, præcipitant. Petris vaſtiſſima ſylva ſubiicitur. Cedri ſunt, ùt

apparet, coævæ ſolo, quo aluntur, & craſſis elatíſque ramis quaſi brachiîs offerentes nubibus amplexum. Quà ſe demittit nemus, apto paſcuis ſolo excipitur. Paſſim boum greges feruntur cum mugitu, oviúmque & eorum, quos peperêre non pridem, voces molliter raucæ, herbas innoxia laſcivia fatigantium. Perennes aquarum rivuli non alibi frequentiores manant. Ad usque radicem montis hæc paſcua declinantur, horto nihil abſimilem. Hìc Veris Autumníque videas non ſeſe conſequentes, ſed coniunctas vices; adeò floribûs humum, arbores pomîs una impertiuntur. Numquam Auſter, qui, quidquid viret, perimit maligno ſpiritu, numquam acutus Aquilo egregium loci decus exſtinxit.

Atque huic oræ, cuius nunc pulchritudinem depinxi, imminet inſula, in qua ſita Tyrus. Natanti ſimilem, crederes imperare univerſo mari. Mercatores accipit ex omibus orbis partibus. Cives non alii nobiliores à mercandi induſtria. Vel primus obtutus intrantibus perſuadet, eam non unius, ſed omnium gentium emporium eſſe, urbiúmque, quæ merces mutant, centrum. Duplex vallum, extructum lapidibus, in mare exporrigit, eôque ceu duobus brachiis impervium ventis portum ſtringit. Nemoris ſpeciem portui inducunt navigia erectis malis, eo appellere numero ſolita, ut vix maris poſt ſe ſpectandi relinquant diſcrimen. Cives omnes negotiantur, neque auctæ opes faciunt, quò minùs eas iſtâ operâ velint augere. Ubique byſſus, quam Ægyptii, ubique purpura bis tincta & mirabili ſplendore, quam Tyrii parant. Atque hic quidem color, ſi bis eum veſtes imbibêre,

re, fidelis eſt adeò, ut numquam cedat etiam diuturnæ temporum iniuriæ. Tenuiſſima carbaſus illo imbuitur, auro argentóque affabre interſerto dehinc illuſtranda. Ceterum Phœnices inde ad Gaditanum fretum nundinandô gentem nullam prætereunt. Quin ad ipſum Oceanum penetravêre, qui univerſum terrarum orbem cingit. Longiùs etiam in mari Rubro auſi procedere, inde ex ignotis inſulis aurum & odores petunt, diverſáque genera animalium, quæ alibi non gignuntur.

Ab urbe tam ad aſpectum magnifica, tam communiter laborioſa difficile mihi erat cupidum oculum abducere. Quod urbibus noſtris obvium; non videbam hìc ceſſatores, non alienarum rerum aucupes, qui vagabundi aut nova captant in foro & compitis, aut otioſo aſpectu inhærent advenis, qui intravêre in portum. Viri exonerant navigia, merces aut promovent aliò, aut pretio alienant. Sed neque fœminis hora vacat. Aut inter lanarum penſa ſedent, aut lineamentis futurum acu opus præeunt, aut pretioſo filo texta componunt, atque concinnant.

Ego ad Narbalem: quî factum, ut Phœnices totius orbis commercia atque ex his tantas opes, exhauſtîs cæterîs gentibûs, vendicârint ſibi? ille: quî factum hoc ſit, vides. Opportuna negotiationibus Tyrus eſt. Navigandi rudimenta patriæ noſtræ orbis debet. Et (ſi, quæ obſcuræ vetuſtatis rarò incorrupta ad nos transmiſit fides, libet credere) Gens noſtra prima fuit, quæ haud paulò ante Typhin & Colchicæ profectionis Heroäs ratibus ſubiecit undas. Prima, inquam, fuit, quæ fragili trabe indomitum tentavit mare: immenſi-

 tatem

tatem detraxit pelago: obſervavit per Ægyptiorum Chaldæorúmque ſcientiam (quantum à terris recedentia!) ſidera. Quid multis: hæc diviſos toto Oceano populos coniunxit. Nimirum plus induſtria Tyrii ſunt, adverſorum & laboris patientes, habili ingenio, ſobrii, nec in re domeſtica diſſoluti. Iunguntur perfectiſſima diſciplina, concordiâque: neque alia natio umquam aut conſtantiot fuit, aut maiori candore ac fide, aut acceſſu tutior commodiórque quibuscunque demum exteris.

Porro quæ res illi maris imperium, quæ tantas ex mercandi celebritate opes: ſupervacaneum eſt inquirere, quippe ex dictis id ſatis ſupérque intelligenti. Si diffidia, ſi livor tentaret cives; ſi deliciis, ſi otio defluerent; ſi laborem faſtidirent urbis principes, ſi rem familiarem negligerent; ſi porro dignitatem artium inſeneſcere permitterent; ſi contra quàm candor aut fides præſcribit, actitarent cum exteris; ſi vel apicem de inſtitutis mutarent aut violarent liberi commercii; ſi torperent opifices; ſi pœniteret magnorum ſumptuum, quos ad merces etiam ſingulas ſuis abſolvendas numeris neceſſe eſt ante expendere: næ tu primo quoque tempore potentiam iſtam, quam obſtupeſcis modò, videres hebeſcere.

Age verò, Narbal (ita dehinc ego) rationem veram doce, qua aliquando huiusmodi commercium etiam in Ithaca valeam inſtituere. Tyriorum (excipiebat ille) mores ſequere. Ne malè, ne ſeverè peregrinos accipias. Portus tutos, commodos, liberos venientibus para, nec aut avaritia, aut arrogantia ipſis te redde inviſum. Numquam nimium

mium lucrari velle, & lucrum tempori dimittere, certa lucri eſt via. Fac te ament exteri, nec velis nihil moleſtiæ ab iis pati. Cave, quidquid elationem præfert animi, ne confles tibi invidiam. Commercium ſimplicibûs & levioribûs inſtitutîs commenda, à quibus nec ipſe umquam deflectes, nec, ut velit ſubditus deflectere, aſſuefacies. Fraudem mercatores, imò & incuriam inſolentiámque graviter luant, quia inferendô damna mercaturam facientibus promoventibúsque, ſolitudinem creant commercio. Illud autem à te procul ſit & aſſiduè, videlicet ita ſordido arbitrio diſponere negotia, ut tibi exſiſtant fructuoſa. Enimvero præſtat, imò decet, Principem horum penitus exſortem permittere, ut, cuius erat labor negotiandi, ſubditum integer eo ex labore fructus reficiat; niſi velit paulatim huiuscemodi ſtudium deſideriumque hebetare. Abunde dives Rex erit, ex commerciis ſi diteſcant ſubditi. Hæc quippe fontibus quidam aſſimilant, qui aliorſum derivati exſiccantur. Utilitas & emolumentum in terras tuas invitat exteros. Itaque ſi per te utiliter proſperéque, quàm antea, negotiantur minùs : ſenſim eorum frequentia atteritur, non reparanda in poſterum; quoniam ab aliis populis, quibus non inutiliter deſciviſti à commerciorum prudentia, pellecti aſſueſcunt te tuíſque ſine damno carere. Ceterùm & hoc tibi cogor affirmare, famam urbis noſtræ fuiſſe per tempora proximè ſuperiora magnopere levatam.

Utinam urbem hanc, Telemache, Pygmalione nondum Rege, vidiſſes! Quantò tum eius tibi aucta fuiſſet admiratio ! Nunc verò unas eáſque triſtes

 reli-

reliquias vides magnitudinis, quæ tamen nec ipſa ſecura exitii eſt. In quas, urbs miſera, eheu! incidiſti manus, omnium gentium cui tributa quonnam invexit pelagus!

Pygmalion quidem & à ſuis & ab aliis extrema quæque ſibi timet. Patrio more fuêre alioquin portus noſtri omnibus, etiam ad extremas orbis partes proiectis, gentibus apertiſſimi. At nunc ille contempto hoc ſalutari inſtituto indicari ſibi iubet, quot appellent navigia? unde gentium miſſa? quæ vectorum nomina? quibus dediti mercibus? quæ rerum venalium conditio, quod pretium? quis terminus moræ, quam exigere decreviſſent in urbe? Peiora accipe. Fraudulentas quoque artes excogitat, ut delicti titulô præter opinionem circumſcriptos bonîs mulctet. Vexat, quos credit inſtitores ditiſſimos: exactiones, quibus neſcio quas prætexit cauſas, accumulat. Iam & ipſe conatur inire commercia. Sed quis volet hunc ſocium? Sic ergo refrigeſcit negotiatio. Tyrum, à ſe toties frequentatam, magìs magìsque prætereunt exteri; & niſi mutetur Pygmalion: mutata ſede, ad populum, meliori qui ſubeſt, gloria noſtra potentiáque ſe transferet.

Hæc elocutus rogatur à me, qua ratione factum, ut demum Tyrii navibûs tantum valerent; neque enim, quod ad erudiendum imperium faceret, volebam ignorare. Et ille: Sylvæ Libani noſtræ ſunt, quas, quia materiam ſuppeditant navibus, cuſtodimus intentiore cura. Ligna niſi publica neceſſitate haud cæduntur. Rei nauticæ præcipuum auxilium ſunt periti, quos habemus, opifices. Et quomodo iſtîs urbem veſtram auxiſtis? Paulatim (hæc inter-

interroganti inquit) & procedente tempore è gente noſtra prodierunt. Si eis, qui excellunt artibus, merces pendatur operæ, ſperare licet, actutum futuros, qui nihil ex omnibus artium ſuarum numeris deſiderent. Ad fructuoſiſſimas quippe artium nobiliſſima ingenia toto ſtudio feruntur. Et hìc quidem loci eos impenſiùs colimus, qui idoneas navigantibus artes, ſcientiáſque didicêre. In honore eſt bonus geometra: in oculis geruntur, qui non ineptè ſiderum motus & ſtatas temporum vices docent: numquam eget, qui aptiùs reliquis moderatur navi. Nec, qui rite ligna cædunt excidúntque, nullo ſunt numero; nam & iuſtiſſimum pretium datur, & liberalem victum accipiunt. Nautis etiam rite, & quod officiis ipſorum, laboribúſque reſpondeat, ſtipendium dependitur. Bene habentur ipſi, & coniuges ipſorum liberíque curantur; quippe patribûs hauſtìs naufragio, eorum, quos reliquêre, ſaluti proſpicitur. Qui verò ad deſtinatum tempus marî extraxêre operam, dimittuntur ad ſuos. Eáque res facit, ut numquam laboremus remigum copià. Patres enim gaudent filios aſſuefacere tam utili ad comparandum victum inſtituto. Adhucdum pueros docent remos agere, tendere rudentes, horrorem turbulenti maris non exhorreſcere. Atque ita homines præmiis & diſciplina numquam trahuntur inviti. Parùm affert ſola auctoritas; parùm illorum, quibus imperare poſſumus, ſubmiſſio. Ad benevolentiam alliciendi ſunt animi, curandúmque, ipſa negotia noſtra laborantium lucris famulentur.

His dictis Narbalem ſecutus frumentorum armorúmque receptacula & navales officinas obivi.

Percontabar curioſiſſimè ſingula, minutiſſimâque; & ne quid, cum re non otiosè coniunctum, falleret memoriam, tabulis reſponſa mandabam.

Ceterùm Narbal (ùt Pygmalionis mores pulcherrimè callebat) impatientiùs tulit profectionis noſtræ moram. Verebatur enim, ut à me poſſint ſpeculatores Regis diu falli, quippe qui dies noctesque totam urbem excuteret. Sed adhuc adverſabantur abituris venti. Inter hæc, dum portum ſtudiosè inſpicimus, dum varia ex variis mercatoribus ſcitamur: ſervus, qui Pygmalionis erat, in conſpectus noſtros venit. Rectà ſeſe agebat ad nos. Narbalem allocutus: Regi, inquit, modò nuntiatum eſt à præfecto quodam illarum navium, quæ ex Ægypto remeârunt, peregrinum, qui ex Cypro eſſe vulgò crederetur, tua adveniſſe navi. Hunc ipſum in cuſtodiam iubet tradi, atque cuius ſit, omnino explorari. Tu verò eum capitis tui periculo præſentabis. Fortè tum aliò pauliſper diverteram, ùt ex fabrica haud ita pridem confecti navigii, quo ordine ſingulas eius partes Tyrii concinnâſſent, aſpicerem. Quippe affirmabant, ob accuratam & ad artis nauticæ præcepta exactam partium inter ſe compoſitionem præferri omnibus, quæ umquam intrâſſent portum. Ego itaque rationem totius operis ab homine, qui fecerat, exigebam.

At Narbal multo pavore, & vix compos mentis, ſpecieque iam accingentis ſe mandato, reſpondìt, illum ex Cypro peregrinum ſtrenuè quæſitum iri. Ceterùm ex oculis digreſſo ſervo, citato ad me gradu & periculi, in quo verſarer, nuntius: næ, ego iſtud, ſucclamat, dulcis Telemache, prævidi,

&

& prævidi amplius quàm quod maximè! occidimus, eheu! Rex, nocturna diurnáque diſtringente diffidentia, alium te, quàm Cyprium ſuſpicatur. Tu iuberis intercipi; & ego, niſi tradidero te, mori. Quid conſilii? Docete, Dii, evadendi filum! in Regiam ducendus es, Telemache, & à me quidem. Tu ergo omni aſſeveratione aſſeverabis, Cyprium eſſe te, Amathonte oriundum, & artificis, qui Venerem ſculpſiſſet, filium. Ego verò comminiſcar, me quondam patris tui habuiſſe notitiam. Ita fieri poteſt, ut Rex percontari, tu factâ diſcedendi copiâ periclitari deſinas. Aut hæc, aut nulla ſalutis noſtræ via.

Sine, Narbal (aiebam ego) ſine, infelix pereat, quem fata nolunt ſalvum. Didici mori. Téne autem ego in meam unà abripere perniciem tam & toties de me bene meritum? Cyprius non ſum; nec fiet, ut affirmem eſſe. Vident, quàm procul à me fallere, Dii. His volentibus ſalvus ero. Ceterùm non committam Telemachus, ut mendacio ſpiritum hunc debeam. At enim iſtud genus mendacii, Narbal ſubiungit, quis damnet criminis! Dii ipſi permittunt. Innoxium eſt; & ne innoxii duo opprimantur, cavet. Imponit Regi; ſcilicet ne infandum id committat ſcelus. Tu verò ampliores æquô terminos amori virtutis aſſignas; nec formido, qua Religioni caves, inanis à ſuperſtitione eſt.

Satis eſt, inquiebam ego, mendacium numquam, ideóque nec homini convenire. Homo præſentes, dum loquitur, habet Deos; undè à vero recedere numquam ſine noxa poteſt. Mendax & Deos lædit & ſe, quippe propriæ ſuæ refractarius conſcien-

tiæ. Deſine, Narbal, ſuadere, quod utrumque facit reum. Nôrunt Dii nos liberandi, liberare ſi velint, modum. Cæſi, iîs volentibûs, erimus veritatis victimæ, & in mortales magnum exemplum integritatem vitæ diuturnæ præferendi. Et mea quidem ob calamitates iam diuturna nimis eſt. Tu verò, dulcis Narbal, tu unum es argumentum mei doloris. Ergone amicitia, alienam miſeriam qua foves, te reddet miſerum?

Huic de veritate certamini cùm immoramur diutius: Ecce tibi! homo præcipitans ad nos eo impetu curſum, ut ageretur in anhelitus. Et ipſe ex Regia ſervus erat, miſſus ab Aſtarbæa, quæ formam proximè divinam ingenii dotibus ex æquo augebat. Multi leporis, blanda, animosque hominum facillimè ſubiens; ceterùm captiosè eleqans Sirenum ex more. Lenocinabatur aſpectu, at ſæviebat mente barbara, malignâque. Sed (quod peſtiferum) ipſius animi ſceleratos impetus & conſilia tam occultè quàm acutè reflectebat. Præterea & oris pulchritudine, & lepore ingenii, & muliebri vocis illecebra, moliſſimóque lyræ cantu ita noverat movere ferreum alioqui Pygmalionis animum, ut abreptus violento æſtu libidinis, è tori ſocietate eiecta coniuge, quam Topham appellavêre, dehinc in una Aſtarbæa deperiverit, totóque animo de explendis ambitioſæ huius mulieris cupiditatibus ſibi putaverit cogitandum; æquè miſer alienos amores conſectando, atque alienas opes ſordidiſſimè ſitiendo. Quamquam enim penitus ſeſe in amores eius effuderat, ipſi tamen amaſiæ vilis erat, & perenni faſtidio. Atqui & iſtud tam intolerabili ſimulatione texit muliebris

bris fallacia, ut vel tum eius unius gratia vitam ſe amare fingeret, cum maxime odiſſet. Erat Tyri ex Lydia iuvenis, Malachonti nomen: forma ad miraculum ſpecioſa. Indoles tamen ipſa declinans ad muliebrem mollitiem, nec potens etiam immodicæ libidinis. Planè ſingularis & omnis cogitatio eius fuit conſulere oris teneritudini, fluentis comæ cincinnos, germanos auro, & in humeros molliſſimè deſcendentes componere, unguentis ſeſe perfricare, lepidiſſimè diſponere ac inſtruere ſinus veſtium, denique perſonante lyra amores ſuos recitare. Videt Aſtarbæa hominem: amat, & perditè quidem. Ille negligit. Videlicet prenſabat aliam, & periculum erat, Tyranno rivalem eſſe. Ergo fœmina, ſatis certa, ſe contemni, ab amore ruit in ulciſcendi conſilium. Deſperatione furentem ſubit, effici à ſe poſſe, ut Malachon habeatur pro illo advena, quem inquiri rex iuſſerat, & cum Narbale veniſſe fama diſperſerat. Et verò, rem ita eſſe, perſuaſit Regi; ære corruptis, quicumque fraudem potuiſſent incidere. Nimirum bonos & oderat & ignorabat Rex; igitur latus eius cingebat una rei ſuæ ſemper ſtudioſa calliditas, quæ, quorum inceſſerat animis, eos etiam iniqua & crudelia imperanti ſtrenuos miniſtros applicabat. Atqui iidem, Aſtarbææ auctoritatem potentiámque metuentes, fallacia eius & errorem domini adiuvabant, ne inviſi redderentur adeò feroci dominæ, cui is planè confidebat. Itaque Malachon, quamquam omnibus perſpectum erat ex Creta adveniſſe, iubebatur haberi pro advena, quem ex Ægypto Narbal advexiſſet. Traditur itaque in coſtodiam.

Aſtarbæa

Aſtarbæa multùm ſollicita, ne accideret, ut illatus aulæ Narbal, inito cum Rege ſermone, indicaret ſtropham: ſervo, de quo antè dixeram, feſtinanter miſſo, ſignificabat: etiam atque etiam velle ſe, peregrinum, quem adduxiſſet ipſe, Regi ne proderet. Unum ab eo ſilentium poſtulari. Facturam ſe, ut nihil detrimenti patiatur taciturnitas. Iuvenem autem, ab Ægyptiis cum ipſo profectum, quantò poſſet ocyùs, cum Cypriis imponeret navi, ut dehinc eſſet extra urbanorum conſpectum. Quis oblata & ſuæ & meæ ſalutis occaſione Narbale lætior? Silentium cumulatiſſimè pollicetur. Quo obtento ſervus & ipſe nihil triſtior revertitur, expoſiturus Aſtarbææ, quæ egiſſet.

Mirabamur Deorum clementiam, quî hanc candori mercedem, manifeſtamque pro virtute tentantibus ultima impenderent curam. Contra deteſtabamur regem, qui nihil præter opes ſpectaret, ſordidæque voluptatis illecebras. Unde nos hæc invicem: Qui metuit iuſto diligentiùs, ne decipiatur, dignus eſt decipi, ac plerumque decipitur improbiùs. A bonis timet ſibi, credit malis. Unus omnium, quæ aguntur, ignarus eſt; & proh pudor! ludibrio habetur à proſtibulo. Interim malorum fallacia ſæpenumero inſtrumentum fit, quo cœlum bonos liberat, qui malunt non vivere, quàm fallere.

Inter hos ſermones mutabantur venti, obſecundantes navigaturis Cyprum. Quo animadverſo, ecce Deos! Narbal exclamat, ſecuritatem offerunt, Telemache. Fuge crudeles, fuge infelices terras. Felicem me, te ſi ad oras extremas ſequi, ſi vivere

&

& mori tecum poſſem! ſed eheu! devovit me miſerabili, quàm hic vides, patriæ triſte fatum. Cum iſta me oportet pati, & neſcio, an non eius quondam ruinis tegi. Utcumque autem res aderunt: ſatis mihi, ſi modò veri, rectique ſemper tenax ſim. Tibi verò, Telemache, Dii, precor, quorum manifeſto ductu videris gubernari, Divinum munus veræ perfectæque virtutis haud velint umquam ſubtrahere. Vale! Ithacam repete, ſolatium affer Penelopæ, & libertatem à procerum moleſtia. Utinam illud celebre per orbem oraculum, Ulyſſem oculi tui aſpiciant, amplectantur manus! utinam & ille in te accipiat à ſapientia ſua non degenerem filium! at ſecundis rebus affluens, cave oblivifcaris mei, nec amare felix miſerum deſine.

Huic poſtremæ ſalutationi non verbis, ſed lacrimis reſpondi, quas vale dicenti affundebam. Voce enim prohibebar gravi gemitu. Itaque à ſilentibus in ultimos amplexus itum, proceſſúmque ad portum, ubi ſubſiſtentem eum deſerui. Sublatîs anchorîs, quàm diu oculi ferebant, mutuo inter nos aſpectui eſt indultum.

TELEMACHUS.

LIBER IV.

CAlypſo eodem adhuc veſtigio Telemachum audierat, mirabili rerum eventu impotenter affecta. Tunc ſermonem eius interpellans, ut non nihil otii daret: Tempus eſt, inquit, ut tot tantásque moleſtias & labores dulci ſomno

ſomno permutes. Securus eſto huius loci, & patriam crede. Dimitte igitur ſermonis voluptatem. Fruere quiete, & omni bonorum à Divis futura copia. Ubi primum Orientem Auroræ ſignabit purpura & Phœbus illuſtrem ſed fatalem aſtris diem vehet, referemus nos ad multiplicis fortunæ tuæ caſus. Sapientiæ profectò & fortitudinis exempla ipſe tibi debet, cui tu vitam. Qui ſtravit Hectorem, qui ex Inferis aperuit viam, & ipſe adeò monſtrorum domitor auxerint virtutem ſuam ex tua. Nox commoda mitiget tibi caliginis moram. At quàm erit incommoda, quàm ſpatioſa mihi! quàm non tolerabili conflictabor deſiderio tui, audiendi te, revocandi ſermonem ad cognita, quærendi incognita. Agedum! Cum Mentore, à Diis quem recepiſti, in hanc antri mei partem ſuccede. Abſtracta hæc à reliquis, eſt, & diligenter præparata dormituris. Morpheum precor, velit ſomniculoſis palpebris veſtris omnem dulcitudinum ſuarum apparatum inducere, divinis vaporibus irrigare in laſſitudinem datos artus. Faciat in animos veſtros ea per ſomnum viſa incidere, quibûs oberrantibûs iucundiſſimæ ſpecies ſoporatos ſenſus titillent in iuſtæ quietis ſubſidium.

Ceterùm ipſa Telemachum deduxit ad cubile. Pars erat hæc antri ab ea, quam incolebat Numen, diverſa ſitu, non amœnitate ob eamdem amabilem naturæ ſimplicitatem. Ex angulo ſaliens ſimul dulce murmur, ſimul blanda ſoporis lenocinia applicabat auribus. Duobus locis Nymphæ molles herbas congeſſerant, duabus item pellibus, altera leonis, cui Telemachus, altera urſi, cui Mentor incubaret ſtratas.

At

At iſte prius, quàm oculos daret in ſomnum, his verbis caſtigavit Telemachum. Secutus es impetum ea, quæ tibi accidêre, narrandi. Amavit te Dea, quòd diſcrimina, ex quibus vigore ſolertiáque animi tui es eluctatus, commemorâſti. At ſic alimentum adjeciſti flammis, quibus uri cœpit, & robur eheu! tibi futuris vinculis. Dimitteris ſcilicet ex Inſula Numinis, quòd vel ſola caſuum tuorum audita initia faſcinârunt. Cupido gloriolæ orationem tuam extraxit finibus, quos præſcribit ratio. Spoſpondit illa, docere te, quæ tum aliàs, tum Ulyſſi maximè accidiſſent. Inde ipſi filum prolixiſſimi ſermonis, verùm ab eo, quem promiſerat, omnino alieni. Atqui effecit ſic tamen, ut eorum, quæ ſcire avebat, nihil ex te ignoraverit. Ecce tibi! hoc ipſum telum muliebris cupiditatis, dum indulget blandienti aſtutiæ. Ah quando ita tibi matureſcet prudentia, Telemache, ut nihil dicas per oſtentationem; ut taceas cum emolumento tuo, quæ utiliter non proferuntur. Admirantur alii ſapere te ea ætate, cui abeſſe à ſapientia permittitur. Ego verò nihil permittam tibi. Unus ego, cui manifeſtus & ità charus es, ut committere haud poſſim, quin vapulent à me, quæ agis perperam. Ah! quòd multis adhuc te paraſangis poſt ſe videt genitoris ſapientia!

Potuine, Telemachus reponebat, nolle Divam de ſorte mea erudire? haud ſanè, Mentor affirmat. Id magnopere oportebat; at oportebat aliter, ita videlicet, ut nihil præter miſerabilia commemorares. Scire licuiſſet, iter longiuſculum tibi & varium fuiſſe; aliquandiu apud Siculos & deinde Ægyptios te detentum in vinculis. Hæc poterant

terant ſufficere. Quæ addidiſti porrò, ad augendam peſtem duntaxat erant, quæ iam aliàs cor Divæ depaſcitur; velíntque Dii, ne depaſcatur tuum!

Quid ergo ſuades à me fieri, non modeſtiùs quàm diſciplinæ ſtudioſiùs iuvenis rogat? negabat Mentor, ampliùs celari Deam poſſe, quæ etiamdum ex fatis eius ignoraret. Iamque tantum, inquit, ex iſtis prodidiſti, ut eam reliquorum notitiâ fraudare haud queas. Indignationem moveret, à femineis auribûs ſi quid rerum tuarum excluderes. Craſtinâ igitur, quidquid adhuc nôſti à Diis in te beneficii expones. De cetero diſce in poſterum cautior eſſe & parcior illis in rebus, quæ quoquo modo oſtentationis quid præferunt. Conſilio patienter accepto, initus ab utroque ſomnus.

Simul terris primum diem Phœbus diſpenſaverat ſimul voce Calypsûs Nymphæ exactæ in nemus. Quo audito, Mentor inclamans iuveni: heus! inquit, ſomnum, ſomnum ſolvere tempus monet. Age! revertere ad Divam; ſed cautior deinceps ad mella, quæ loquetur tibi. Reconde ab ea ſemper, quæ ſunt in animo tuo. Time, ſi laudet, blandientem viperam. Heri præ genitore tuo ipſi ſapiens, præ Achille invictus fuiſti; Theſei fama deceſſit tuæ; ſemi Deorum album occupare debueras expuncto Hercule. Numquid laudavit intra modum? Numquid, quæ argutabatur, tibi fecerunt fidem? ipſa hercle credidit ſe mentiri. Laudat tamen, quia videris ad laudes impotentiùs incumbere, quàm ut laudum tuarum amplificationes, etiam non diſſimulanter fictas, retundere aut valeas, aut velis.

Tum

Tum proceſsêre ad locum, ubi exſpectabantur à Dea. Venientibus in conſpectum leniter arriſit, premens lætantis ſpecie metum curámque incerti animi. Prævidebat enim, Telemachum perinde elapſurum ſibi Mentoris ductu, ac Ulyſſem ingeniò ſuò. Tum, Eia! matura, inquit, Telemache, dare pabulum, quo ſatietur in me novorum aviditas. Tota nocte videbaris mihi proficiſci à Phœnicibus, & nova in Cypro fata aucupari. Cedò igitur nobis rationem huius itineris. Cave vel tantillum moræ. Mox conſeſſum eſt herbeſcente ſolo, operto violis, & ex humiliori ponè ſylvula umbroſo.

Ceterùm Calypſo nequicquam imperavit oculis, ne continui eſſent molliori iuvenis aſpectu. Unde haud aliàs quidquam illi erat moleſtius, quàm ita obſervari à Mentore, ut nec oculum fas eſſet ſine nota movere. At Nymphæ integerrimo ſilentio, admotáque in ſermonem aure perſeverabant, in orbem affuſæ, cuius pars altera vacabat, ut & commodius audire, & intueri loquentem poſſent. Itaque oculi ex omni cœtu in Telemachum affixi & immobiles. Ille deorſum aſpiciens, & perquam decenter ſubeunte rubore, pridie cœptum ſermonem hunc in modum pertexuit.

Explicatis carbaſis interceptæ auræ nos è Phœniciæ conſpectu celeriter provexerant. Unus ego peregrinus eram, nec vectorum mihi perſpecti mores. Itaque decrevi ſilentiò, & omnium, quæ fierent, obſervatione uti, omitteréque, ne inter eos haberer ignobilis, quidquid modeſtiæ regulis cavetur. Ceterùm conticeſcentem de induſtria, approbè irrigare dulcis ſopor cœpit. Torpebant

hebetati ſenſus: commodiſſimè erat animo: veriſſima pectus voluptas ſolverat. Cùm ecce! ſive vera ea ſpecies fuit, ſive nocturnum ludibrium: diviſîs nubibûs velox currus trahentes columbas ſequitur. Venus in eo eminebat. Illa ab unguiculo ad ſummum capillum ſpeciei felicitas, ille iuvenilium membrorum vigor, & ciendis illecebris mollitudo erat, quibuscum prodiens ex ſpuma Oceani ipſum æternúmque Iovem perſtrinxit. Allapſa ad me præcipiti curru, manúmque leniter imponens humero, levi cum riſu: heus! paulò poſt, inquit, regnum meum intrabis, Græcule; id quippe nominis præmiſerat ſermoni. In illam venies Inſulam, qua dulcedo, ſecuritas, ludorúmque ioci ſubnaſcuntur meis veſtigiis. Hìc locorum aras meas odorum deliciis coles. Hìc te circùm torrens voluptatum fluet. Pande animum tam dulci ſpei, & cave reſiſtas Dearum principi. Sic per me felix, ſic beatus eris.

Sub hæc puerum aſpicio. Cupido erat. Motis ſubinde pennis iisque non magnis vagabatur circùm matrem leniſſimo volatu. Erat os molliculum, eiúsque amœna feſtivitas, quali anni primæ pueritiæ laſciviunt. Oculorum argutiſſima acies, ſed ad formidinem, neſcio quid, alens. Aſpiciebat cum riſu, ſed malignè; contemptim, atrociter. Educebat ex aurea pharetra, qua cingebatur, ſagittam, inter omnes aptiſſimam vulneri. Parabat arcum adductis nervulis. Iámque ordiebatur in me iactum: cùm adeſt Minerva, obiecta Ægide improviſum auxilium. Forma illi non mollis, non ad amores liqueſcens (quacum Venus habitum oris & corporis ſui offerebat) ſed ſimplex, non curata, & quam ſine libidinis illecebra pudicus aſpi-

aſpiceret. Nihil in ea remiſſum, fractum, humile, ſed vigor in omnibus, auguſtáque dignitas. Ceterùm prævalente Ægide, ſagitta cupidinis decidebat ſine noxa. Tum ille ſtomachari, quati acerbo gemitu, rubore natare ob ereptam palmam. Aufer te hinc, puer improbe, Minerva exclamat, apage! animos anguſtos, ſordidóſque pete, quibus ſapientia, virtus, gloria ad turpitudines tuas eviluit. Lauros tuas ex his ſolis leges. In hos ſarcaſmos fremens amaſium Numen ſe alìs proripuit. Venus quoque tollebatur in Olympum, curru iugatíſque avibus in illuſtri & cærulea nube diu mihi conſpicuis ſubducta eſt. Minerva, cùm à fugitivis Numinibus versùs terram referrem oculos, diſceſſerat.

Videbar mihi in loco verſari, qui Elyſæos hortos laudaturo ſuggereret idoneas ſpecies. Et ecce! ibi Mentor ſe mihi. Heu fuge, inquit, crudeles terras, fuge littus ex voluptate, quam colit unam, peſtiferum! hìc trepidandum etiam conſtantiſſimæ virtuti, fugiendúmque, perire ſi nolit. Ego, ſimul atque Mentorem aſpexi, parabam in eum involare, amplectique. Sed nimirum torpebat in hæc (ita dormienti viſum) pes, lababat genu; & manus, amicum contentiùs adnixa ſtringere, inanem complexúſque non capacem umbram captabat. Atqui hæc ipſa contentio ſomnum rupit; ſenſique oblatam in quiete ſpeciem, quam tot variâſſent myſteria, Deorum monitum eſſe. Deprehendi me ad voluptates mollitíemque Cypriam heroëm, ſui diffidentia, ne temere faceret, abundè inſtructum. Ægritudo tamen non aberat animo. Credebam Mentorem expulſum è vivis, ſuperata ſtyge iam tranſiiſſe ad iuſtorum manes.

Hanc igitur cogitationem ingens vis lacrimarum ſubſecuta eſt. Cauſam rogantibus: lacrimas aiebam planè decere infelicem alienigenam, qui iactaretur extra natale ſolum præter ſpem eius videndi. Inter hæc impotenti lætitia tota navis inſaniit. Nautæ velut iuſsis feriis non remos, ſed ſuper remis rhonchos ducebant: floribus gubernator cinxerat caput, dimiſſóque clavo, grandem manu ſuſtinebat ſitulam, & proximè implendam ad alteros hauſtus unà cum ceteris inſolentior temulentâ veſaniâ, Veneri Cupidiníque pangebat imò vociferabatur honeſtati prorſus intolerabilia auditu.

Dum vacatur ineptæ lætitiæ, dum in cyathis ſepelitur malorum ex pelago memoria: ecce velut de inſidiis imminens tempeſtas cœlum omne undáſque fœdavit. Effundebantur immitiſſimæ procellæ, quæ immaniter furentium impetu irruentes carbaſis, longè quàm in Æoli antris remugiebant atrociùs. Decumanis fluctibus diverberabantur latera navigii, inter violentos undarum aſſultus temerè ingemiſcentia. Terribili viciſſitudine iam efferebamur minaci tumore in cumulum aſſurgentis pelagi, iam velut nudatô profundô videbamur ruituri in abyſſum. Augebant terrorem in proximo ſcopuli, ad quos efferata undarum volumina incredibili cum horrore affligebant ſeſe. Tum énimverò didici uſu, quod frequenter ex ore Mentoris, voluptatem, cùm periclitatur, animis deſtitui. Torpebant ſcilicet Cyprii, ploratibus muliebriter ſquallentes, in utramque hanc aurem lugubri ululatu, & miſerabili planctu infuſo: carendum iam vita, & delicatæ vitæ illecebris. Obruitu-

ruituros ſe victimis Superos (nam etiam in vota inania ſcilicet à temulentis itum) ſi licuerit ſalvis venire in portum. Adeò animos fregerat improviſum malum, ut nemo vel dirigendis vel occupandis nautarum officiis eſſet. Ergo ratus ego, in me uno & meam & ſalutem reliquorum agi, ambabus manibus in gubernaculum involo; quippe navigii dicam an Baccharum rector ne par quidem erat cognoſcendo diſcrimini. Confirmatur nauta: laxantur iuſſu meo antennæ: remis ſtrenuè incumbitur. Per medios ſcopulos evecti evadimus præſentiſſimum, nec iam oculis noſtris occultum exitium.

Somnio res ſimilis videbatur univerſis, qui ſuum mihi debebant ſpiritum, ſtabantque cum ſtupore reſpectantes me. Appellimur Cypro. Menſis tum erat, quem ex vernis temporibus ſacraverunt Veneri. Atque hæc quidem aiunt præ ceteris amorum Matri deberi, quippe quæ naturæ velut animam revocarent, voluptates unà cum florum ſpectaculo gignerent. Expoſitus è navi, ſentiebam leniſſimum aërem regioni incumbere, qui corporibus ingereret ignaviam, feſtivum & levitati pronum habitum afflaret. Adverti glebam, cuius alioquin fecundum ingenium & redundans in delicias, ferè cultum deſiderare, incolis abominantibus laborem, qui manu peragitur. Videre paſſim erat matres virginéſque, vel ipſo iam profanatas ornatu corporis, quæ inter hymnos Veneris procedebant, eius altaribus initiandæ. Pulchritudo, amœnitas, gaudium, voluptas apparebant collecta in vultus, ſed ipſa amœnitas multo accita ſtudio. Aberat illa generoſa oris ſimplicitas, decénſque

cénſque compoſitio, ex qua pulchritudini complementum. Geſtus molliculi, vultus ex arte formoſior, ornatuum vanitas, remiſſior inceſſus, oculi aſpicere & aſpici quaſi ambientes, mutua æmulatio ad concitandum ardorem immoderatæ cupidinis; & quidquid denique in his deprehenderam feminis, ſordebat mihi; adeò, ut augerent in me ſui faſtidium, quantùm operam mihi placendi cumulabant.

Ducor in templum Deæ. Pluribus locîs colitur. Quippe Cytherei, Idalii, Paphiíque ædem ipſi curavêre. Ego illam Cythereorum intravi. Structa eſt ex marmore, & inter eas, quas ab ambientibus columnis periſtylia nuncupamus, abſoluta numeris ſuis. Inſigni mole Columnæ & ſolitò altiores Divinæ ſedi ſpeciem oppidò auguſtam faciunt. Epiſtylion trabem maximam appellant, quæ columnis repoſita ferè ſuſtinet ædificium: volutæ ſerpunt cininni vel ſpiræ modô per caput, quod ſecundùm epiſtylion prominet. Utrique impendent latiores quidam balthei aut faſciæ imaginibûs, non ſolida ſpecie exſtantibûs, admonentes eorum, quæ iucundiſſima Divæ contigerunt. In templi foribus perpetua populorum frequentia ſacri faciendi causâ. Intra ſacrarii ambitum nec victimas cædere licet, nec pro conſuetudine ceterarum gentium igni tradere victimarum adipes, nec eorum ſanguinem patitur divinum domicilium. Aris duntaxat exhibent animalia, futura in hoſtias. Iuniora Numen accipit, candidáque: repellit effœta, & quæ aut labe, aut aliqua ſui parte ſunt inſignia. Teguntur purpureis faſciolîs, quas diſtinguunt aurô. Idem inducunt cornibus, ſertáque

cir-

circumponunt, odore placitura. Altari exhibita remittuntur in ſemotum locum, in ferias Deæ mactanda à ſacerdotibus.

Inter munera etiam aquæ ſunt, vináque illo, quo Dii potantur, dulciora. Sacerdotes albas tunicas, quibus induuntur, aureâ zonâ adſtringunt. Tunicis ſubnexæ fimbriæ ſunt ex auro, talos leviter mordentes. Incenſi odores, quorum flos ex oriente petitur, non interdiu in aris, non noctu ceſſant; vaporibus inde imitantibus nubem, quæ ſurſum evolvitur. Columnarum decus ficta poma, florúmque cingula, quæ ſculptores appendêre. Præter aurea vaſa non adhibentur Divinæ rei. Nemus, quod ædem ambit, myrtis conſitum & ſacrum eſt. Lectiſſimi lectiſſimæque eſſe debent iuvenum, à quibus hoſtiæ ſacerdoti traduntur, & ignem foci accipiunt. Ceterùm ex impudentia & præter modum vita tanti maieſtas templi viteſcit.

Horrori mihi erat initiò, tam perversè agentes aſpicere. Sed & ipſi paulatim ex videndi conſuetudine minus diſplicuerunt. Miteſcebat mihi flagitii nomen. Temperantiæ freni, quoties cum ea gente congrediebar, remittebant largius, quàm ut capere potuerim. Ridebatur mea innocentia: Quia modeſtus, quia pudicus, exponebar ludibrio: nec omiſſum, quidquid cupiditates ſolvere poterat, & mentem ſenſu perſtringere illicitæ voluptatis. Hebeſcebat (quod ſenſi) in dies robur animi. Et indolem quidem meam induſtria magiſtrorum finxerat ad præcepta omnino ſalubria. Sed illa nunc pudori vix ſatis conſulebant: aberant ab effectu etiam vehementiſſimè

deſtinata. Omni ex parte involabant in me flagitia potentiore impetu, quàm ut iis retundendis me ſentirem ſufficere. Quid? quod ipſam adeò virtutem mihi ducebam dedecori. Fingite vobis hominem, in flumine profundo & incitatiore. Contendit aquis adverſandô progredi. At ſi negent ripæ præcipites & abruptæ in margine interſiſtendi copiam: fatigatur ſcilicet; vigor expellitur; torpent exhauſti labore artus; ſecundum flumen cogitur ſequi. Ita mecum tunc actum. Obſcurabantur oculi: languebant præcordia: nihil erat, quod me aut rationis admoneret, aut paternæ virtutis. Ultima peſtis ſomnium fuit, quod Mentorem in Elyſios campos fingebat tranſiiſſe. Hæc cogitantem omnis planè virtus deſtituit. Acceſſit occulta deſidia, & quam difficile ſit non amare. Iámque placebat blandum virus; idque in alias atque alias diffuſum venas, interiora denique oſſium tentavit. Nihilô tamen minus audiſſes etiamdum à me graves gemitus. Miſerabili fletu, & horrendo fremitu ardorem veſanæ cupiditatis interpolabam: Eheu, iuventus miſera! humanæ ſortis nimis ah! acerbi arbitri Dii! ùt quid indulgetis iuventuti, quæ aut inſaniunt, aut ardent, tempora? cur nondum hoc caput incanuit? cur nondum ætas ſegnior telluri inclinat hos artus, aut etiam tumulo, nec Laërtio æqualem me nepotem facit! aut vitâ, aut, qua conflictor, turpi moleſtia Telemachum liberate!

Hæc vociferabar. Subitò laxari triſtitia cœpit, & pudorem ferè ultimum animo excutere veſana cupiditas. At rurſus inde cruenti in obnoxia conſcientia ſtimuli. Ita incertus conſilii, nec potens mei,

mei, incertis pariter & incitatioribus veſtigiis per ſacrati nemoris receſſus ferebar. Dixiſſes me feram, quæ excepto iaculo per denſas ſylvarum concitata latebras vulneri lenimen quærit; dum hærens lateri lethalis arundo ubique fruſtratur ſylveſtre remedium. Ita & ego inutili fatigabar curſu. Exiſtimabam fieri poſſe, ut oblitus mei imponerem vulneri. Sed nihil erat medii, cui non ipſum imponebat vulnus.

Forte tum, qua in umbram denſabatur nemus, ſpeciem Mentoris aſpexi. Procul erat, & vultus triſti pallore ita ſuffuſus, ſimilſque caſtigaturo eſt viſus, ut futuram ex aſpectu eius lætitiam occuparet. Téne, amice ah! ſpes mea, fiducia mea, téne aſpicio? quid? túte ipſe? aut ludis ficta ſpecie? Túne Mentor, an manes tui, mea quos huc evocavit calamitas? téne ergo ille felix animarum adhuc ordo manet, cui à virtute ſua largum præmium, & innoxias voluptates inter æternæ pacis otia in Elyſiis ſedibus impertiuntur Dii? agedum, loquere! vivisne? ten' ah! téne fruor, an amici umbram video? contendebam ſub hæc verba ad ipſum, impos animi & præceps curſu adeò, ut prohiberer ſpiritu. Ille operiebatur me eodem veſtigio. Vos, vos, Dii! nôſtis, cùm ipſum eſſe palpans demonſtraret manus, quàm ſolidum gaviſus ſim gaudium. Non umbra, non umbra eſt; ipſum manus, ipſum amplexus ſtringunt, Mentorem meum; cor, animam meam! hæ tum voces meæ cum impetu. Ingens vis lacrimarum cadebat in amici vultum; & impeditâ à ſermone linguâ ex collo eius diu ſilens pependi. Ille me aſpicere oculis, quos moderabatur tenerrima pietas.

Tandem ego cum gemitu: unde? ah! unde tu mihi? eheu! in quantis ego te abſente periculis! & quid nunc te ſine Telemachus? At ille aliud reponens, & voce ad terrorem inclinata: fuge, exclamat, & quàm potes citô fuge. Venenum eſt, quidquid gignit hæc regio. Cœlum, quod hìc hauris, peſtiferum eſt; hoc infecti incolæ ſectantur colloquia, non ut verba, ſed qua exuruntur ipſi, luem communicent. Voluptas abiecta & turpis, qua maius Pandoræ pyxis non effudit malum, expellit robur animis, virtutem iſtis ſedibus. Fuge, quid hæres? imò nec digneris, quod fugis, reſpicere: memoriam peſtiferi huius loci in te penitus exſtingue.

Hæc ſeveriùs contendente Mentore, videbatur ſpiſſa quædam nebula ex oculis meis ſolvi, deinde ita diſſipari, ut lux ſine nube incideret. Reddebat ſe animo vigor conſtantiæ, & ex ſuavitate amandum gaudium, oppidò abhorrens ab effeminata illa, ineptáque lætitia, quæ ſenſibus meis faſcini in modum ſeſe hactenus afflaverat. Hæc quippe ſtolida & turbulenta eſt, veſanóque cupiditatum æſtui ac conſcientiæ obnoxia furiis; illud verò ſanum, à turbarum incommodis liberum, & è cœlis munus eſt; quippe liquidum & immutabile, uberrimum, ex guſtu ſemper dulcius; animum denique tam violenter quàm non trahens iniucundè. Ipſum hoc gaudium tum mihi afferebat lacrimas, ſenſique nihil dulcius eſſe hoc genere lacrimarum. Felices, dicebam cum ſuſpirio, felices, quibus nihil, quod virtutem adornat, abſconditur! potéſtne hæc aſpici, & non amari? amari, & non beare?

Tum Mentor: deſtituendus es mihi, inquit, & momento. Mora non licet. Ego verò: quid, deſtitui à Men-

à Mentore? quò ergo te via? ſcilicet datur in orbe ab humano cultu tam inanis locus, in quem penetrabis ſine Telemacho? Haud Hercule effugies. Mens priùs à corpore, quàm ego à Mentore. Te ſequar: Simul virum ſtringebam firmiſſimo amplexu. At ille: fruſtra es. Non retinebis, quod ſperas. Ad Æthiòpes Arabéſve pretiô me tranſtulit Metophis avara crudelitas. Ceterùm hîs Damaſcum Syriæ negotiatum profectîs vænum ibam ob ſpem, ingentem pecuniam poſſe ex me redigi ab Hazaële quodam. Is quippe Græci moris & diſciplinæ avidus, ex Græcia empturus erat mancipium. Et ſanè magni ab Hazaële emebar. Quæ ex inſtitutis noſtris aperui, tanto illum novitatis ſtudio ſuccenderunt, ut ad diſcendas Minois leges Cretam ſtatuerit. Inſiſtentem huic itineri navem repugnantes à prora venti compulêre in hunc portum. Ob Rem Divinam, dum idoneam mutationem ſubiret aura, templum intravit. Et ecce! redit. Cœlum invitat, ſecundo impetu illapſum velis. Vale, Telemache! cum fide ſequi dominum pii mancipii eſt. Iuris mei ut ſim, porro nolunt Dii. Id ſi voluiſſent, eſſem (conſciis ipſis loquor) tuus. Vale, & noli, quæ paſſus genitor, quid quantumque fleat genitrix, noli Deos iuſtos oblivíſci. O, qui ſemper Innocentiam curatis, ſuperi! o quibus in terris mihi eripitis Telemachum!

Falleris, dilecte Mentor, falleris: aiebam. His in terris tibi, quanquam volenti, non eripietur Telemachus. Sine me (ita vivam) non abibis. Ferreúsne ergo Syrus ille & alumnus tygridum? hísce brachiis evellet te? aut umbris me tradet

aut

aut tibi. Fugam ſuades, & fugam meam non excipis? Ecce! Hazaëlem adeo. Hos annos, has lacrimas reſpiciet. Quid dubito? fieri nequit, ut, quem inveſtigandæ ſapientiæ amor rapit per tanta itinera, careat miſericordia. Supplicabo: ſtringam genua: nec dimittam niſi voti particeps, & futurus ſocius. Tecum, amice, mancipium, & ſi velit, ſuum ero. Quodſi nolit, perii. Hæc dextera aperiet ad manes viam.

Et fortè tum Mentorem vocabat Hazaël. Advolvor pedibus. Ille percellitur demiſſione ignoti hominis: quid velim, rogat. Vitam, reſpondeo. Moriar, per te niſi liceat Mentorem ſequi. Ulyſſes me genuit; Ulyſſes, cuius ſapientiam ex Troianæ & urbis & gloriæ vaſtatoribus æquavit nemo. Genus meum non iacto, ſed ut miſerearis fati mei, refero. Scrutatus maria, ut patrem invenirem, hunc hominem pro comite, imò patrem habui. Privatus illo ſum, ne quà mihi ſors maligna parceret. Servit nunc tibi; ſerviam (ita precor) & ego. Servantem æqui ſi rectè te credimus, ſi ad Cretenſes te Minois diſciplina trahit, hos gemitus, has lacrimas ne ſpernas. Summo loco & Rege patre natum ad pedes tuos vides, & abiectum eò, ut à ſervitute remedium ſalutis cogatur deprecari. Olim apud Siculos, ne ſervirem, ſtatuebam mori. Atqui ex illis malorum meorum initiis leviſſima duntaxat argumenta futurorum apparebànt. Nunc vereor, ne ſervire non liceat. Vos ab aſtris Numina, miſerum hoc caput deſpicite! Te verò, Hazaël, per quam adoras, Minois ſapientiam, pérque eius apud Inferos æquiſſimum, quod nos ambos manet, iudicium oro, atque obteſtor.

Haza-

Hazaël facillima fronte, porrectâque manu allevans ſupplicem: Nec ſapientiam, inquit, nec virtutem Ulyſſis ignoro. Quantam ille gloriam domi ſuæ, ego frequenter ex Mentore, ex properata fama Oriens didicit. Adesdum magnum ex Ulyſſe genus! patrem in me, dum genitorem recipias, habe. Hoc ſi neque Ulyſſis gloriæ, neque adverſæ eius tuæque ſorti, at certè amicitiæ Mentoris dare & impendere iubeor. Is ex emptione mancipium, ex fide neceſſarius meus eſt. Nundinabar pretio; comparavi amicum, unicè dilectum, æſtimatione æris ſuperiorem. Ille eſt, in quo inveni, qua nihil pretioſius, ſapientiam; ille hunc animum virtutis amore implevit unus. Et ecce nunc eum liberum pronuncio, & te ſervitute abſolvo. Amicos volo, non ſervos.

Tum enimvero exturbari, quidquid amaro animum ſenſu oppleverat; ſuccedere gaudium, quantum mortale pectus ſine noxa capit. Nam & perfunctus eram formidoloſiſſimis diſcriminibus, & admovebar dulci patriæ. Aperiebat ſeſe, qua redirem ad meos, via. Adde ipſum ex Hazaële ſolatium. Eius quippe non iam ſocietate, ſed etiam charitate fruebar, natâ ex non ficto in virtutem ſtudio. Paucis: recuperato Mentore ſine metu amittendi eius, recuperavi omnia.

Feſtinabat Hazaël ad maris crepidinem. Sequimur: mandamur navi. Tranquillô fretô remus, lenis anima Zephyrorum velîs accipitur; inde navis, quaſi torpore abſterſo, haud temerario motu cieri. Extra conſpectum inſulæ ſtrenuè proceſſum. Hazaëlem trahebat mirabilis exſpectatio pernoſcendi animum meum. Itaque quid mihi

mihi de Cypriorum moribus & diſciplina, interrogat. Ego, quibus periculis flos ætatis meæ fuerit expoſitus, atque ipſas adeò pugnas interiores animi mei nunciabam ſimpliciter. Ille verò inaudiens, horrori faſtidióque mihi fuiſſe, quæ vidiſſem turpia; haud paulò intentiore cum motu animi: Quantum tu cum filio tuo, inquit, poſſis, o Venus! ſcio. Ambos thure colui. At erubeſcendam mollitiem, qua liqueſcit veſtra Inſula, deinde alienas ab homine libidines, quibus celebritates veſtræ inquinantur, ſinitè, quæſo, tranſcribam Diris.

Poſtea ſermonem inſtituit cum Mentore de ſumma illa, primáque potentia, quæ cœlum terrâsque condiderit; de immenſa illa, immutabilíque luce, quæ quanquam omnibus impertita, ipſa tamen non diſpertiatur ſeſe; de illa ſuprema veritate & univerſali, quæ omnes animas perinde atque hunc ſpectabilem mundum Phœbus, mirabili radio illuſtret. Et hanc quidem lucem, ille ſubiungens inquit, qui aſpexit numquam, primigenia quadam cæcitate laborat. Equidem vivit is, at noctis concubiæ occultatus tenebris; veluti quibusdam nationibus frequentior annus ex abſentia ſolis caligat. Maturum ſe iudicat fundendis oraculis, & inſanit. Lynces provocat, & cæcutit cum talpis. Clauduntur morienti oculi, quos nunquam utiliter aperuit. Aut certè præter obſcuras fictásque ſpecies, præter inanes umbras, & exerrantis phantaſiæ excrementa haud intuetur quicquam. Hanc cæcitatem cæcutiunt, hanc inſaniunt inſaniam, qui illecebris ſenſuum, & captioſis aberrationibus animi tanquam incantamentis abripiuntur. Simu-

lacrum

lacrum hominis eſt, hanc æternam mentem qui non conſulit, non amat, non ſectatur. Quæ cogitamus bona, inſpirat; mala impune cogitare non ſinit. Ratio noſtra, vita noſtra illius donum eſt. Animi noſtri velut rivuli; illa mare quoddam luminis: ex quo progreſſi in idem ſeſe denuò, ut abſorbeantur, recipiunt.

Ego ſapientiam huius ſermonis aſſequebar minùs. Ceterùm, cùm proferretur, ſentiebam exquiſitum quid eſſe, & à communi uſu remotum; neque in præſentiarum ei enuntiando ſum. Ardebam illis miſcentibus talia; &, quot verba, tot argumenta veri credebam me non audire, ſed intueri. Dicendô progreſſi de origine Deorum mutavêre verba. Ab his ad Heroës poëtasque ſermone translato auream ætatem largiùs delibârunt. Perſtricta etiam univerſi orbis inundatio, mixtáque hiſtoria primorum temporum. Ventum præterea ad Aquas oblivionis, quibus immerſæ animæ memoriam præteritorum abſtergunt. Pœnas item ſuppliciáque memorabant, quæ Tartarus parat ſemper cruciando ſceleri. Ab hoc loco infelicitatis ad felicem tranquillitatem deflexerunt, quam bonis Elyſii campi nullo metu amittendæ eius ſervant.

Ceterùm his ſermonibus iucundum intervenit ſpectaculum. Delphini ſubibant, eminentes ex aquis. Aureæ illis ſquammæ, & quem in ſudo cœlo videmus, color. Alludentes mutuò, placidam intemperiem induxerunt mari, motis fluctibus & liberaliter emicante ſpuma. Tritones ſecuti, conchis ingenti tortis flexu tubarum clangorem imitabantur. Circa Amphitrites currum

erant,

erant, quem equi marini trahebant, magnum ornamentum ſpectaculi. Illi candore nives, illi Notos velocitate ſuperabant adeò, ut ruentes per altum, alveum largiori ſpatiô deducerent. Accedebant flammæ oculorum, & ora fumantia, iugalium ingens decus. Concha præſtabat Divæ currum, mirabili ſpecie. Candebat præ ebore; rotæ ex auro. Volare eum crediderit per ſtagnantes undas, ſupremæ etiam aquæ ſalva tranquillitate. Nymphæ proximæ, frequenti natatu; ſertiſque adornatæ cæſariem, quæ, deſcenſura humerîs, dabat ſe aſpirantis cœli ingenio. Amphitrite imperabat fluctibus aureô ſceptrô, quod manum alteram occupaverat. Alterâ parvulum filium eûmque Deum Palæmonem ſtringebat commode exceptum ſinu, & trahentem alimenta ſuæ infantiæ. Frons Divæ parentis ſerena, maieſtas facilis, ceterùm ventis tempeſtatibúſque infenſa, quorum ſeditionem horrorémque excludebat mari. Equis Tritones moderabantur; aureæ item habenæ, quas admovebant. Purpureum velum & capax multæ auræ tegebat currum, fluitante per aërem modico ſinu. Quippe partem eius duntaxat impleverant numeroſi Zephyri, ambitioſum aſpirandô promerendæ Divæ famulitium. Medio aëre ſe Æolus ſuſpenderat; intentiórque cura, æſtuans ſollicitudo, & acriter agendi fervor fatigabat. Facies ex rugis difficilior? vox acerba ad terrorem: ſupercilia denſo tractu temerè incurrentia in palpebras: immitiùs quam luculentiùs ardentes oculi, quibus turbulentum murmur aquilonum, nubiúmque decedebant minæ. Immenſæ moles, delphini, quæque orta mari ob inuſitatam ſpeciem mon-

monſtra dicimus, attractîs, deinde refuſis per ſpiramenta narium aquis, æſtum faciebant pelago; & celeritate, quam vix credebam capere poſſe tantam magnitudinem, è cavernis ſuis, imo impreſſis fundo, eluctata Deam ſuam mirabantur.

TELEMACHUS.

LIBER V.

HOc ſpectaculo ſuſpenſos Cretæ iuga procul adverterunt. Laborabat adhuc incertus oculus, ut à nubibus pelagóque ea dignoſceret. Paululum provectis apices ſuos ad reliquorum invidiam mons Ida nudavit; quos, velut cervus ramoſis cornibus inſigniter armatus iuſtæque ætatis hinnulorum, qui ſequuntur, ſeriem altítudine ſuperat. Leniter deinde ſe nobis Inſulæ ora amphitheatri in modum applicuit, iam certioribus, quæ paterent videnda. Cyprus inculta & expers humanæ induſtriæ videbatur; Creta autem fertili ſolo, diverſorum præterea fructuum copiâ ſolliciti cultus oſtentabat argumenta.

Pagi firmiter extructi, vici oppidorum ſpecie, urbes magnificentia ſingulari; omnium magna frequentia. Agri aratoris manu diligenter ſignáti: ſulci non leviter impreſſi. Fruticum & veprium impedimenta, herbáſque inutiles felix gleba ignorat.

Quàm volupe nobis erat aſpicere valles profundas, boum mugitibus reſonantes, qui pingui gramine ſecundùm aquarum manantium crepidines veſcebantur! aſpicere vervecum greges ex adductis multa declivitate collibus pabuli cauſâ

pendentes! fluctuabant immenſa agrorum æquora flaventibus ariſtis, quas velut opimum munus iamiam meſſorum falcibus ingerebat frugum Parens. Colliculos pampini tegebant racemíque, primo livore ad iucunditatem miteſcentes. Erat hoc dulciſſimum & à libero Patre paratum collecturis donum, atque ad humanas curas ægritudinésque pharmacum.

Se aliàs in Creta fuiſſe, Mentor dicebat; nihil celans eorum, quæ de ipſa vel auditu hauſerat, vel experientià. Hæc Inſula, inquit, exterarum gentium admiratione & centum, quibus occupatur, urbibus celebris, nihil alimentîs incolaram, quamquam pœne innumerabilium, laborat. Scilicet numquam terra fraudat colentium induſtriam, neque illius ſeneſcit fœcunditas: augetur, quantùm multitudo hominum, tantùm abundantia rerum, modò non nullius laboris illi ſint; & ſine cauſa ſe aut æmulationibus inſectantur, aut invidia. Benigna mater tellus eſt, cuius liberalitatem numquam ſuperat liberorum frequentia, niſi egere mereantur ob deſidiam. Ambitio, avaritiáque una ſcatebra eſt & origo malorum, quæ mortalibus incumbunt. Nihil eſt, ad quod non excurrat humana cupiditas: aucupatur ſuperflua, atque ita neceſſariis quoque exuitur; quæ ſi nihil requireret præter ſimplex vitæ genus, eáque, quibus in vita carere haud licet, ubique beata rerum copia, liquidiſſimo gaudio, ſuaviſſimæ concordiæ pacisque fiducia redundaret.

Id Minoëm, ut erat prudentia & bonitate ſumma, haud fefellit. Legum, quas condidit, fructus eſt, quidquid oculos veſtros ſubibit admiratione dignum

gnum. Liberos educandi ratio, quam itidem ab eo Cretenſes accepêre, ſanitatem corporibus robúrque tribuit. A teneris aſſueſiunt ſimplici ſobriæque vitæ; amoventur ab otio: cúmque ex voluptatibus credatur certa corporis ruina animíque exiſtere, non commendantur oblectationes, niſi quæ virtutem acuant; robur ſubminiſtrent invictum, gloríæque ſubſidium. Neque ſoli laudem fortitudinis capiunt, qui obire non timent per belli diſcrimina; ſed & illi celebrantur, qui opes nimias ſpernunt, & voluptates calcant. Ingratus, fictus, & avarus animus (ter nefandum monſtrum & aliàs per orbem ob impunitatis indulgentiam licentiùs graſſatum) his gentibus abominationi & numquam ſine ſupplicio eſt.

Ad luxum quod attinet, mollitiémque: ignota hæc ſunt Cretenſibus flagitia, ideóque Cenſorum haud fatigant operam. A labore tam vacui non ſunt, quàm à diteſcendi voluntate alieni; credúntque pingue eſſe laborum ſuorum præmium, poſſe vitam modeſtè & naturæ convenienter exigere, cùm nihil ſit, ſine quo ita tranquillè commodéque viventes eſſe non queant. Non ibi permittitur lauta ſupellex, non ornatus veſtium ſplendidior, non delicatè opipáreque adornata convivia. Auro illinere ædium interiora nefas. Veſtiuntur molli lana, decenter, quanquam non variè, non acu picta. Moderatè ſobriéque convivantur. Ferculorum caput eſt panis cibarius; miſſus præcipuos arborum fœtus conſtituunt, ad hoc velut ſponte ab ipſis oblati. Additur lac, quod greges miniſtrant. Qui largiſſimè indulgent genio, obſoniis utuntur craſſis, durioribúſque & ita apparatis, ut

non blandiantur gulæ. Aliud frugalis parſimoniæ argumentum eſt, quòd magnopere cavent, ne, quibus abundant, armentorum optima cum agriculturæ promovendæ detrimento menſæ abſumant. Ædes non ornatæ, ſed nitidæ, commodæ, amœnæ; neque id, quaſi artem, quæ pompas iuvat ſtruendô magnifica, ignorent (habent enim machinatores ſuos, architectóſque) ſed quòd ſolis Deorum immortalium templis reſervetur. Quippe arbitrantur ſine Deorum iniuria domos haberi non poſſe, quibûs recipere Deos ſine rubore queant. Sanitas, robur, fortitudo, pax, concordia propinquorum, communis libertas, copia eorum, quibûs indigent, & eorum, quibus carere poſſunt, contemptus, bona Cretenſium ſunt, quibûs maximè delectantur. Accedit præter aſſuetudinem laboris, horrorémque otii ſtudium virtutis, & in leges iuſtiſſimóſque Deos reverentia.

Porrò fundamentum auctoritatis & potentiæ (quæ regibus tribuuntur) me cupientem edoceri Mentor admonuit: Regem quidem ſummo cum imperio præeſſe populis, legibus tamen penitus ſubeſſe. Penes ipſum eſt (inquit) benefaciendi ſummum arbitrium, malefaciendi nullum. Solent peregrinæ curæ mandari pignora; at horum pretioſiſſima ſunt populi, quos dum regi committit legum conditio, ſimul ad patris officium exhibendum adſtringit, quo levare ſubditum oportet. Ut homo unicus adiumentô ſapientiæ ſobrióque poteſtatis Regiæ uſu inſtrumentum ſit, quo nihil non optabile conſequantur tot hominum, quibus præeſt, millia, leges iubent; tantum abeſt, ut velint miſeriâ tot gentium ſerviendíque vilitate,

ad

ad quam abiiciuntur, ad palpandum unius hominis faſtum mollitiémque abuti. Regalis dignitas communi hominum ſorte potior haud eſt, præterquam in iis, quæ vel ad levanda eius onera, vel ad excitandam conſervandâmque eius utpote vindicis legum, reverentiam oppidò requiruntur. Ad Regem denique pertinet intemperantiam, mollitiem, arrogantiámque, & quidquid ab inſolentia elationéque diverſum non eſt vehementium, quàm reliquum hominum genus aſpernari. Non opum affluentiâ, non artificiîs relaxandi ſeſe, præſtare ſuos debet, ſed ubertate ſapientiæ, virtutis, gloriæ. Forìs defendet patriam, educet copias; domi æquitatis exercitiô populis probitatem, ſapientiam cum felicitate conferet. Regnum à Diis immortalibus non ſuâ ipſius gratiâ, ſed populi, cui dominatur, accepit. Subditis tempus, curam, amorem debet; quantum ſui obliviſcitur, bono Reipublicæ, tantum nec amplius dignitatis ſuæ meretur uſurpare. Certè Minos (gentis quàm ſtirpis ſuæ ſcienter amantior) noluit ſucceſſorem ex iis, quos genuit, niſi qui præceptis ſuis conformem in imperio modum teneret. Atque hac ſapientia adeò potentes, adeò felices Cretenſes reddidit. Hac modeſtia continentiáque induxit caliginem luculentiſſimæ victorum gloriæ, incrementum magnitudinis ſeu vanitatis ſuæ ex popularibus ſervitiis captantium. Et ne multa: Dii Minois iuſtitiam ſupremô in Inferorum Urnam arbitriô compenſárunt.

Hæc loquente Mentore ad Inſulam appulſum fuit, itúmque ad Labyrinthum invitante fama. Dædalei ingenii opus eſt, Labyrinthi in Ægypto à nobis viſi æmulum. Quod dum ob rariora monumenta

numenta perluſtramus diligentiùs, populum in maritima ora diffuſum aſpeximus, in propinquum crepidini locum turmatim concurrentem. Cauſam ſollicitæ feſtinationis percontantibus Nauſicrates quidam & ipſe Cretenſis narravit ſequentia.

Idomeneus Deucalionis filius & ex Minoë nepos ceteris Græciæ Principibus adiunctus ad vindicandum Helenæ raptum regnô ſuô exceſſerat. Exſciſſis Pergamis rediturus ad ſuos pependit vela. At ea vis tempeſtatis perculit infauſtum, ut & qui moderabatur navigium eius, & qui aliàs rerum maritimarum non ignari vehebantur unà, haud ambigerent naufragium futurum. Unus omnium oculis obverſabatur interitus. Patebant immenſi pelagi deiectus, paratum intuentibus ſepulchrum. Deflebatur communi planctu ad ſingulos pertinens calamitas, ne ſpe quidem relicta amariſſimæ quietis, qua exhibito ſepulchri honore per Stygem evecti manes perfruuntur. Tantum & commune periculum miſeratus Idomeneus ſublatis oculis manibúſque Neptuni opem inclamans deprecabatur: o Dive, cuius imperium reveretur pelagus, audi ad Numen tuum ſuſpirantem miſeriam! ſi mihi conceſſeris, ut Cretam iſto ex periculo ſalvus aſpiciam, primum, quod in ea caput aſpexero, hac dextera mactatum accipies.

Interea puer, quem in ſpem regni Idomeneus genuerat, urgente ſalutandi Patris deſiderio, in occurſum eius amplexúſque feſtinat; miſerabiliter ignorans, ſe quot ad vitæ ſuæ auctorem, tot ad mortem paſſibus contendere. Idomeneus portum incolumis intrat, præſtitum ad voventis ge-

mitus

mitus auxilium Neptuno prolixiſſimè gratulatur. At protinus, quàm promiſiſſet fatalia, ſentire cœpit. Movebat divinatio animi malum præſagientis vehementem temerè ſuſcepti voti pœnitentiam. Horrebat pervenire ad ſuos, verebatúrque rurſus aſpicere, quod ipſi in orbe chariſſimum. Verùm truculenta Nemeſis, cuius inexorabile Numen tum in mortalium, tum maximè in Regii tumoris ſupplicia acerrimè vigilat, ſingulari arcanoque impetu Regem protruſit ad littus. Appellitur: ægrè ad proſpectum Rex amolitur palpebras: filium aſpicit: retrahit pedem attonitus; aliud caput requirunt palpitantes oculi, quod minùs charum, quod in victimam ſit. At errorem inutiliter quærit. Involat in collum filius, ſtupétque planè alienum ab ignibus animi ſui patrem; quippe videbat eum lacrimis diffluere.

Unde triſtitia, dilecte genitor! exclamat; poſt diúturnam adeò abſentiam cum dulciſſimo nati tui ſolatio huc piget reverti? quid commiſi? oculos avertis? itane aſpicere times, quem lumen vocabas tuum? Tacuit mœrore penitus & miſerrimè oppreſſus pater. Ad ultimum poſt graviſſimos gemitus: ah quid vovi, inquit, Neptune, tibi! quanto & quàm amaro pretio redimendum naufragium miſero genitori! trade me inſanis fluctibus: impinge immitibus ſcopulis, quibus allidendus eram, & abrumpenda fatorum meorum infinita calamitas; vivere natum ſine! Crudele numen! habe hanc animam, vivere natum ſine! Stricto inter hæc verba acinace ſe interfecturus videbatur, niſi, qui circumſtiterant, cohibuiſſent vibrantem manum. Aderat inter eos, qui obviam Regi

proceſſerant, interpres voluntatis Deorum Sophronymus ſenior. Ille tunc magnopere affirmabat, Neptuno ſatisfieri poſſe ſalvo puero. Votum tuum, ſenili gravitate inquit, ſine conſilio fuit. Nolunt Dii crudelitate coli. Errorem, quo te religio obſtrinxit inconſultæ ſponſionis, cave augeas ſacrilegiô. Augeres autem, ſi, quod extinguit naturæ leges, votum exſolveres. Neptuno candidiſſimà Hecatombe ſupplica. Aræ floribus ſuperbiant, naténtque victimarum cruore. Sanguinis tui, quem nefas effundere, innocuis vaporibus odores fragrantiſſimos ſubſtitue.

Rex demiſſo capite audiebat interpretem. Vocem non reddidit. Oculi furore ſuccenſi; vultus pallore deformatus, atque ex perpetua coloris varietate horridior: artus omnes ſuccutiebat iam non occultus pavor. Ad quæ puer: En me, genitor! per vim ſatisfacere naturæ debito non recuſat filius, ut fluctuum potenti ſatisfiat Deo. Noli habere offenſum; optata mihi mors, ex qua tu vives. Feri, pater, nec te puta genuiſſe tui ex recuſata morte indignum.

Tunc Idomeneus alienata penitus mente, & quaſi furiarum ſtimulis præceps, attonitis omnibus, qui diligentius eum aſpiciebant, filii pectus gladiô haurit; eúmque infectum ſanguine, & cruentis vaporibus exæſtuantem in ſua viſcera conatur reducere: cùm iterùm à circumſtantibus cohibetur. Corruit filiolus, cruore ſuo volutandus; offunditur oculis lethalis caligo, quos dum ſemel atque iterum aperit ad accipiendam lucem, vix acceptam eam perferre non valuit. Dixiſſetis formoſum lilium, quod amœniſſimo circumfuſi agri ſpecta-

ſpectaculo eminens, vomere ſuccisîs radicibûs, vigore deſtitutum languet, & erectam nivium ſuarum pompam deponit humi. Nec candor eius mox defluit, nec quæ ad oblectationem intuentium fulget, ſpecies: alimentô tamen arcetur & caret vitâ. Haud ſecus Idomenei filius recentis floſculi tenerrimíque ritu, annîs virentibûs ſuffecturus ſæculo, exſtinguitur. Ceterùm patrem doloris magnitudo ſenſu privârat, nec, quo conſiſteret loco, quid ageret, quid agere oporteret, patiebatur cognoſcere. Contendit in urbem; percontatur de filio.

At populus miſericordiâ triſtiſſimam regii ſanguinis vicem excepit, paterni facinoris atrocitatem vehementer deteſtatus. Iuſtâ Deorum irâ furiis traditum Regem palàm vociferabantur. Furor arma miniſtrabat ſtipites, ſaxáque; inſaniebant vipereô odiô diſcordes animi. Gens illa è Iovis quaſi proſeminata cerebro, Cretenſes, obliti ſapientiæ tantopere eum in diem amatæ, Minois Oraculi quondam ſui poſteritatem (Idomeneum) abiiciunt, eiurant. Amicis non ſuppetebat liberandi Regis conſilium, niſi quòd ereptum inſanienti vulgo reducerent in navem, unáque impoſiti beneficiô ſecundæ navigationis abirent ex furentium oculis. Idomeneus. redditus ſibi, gratias agere cœpit, quod ſubduxiſſent ſeſe terris, filii ſui cruore paternæque manus flagitio infectis: nunquam futurum fuiſſe, ut in inſula tanti facinoris conſcia perſeveraret. Heſperiam nunc petunt, novum Imperium apud Salentinos condituri.

Interea Cretenſes Rege deſtituti, cui pareant; eligere decreverunt incorruptæ legum integritati

proviſurum. Eligendi autem modum hunc facient. Convenerunt huc proceres urbium, quas centum numeramus. Iam datum ſacrificiis initium; convocatíque ex finitimis gentibus, qui ſapientiſſimi habentur, ad ferendum iudicium de prudentia eorum, qui apti videbuntur capeſſendo Imperio. Sollennibûs quoque ludis, (qui & ipſi accurati iam ſunt) committentur Regales candidati. Scilicet quem & ſollertiâ ingenii, & exercitatione corporis iudicaverint reliquîs potiorem, Regis inſignia victoriæ præmium auferet. Regem deſideramus, cuius corpus robuſtum & habile ſit, animus acutus ad ſublimia, probúſque. Eam ob cauſam omnes exteri huc evocantur.

Hæc nobis monſtra videbantur. Quibus recenſitis Nauſicrates: agite, inquit, hoſpites! & vobis hæc edicta comitia putate. Certamine perſequendum eſt præmium, huius Imperii inſignia; quæ, ſi cui veſtrûm palmam ſuperi decreverint, feret. Sequebamur monentem non deſideriô victoriæ, ſed ſtudiô rei tam novæ, tam inuſitatæ.

Ampliſſimus locus erat, frequenti ſylva clauſus, ad quem eo duce venimus. Circum imitabatur, cuius medium arenîs ſparſum pugnaturos exſpectabat. Capaciſſimum amphitheatrum ſe circumfuderat, pubeſcenti herba ſpectatores commodè excepturum. Omnis honos accedentibus nobis eſt habitus. Quippe Cretenſibûs non alia in orbe natio liberaliùs ſanctiúsve hoſpitalitatem colit. Oblata protinus ſedes eſt, & veniendi in certamen copia. Mentor excuſatione ætatis utebatur; Hazaël, quòd deteriùs valeret. Mihi vigor ætatis, robúrque præripiebat excuſandi locum. Furtivo

tamen

tamen obtutu explorabam Mentoris animum; compertóque, ipſo volente me certaturum, haud reluctabar honorificè compellantibus. Itaque detractìs veſtibûs, dulci nitentíque oleo inundatus luctatoribus miſceor. Leniori fremitu paſſim comitia fervebant: hunc eſſe Ulyſſis filium; veniſſe, ut de palma contenderet. Agnoſcebárque non paucis Cretenſium, qui mê puerô fuerunt in Ithaca.

Primum certaminis genus luctatorum fuit; in quo Rhodius quidam annos quinque admodum & triginta natus omnes, occurrere ſibi auſos, deiecit, Nihil dum ei ex iuvenili vigore deceſſerat. Brachia fideli nervorum robore pertinaciùs firmata & habitiora: modica iactatione ducti per corpus muſculi exſtabant. Agilitas membrorum ea fuit, ut potuerint quemcùmque impetum animi ſequi. Videbar aſpicienti cum faſtu indignus, quem vinceret; movítque ætatis meæ infirmitas, ut referre pedem inciperet. Ego verò me in audaciſſimi hominis conſpectum dedi. Facto impetu, mutuis complexibus ad exanimationem premimur: humeri humeris oppoſiti, pes pedi. Extendebantur nervi validiùs nitentium: hærebant tortuosè conſerta brachia, in id incumbente utriusque conatu, ut adverſarium quisque ſuum moliretur humo. Iam in dextram detorquendo, iam verſando in ſiniſtram pervicaciter contendebat me occupare: cùm hæc tentantem vi tanta impuli, ut contriti lumbi recederent, ipſe ſupino lapſu præceps me unà abriperet in caſum. Nitebatur extremis viribus amoliri incumbentem ſibi. Sed impeditus meâ validioris operâ humi affixus hæſit. Tum ſecutus populi plauſus: Victoria Ulyſſis filio.

filio. Ego pudore ſuffuſum Rhodium allevavi. Difficilior mihi pugna cæſtuum fuit. Ea clarus haberi cœperat bene nummati civis ex Samo filius. Iam reliqui arenâ exceſſerant. Unus ego ſupereram, à quo vinci poſſe credebatur. Certaminis initium iniquiſſimè me habuit: quippe capiti primùm, deinde ventriculo telum tam validè crebrôque intorſit, ut remiſſo è pulmonibus ſanguine denſa nubes ſeſe palpitantibus oculis offuderit. Vacillabam. Ille inſtare; ego prohiberi ſpiritu. Mentoris vox me mihi reddidit. Interrogabat enim caſtigantis ritu: num manum daret ex Ulyſſe genitus! quibus ego & irâ validior, ſæpius fruſtrabar inſtantis manum, aliàs futuram exitio. Simul atque vano ictu lacertos paulò longiùs adverſarius protendebat, occupavi ita deflectentem. Iamque cæſtum, ut vi graviori incumberet, reduxeram: cùm percutiendus retrò abit, malo ſuo. Namque dum promptiùs quàm cautiùs ferientem effugit, corporis apte librandi facultate deſtitutus ipſe occaſionem præbuit proſternendi ſeſe. Proſtravi, porrexíque manum in iacentis auxilium. At recuſatâ alienâ operâ ipſe ſudore ac ſanguine perfuſum corpus erexit, in certamen, quanquam ſuccubuiſſe eum mirabiliter puduit, redire non auſus.

Mox ad equeſtres ludos ventum, bigíſque certare libuit, quæ dabantur ſorte. Deterrima mihi obtigerat, quippe reliquis multò inferior tam firmitate rotarum, quàm equorum robore. Apertîs carceribûs procurrentes ſecuta pulverea nubes, quæ proſpectum inhibuit. Ruentibûs ceterîs non ſine conſilio tardiora mihi imperabam curſus initia.

Con-

Continuò Lacedæmonius quidam, nondum provecta ætate, videbatur primus ad metam fore. Crantorem dixerant, cuius tergum Policletes Crenſis premebat. Hippomachus ſanguine iungebatur Idomeneo. Hic ſpei potiundi regnum, quo nuper cognatus exciderat, imminens, laxiſſimis habenis abripiebatur; toto corpore fluitantibus equorum multo ſudore fumantium iubis incumbens, tantóque impetu præcipitato curſu, ut ſtare rotas eius credidiſſes, pennísque aquilæ altiora ſubeuntis pares, quarum motum celat pernicitas. Hîs velut exemplis ferociores equi, quibûs ego vehebar, concitari, in curſum effundi, maximam partem & multo poſt ſe intervallo relinquere, quos ergaſtula ſimul emiſerant. Hippomachus ex Idomenei cognatione (ùt dixi) currum rapiebat violentiùs; factúmque, ut ſonipes, quem habebat firmiſſimum, fallente veſtigio præceps in terram, dominum ſuum à ſpe maxima deiecerit.

Policletes depreſſa cervice in iugales, ideóque leviùs hærente corpore pronior in lapſum, graviori exiſtente impetu excuſſus eſt, emiſsíſque habenis vitam tamen non amiſit. Ab uno iam Crantore, quod timerem, ſupererat. Qui cùm me curſus ſuos proximè æquaturum cum multa moleſtia cerneret, æmulationis fervore concitatior, modò Deorum inclamabat opem: liberaliſſimè ſe litaturum ipſis; modò increpitos equos feſtinationis admonuit. Verebatur enim, ne ipſum ſalvîs ſtadii limitibûs prætervectus, equîs ex moderato primùm curſu adhuc valentioribûs, celeritate præverterem. Quod cùm expedito itinere impedire haud poſſet, adnitendum ipſi erat, ut bigam æmuli interciperet.

Itaque

Itaque ſtatuit temerariô conſilio, currum ſuum ad terminos ſtadii (terræ immiſſi caudices erant) affligere. Iámque rota una diſſilierat. Ego id unum agebam, ut quamprimum deflectendô nihil moræ ab adverſario iam deterius vecto acciperem. Et ſanè momentum abierat, cùm æmulum ſuum cum indignatione vidit in meta conſiſtere. Repetebatur applauſus: Victoria Ulyſſes filio, quem Dii nobis imperare voluerunt.

Sylva erat extra conſpectum profanorum hominum, multo ſenio & religione venerabilis. In eam tunc ab illuſtriſſimis ſapientiſſiimíſque gentis eius ducimur. Coiverant huc viri ætate ſuſpiciendi, quos populo iudices, defenſores legibus Minos dederat. Præter me illóſque, qui dimicaverant, nemo conſilio huic intereſſe vel iuſſus vel permiſſus eſt. Protinus à ſapientibus aperiuntur libri, in quos leges ſuas Minos retulerat. Acceſſi, ſenſíque animum meum pudore & reverentia impleri ob præſentiam virorum tanta ætate, tantâque prudentiâ, ne vitæ longioris quidem vitio imminutâ.

Suîs quisque locîs, ſicut ex ordine conſederant, perſeverabant ſine motu. Commendabat aliorum auctoritatem canities, aliorum, quòd eos canîs provectiores anni nudaverant. Suavem quamdam & tranquillam prudentiam oris oſtentabat gravitas. Non proniores in ſermonem erant, non largi verborum ultrà, quàm quæ proferre decreverant. Ortâ controverſiâ diſſentientes ſuam quisque tam modeſtè propugnabat ſententiam, ut ad alios vix manaret controverſiæ diſſenſúsve indicium. Nihil erat, quod minùs acriter intelligerent, diuturna retro

retrò actorum experientia laboríſque conſuetudine eruditi ad aptè ſentiendum. Adde tranquillitatem ſpiritus, libertatémque ab inſanis atque effrænatis cupiditatibus, quas in iuvenibus magiſtri damnant. Nihil agebatur ab iis, cui repugnabat ratio. Virtutem, quam colebant, adeò utiliter corroboraverant vetuſtate, ut in promptu ipſis eſſet, quæ ex rationis obedientia naſcitur, vera illuſtríque & ingenuo animo digna oblectatio. Summa cum admiratione contemplatus hæc ornamenta venerandæ ſenectutis, optabam demi futuris annis meis, ut licuiſſet tam pretioſam ſenilium annorum periodum, quam vivebant hi viri, quamprimum ingredi. Calamitoſa mihi videbantur iuventutis tempora, quòd numquam eſſet ſine cæco impetu, numquam cum virtute tam perſpicaci, tam tranquilla.

Erat, qui in hoc venerabili conſeſſu emineret. Ille ergo tabulas legum revolvebat, quas in prægrande volumen redactas ciſtula aurea cum odoribus plerumque ſervabat. Seniores labia venerabundi admovebant libro; profitentúrque, poſt ſupremos legum Auctores Deos hominibus nihil ſanctius habendum eſſe, quàm leges, quarum finis hominum probitas, ſapientia, felicitas; nec ipſos adeò oportere exleges eſſe, qui ideò manibus leges verſant, ut imperent. Ceterùm princeps conſilii tres quæſtiones poſuit, ad Minois placita diſcutiendas.

Quærebat primò, quis omnium maximè habendus ſit liber? alii, Regem dicebant eſſe, qui nullius timere arbitrium debeat, & timeri à devictis hoſtibus. Divitem alii eſſe contendebant, cuius nulla

nulla ex parte vana eſſent deſideria. Quidam hominem aiebant, qui tori expers ſemper apud exteras gentes eásque diverſas viveret, neque ulla religione legum eorum, apud quos eſſet, adſtringeretur. Fuêre, qui libertatis prærogativam deferrent Barbaris, ùt qui venatu victitantes in ſylvis, nulla cura legum premerentur. Neque dubitabant aliqui, bene reſponſuros aſſerendô, ante alios cenſendum liberum, qui libertate donatus pileô nunc tegeret paulò antè perforatam auriculam; quippe ſervitutis aſperitate dulcedinem obtentæ libertatis plurimùm augeri. Ultimi moribundum eſſe credebant; quòd fata liberarent ab omnibus, quæ hominem liberum eſſe non ſinerent, nec mortuo poſſet imperari.

Dicendam ex ordine ſententiam facilè expedii, probè memor eius, quod non ſemel ex Mentore perceperam. Maximè liber eſt, aiebam, qui nec in ipſa ſervitute ſervitutem vivit. Nulla regio, nullum vitæ genus, à nobis quod colitur, obeſt libertati, ſi uni timeantur Superi. Paucis: verè liber eſt, qui ſuperato omni metu, cupiditateque ſolis Superis & rationi paret. Senioribus mutuo aſpectu ob hoc reſponſum defixis, primo ſimplex riſus, deinde comperto, me nihil à Minois effato alienum reſpondiſſe, etiam admiratio oborta fuit.

Altera quæſtio his proponebatur verbis: Quis mortalium infeliciſſimus? reſponſum eſt, quantum ad rem cuique videbatur ſuggerere animus. Quidam infelicitatem ponebat in indigentia fortunarum, valetudinis, dignitatis; alius in amicorum penuria. Contra aſſeverabant nonnulli, minimè felicem ex mortalibus eſſe, qui edidiſſet liberos ingra-

ingratos & degeneres. Ex Lesbo ſapiens aderat, qui rogantibus peracutè reſpondit: infeliciſſimus eſt, qui ſe credit infeliciſſimum. Neque enim potiùs infelices ſumus ex iis, quæ patimur; quàm ex iniquo animo, quo aggravantur, quæ patimur. Ab omni concilio his verbis, rationi planè conſentaneis, applauſum, aſſenſúmque eſt; credebántque haud futurum, qui ſaniora reſpondeat. Ego verò rogatus, quid mihi videretur? conformem documentis, quæ Mentor inculcaverat, ſententiam ordiebar: Infeliciſſimus mortalium eſt Rex, qui felicitatem metitur ſuam ex aliornm miſeria, quam infert. Cæcus, ideóque bis infelix eſt: namque infelicitatem ſuam non agnoſcit: itaque ea ſe liberare non valet; deinde etiam ſe felicem exiſtimat, quamdiu ſe infeliciſſimum eſſe ignorat: itaque ignorare quoque adnititur, & ne non ignoret, metuit. Acceſſuris eum, qui verum doceant, erroris admoneant, immobiles adulatorum cunei ſe obiiciunt. Quot cupiditates, tot carnifices habet, & imprudentiſſimos magiſtros regalis officii. Numquam benefaciendi dulcedinem, numquam ſinceræ virtutis ſuavitatem ſentiet. Infelix & meritò infelix eſt: novatur quotidianîs incrementis eius infelicitas: exitio ſuo feſtinanter obvium exſpectant Deorum ſupplicia, perpetuò ad dedecus & ignominiam ſtolidi imperii infligenda. Lesbio Sapiente meliora me reſpondiſſe tota fatebatur concio, Minoísque ſenſum aſſecutum Seniores pronuntiabant.

Tertiò demum quærebatur: pluríſne æſtimandus Rex bello auctior, invictúsque; an verò armorum rudis, peritus tamen pacificis temporibus

coërcendi ſuos utili atque ad ſapientiæ leges exacto imperio? Plerorúmque ea vox fuit, præferendum, qui ſe bello præſtaret invictum. Quid cum Rege, aiebant, qui pacatis temporibus bellè ſcit regere, ſed orto bello turbatus neſcit ſua defendere? Ipſe hoſtibus inferior, ſubditi mancipia erunt. Alii contra pacificum præferebant, ùt qui bellum timeret, & prævertere conſilio poſſet. His rurſus contraria ſentientes alii dicebant, Regem bellatorem finéſque imperii amplificandi ſtudioſum tum ad ſuam, tum ad gloriam gentis ſuæ incubiturum; in armis fore, dum vicerint ſui. At pacifico rege, ſubditum marceſcere otiô & perniciosâ ignaviâ. Denique tertiò, quid ſentirem? iuſſus pronuntiare, ſequentia repoſui:

Mediâ tantùm parte Rex eſt, qui non niſi aut pacis aut belli negotia didicit tractare; nec tam pacatum quàm armis infeſtatum tenere imperium. Quòdſi verò Regem unicè præliis deditum comparare libet cum Rege ſectante ſapientiæ ſtudium, & pugnandi quidem arte deſtituto, ceterùm habente viros idoneos, per quos agat, quod exigit improviſa belli neceſſitas: hunc ego ſanè pugnatori illi anteponendum exiſtimo. Pugnax animus cùm armis ſemper immineat ad propagandos tum ditionis tum gloriæ ſuæ terminos, ſubditum in caſum trahet. Quid iuvat habere populorum victorem Regem, ſi ſubditos premat devictorum calamitas? diuturna bella multa licentia conſequitur, multa confuſio, à qua intacti neque ipſi adeò victores manent. Quanta impenſarum æſtimatione Phryges expugnavimus? decennium integrum & amplius acephala fuit & ſine regibus Græcia.

cia. Leges, cultúsque agrorum & artium flamma belli abſumit. Vel optimi principes, quamdiu militiæ vacant, vehementiſſimè (quamquam inviti) peccant, dum videlicet nec poſſunt obſiſtere militari licentiæ quantumlibet effuſæ, nec carere improborum auxiliô. Iam facinora quis numeret, armîs vacantibûs punienda, quorum tamen licentiam remuneratur bellorum confuſio. Auctoritas domini, qui dimicandi ſtudiô tenetur, ſubditorum exaggerat onera. Qui regna, qui urbes expugnant, ambitione ebrii ferociunt, neque ſuis, quàm victis minori detrimento exiſtunt. Ad colendam pacem minùs idoneus neſcit, penitus oppreſſo hoſte, fructum victoriæ largiri ſubditis, quorum impendio vicit. Comparandus homini eſt, qui agros ſuos ab affinium violentia tutatus, rure adverſarium per nefas exuit, inde tamen ob colendi ſerendíque inſcitiam meſſem non colligit. Videtur vivere, non ut felicitati gentis ſuæ proſpiciat, ſed deſtruendô, rapiendô, turbandô exitium conſciſcat.

Venio ad eum, qui res pacatè gerit. Armis grandia non quærit; non ſubigit aliena imperia, non urbes. Facultas ſólertiáque deeſt; neque tam perversè avarus genius eius eſt, ut, quos alteri ſubiecit æquitas, domare populos cum perturbatione gentis ſuæ velit. At neque ipſi deeſt, quieto imperio ſi omnino ſufficiat, quod ad ſecuritatem ſubditorum ſit opus. Tenax recti & lenis eſt, nec gravis accolis; ſubducit diſcordiæ cum confinibus ſemen. Ex religione fœderum, quæ obſervat, ſociis nec odio, nec timori eſt, nec ullo modo ſuſpectus; imò charus, dignúſque, cui maximè planéque

confidant. Sed ecce utantur rege accola iniquo, feroci, ambitioſo: tum verò principes ceteri, quorum regnis coniungitur, ex æmulationis capite diffidentes ad arma quàm colendam pacem proniori, anſam capient allatô innocentiæ præſidiô iniquioris audaciam deprimendi. Regem tanta probitate, fide, lenitate arbitrum ſibi depoſcent circumiecti populi; dúmque alter ſuſcipiendîs inimicitiîs iuſto confidentior, bellíque audacior ceterorum incurrit odium, atque ex firma, quam ſibi reliqui præſtant, amicitia, etiam periculum: ille pater tutórque regum honorificentiſſimo utique nomine compellatur. Atque hæc quidem foris ipſi accedunt commoda. Maiora domi accipit. Cùm pacifico imperio ſufficiat, pono, ex optimarum legum obſervantia ſufficere. Itaque proſcribit, damnátque luxum, & quidquid artium ad nutriendas voluptates; promovet autem, quidquid ad vitæ ſubſidia non ſupervacanea videtur conducere. Quo in genere primus locus agriculturæ dandus. Hanc pacis amans rex ſummo opere commendabit ſubditis, utpote quæ rerum, quibus indigent, copiam accumulat. Atque ipſis quidem, cum patientes laboris, & ſimplicibûs moribûs tenui perfungantur victu, alimenta, quæ in agris naſcuntur, facilè ad ſuſtentandam vitam ſufficiunt; unde immenſa quædam augendæ incolarum frequentiæ exiſtit fœcunditas. Quo fit, ut huius conditionis regnum abundet innumerabili multitudine ſanorum hominum, robuſtorúmque & alacritate vigentium, qui & virtutis exercitio firmati, & dulcedinem ignavæ delicatæque vitæ exoſi, & fatis, cùm poſcit ratio, ſponte obvii excidere vita malunt, quàm libertate,

quà

qua fruuntur rege ſapientiæ præceptis probè inſtructo, nec imperante, niſi ut rationi obediat. Dabo nunc, ex proximis quemdam, avidiorem pugnæ, huic genti moliri bellum. Fieri poteſt, ut minùs peritam inveniat diſponendi caſtra aciem, machinas, quibus inſtamus oppidis. Nihilominus ſentiet eam vinci non poſſe, quòd multitudine innumerabilis, quòd inexhauſta fortitudine, quòd laborum, moleſtiarum, inopiæ patiens, quòd manu prompta ſtrenuáque ſit ac dedita virtuti, ſortis caſibus numquam non ſuperiori. Demus etiam regem ipſum decernere non poſſe ob rei militaris tenuiorem peritiam. At habebit idoneos, quibus noverit decernendi negotium ſine auctoritatis ſuæ detrimento committere. Accedent interim ſociorum quoque auxilia. Malent ſubditi ad umbras, quàm ſub poteſtatem domini omnia per vim, per nefas agentis mitti. Quid? quòd ipſi pugnabunt pro rege tam pio, tam iuſto, Superi. Itaque cùm tot tantáque ſint, quibus pericula eius ſublevantur, ſubſidia: concludo, regi pacis quietiſque obſervanti plurimum quidem ex ornamentis dignitatis ſuæ armorum ruditatem decerpere; quippe numquam ex hoſtibus (quod regalium munerum ferè princeps eſt) triumphaturo. Ceterùm addo, illum ſatis æſtimari non poſſe præ expugnatore regnorum urbiúmque, nihil pacato imperio, ſed armis unis ſufficiente.

Erant ſat multi in conſilio, quibus diſplicebant, quæ ſenſeram. Neque iſtud me latuit. Multorum videlicet oculos facta illuſtria (in quibus victoriæ & bello comparata referuntur) perſtringunt adeò, ut, quod humile, quod tranquillum, firmúmque,

putà pacem & diſciplinam populi, habeant in poſtremis. Verùm me ſenſiſſe cum Minoë, pronuntiatum à Senioribus.

Qui inter eos eminebat, elata tunc voce: Video, inquit, Divinam atque in inſula noſtra decantatam ſortem impleri. Minoi quippe ex Diis, quos conſulebat, intelligere volenti, quamdiu vi legum, quas modò condiderat, Cretæ eſſent præfuturi ex ſuis, reſponſum eſt: præfuturos, donec legum iſtarum cultor aliunde gentium advenerit. In hunc usque diem metus erat, occupatum iri ab alienigena inſulam. At quid Oraculum ſibi voluerit, Idomenei fato ſapientiâque ex Ulyſſe geniti, in intimos legum noſtrarum ſenſus admiſſi, edocemur. Quin abiicimus moram, & altiori Numine deſtinato nobis Regi Coronam imponimus?

TELEMACHUS.

LIBER VI.

NEc mora: Soluto conſilio ex ambitu ſacri nemoris proceditur. Primas tenebat, qui me educens manu, populo, longiore mora ſententiæ iam fatigato, enuntiat, ceteros mihi ceſſiſſe acumine reſpondendi. Finito hoc nuntio incerti mox fremitus tota concione oborti. Deinde etiam à ſingulis in me inclamatum cum lætitia, vocibûs ad omnem maris oram circumiectaque iuga montium relatis: Imperet ex Ulyſſe, compar Minoi genus!

Momenti intervallô ſilentium poſcebam manu. In quod dum paullatim concionis fervor deſinit; Mentor admotus auri: tune, inquit, renuntiare patriæ?

patriæ? Poſtponere Penelopen, quæ te exſpectat opem ſuam, throno? poſtponere Ulyſſem, quem tibi impertiri decreverant Dii? haud inutiles hæ voces fuêre, magnúmque adversùs regni cupiditatem ſubſidium. Interea planè conticuerat vario motu diſcincta multitudo. Itaque dicere ſum orſus: Indigno parebitis, Cretenſes nobiliſſimi, indigno parebitis, ſi mihi. Divina ſorte, quam affirmatis oraculo editam, ſatìs quidem palàm eſt, movendos regno Minois poſteros, aliunde venturô, qui incolumitatem ſanctiſſimis legibus eius hìc gentium curet. At regnaturum hunc advenam, non eſt reſponſum ab oraculo. Dabo, ſi ita vultis, me eſſe de exteris, quem ſors illa deſtinaverit, Et certè, quod à Numine enuntiatum, implevi. Nam & aliunde huc veni, & quem habebant germanum ſenſum leges, expoſui. Deos quæſo, faciant mea interpretis verba ita vobis uſui eſſe, ut cum his legibus imperet futurus Rex. Ego verò Ithacam, in qua cœpi vivere, peto. Huius anguſtias Inſulæ, & paupertatem centum Cretæ urbibus præfero, opibúsque ſplendidiſſimi iſtius Imperii. Sinite me, quæ fata deſtinârunt, ſequi. Certavi in ludis veſtris haud ſanè, ut imperem, ſed ut admirationem veſtram miſericordiámque pro meritus ſubſidium à vobis conſequar ſtrenuè redeundi in terras, quæ me genuêre. Habeat in me Ulyſſes genitor ſubditum, Penelope dulcis mater ſolatium potiùs, quàm orbis terrarum principem. Habetis, Cretenſes, verè quid ſentiam. Abeundum à vobis mihi. Ceterum ab officio grati in vos animi non priùs, quàm ad manes abibo. Imò numquam (ita vivam) numquam hic animus à Cre-

tenſium gente alienus, & eorum & ſuam gloriam affini ſtudio proſequetur.

Simul finem dicendi feceram; ſimul, ſublato ſtrepitu, qualem comitata ventis maria ſolent edere, alii: iſténe, inquiunt, humanâ formâ Deus? alii extra patriam ſuam me vidiſſe & noſſe contendebant. Nec defuêre multa vociferatione poſtulantes, vel invito imperandum mihi. Reſtaurabam ſermonem. Protinus aures ab omnibus & diligentiſſimè datæ, incertis videlicet, num mutato conſilio, quæ offerebantur, admiſerim. Hæc porrò dicebam:

Date mihi Cretenſes hanc veniam, ut quæ ſint in animo meo exponam. Equidem nihil eſt uspiam gentium, quod ſapientiæ veſtræ poſſit comparari. At puto ſapientiæ alio opus conſilio, atque vos nunc decreviſtis uti. Regem creare oportet haud ſanè, qui leges optimè novit interpretari; ſed conſtantiſſimè, legibûs quæ iubentur, exſequi. Ego verò maioribûs annîs deſtituor, & horum veriſſimo ornamento, experientiâ. Inſtat iuveni inimica cupiditas: urget animnm eius deterior affectio. Atque is ſum, quem adhuc obedire, non imperare decet. Alioqui nunquam ſalutaris Rex ero. Hominem igitur eligite, qui ſe ipſum, non alios exercitatione corporis aut ingenio vicit; cuius in animo leges inſcriptæ, moribus expreſſæ ſint; cuius denique non verba, ſed opera ſuffragium pro corona à vobis expoſcant.

Seniores una voce approbarunt meam ſententiam, populíque ſecundæ admurmationes augebantur. Itaque illi ad me: quandoquidem Dii non permittunt, ut à te petamus imperia; at certè

fac

fac regem exhibeas, qui legibus noſtris ſe unà nobiscum ſubiiciat. Agedum, virum ſi nôſti, cui ea ſpe deferre coronam poſſimus! Ad quæ continuo! Novi ego, aiebam, quem iiſdem, quas admiramini in me, pollere dotibûs non puto, ſed ſcio. Sapientiam eius, non me ex me audiviſtis loquentem. Inſtrumentum ego fui, quo verba prudentiſſimi illius hominis ad aures veſtras pervenerunt.

Id ſermonis omnium oculos deflexit in Mentorem; quem prehenſum manu exhibebam concioni, referens, quam pueritiæ meæ impendiſſet, induſtriam, reiectáque per eum à capite meo diſcrimina, & ærumnas, quæ poſt neglecta eius conſilia plerumque mihi incidiſſent.

Atque ille quidem tum à levi & parabili cultu corporis, tum à moderato oris habitu præter ſummam vocis parſimoniam, ſedatéque ac conſideratè agendi rationem eò ferè usque in concione negligebatur. Nunc verò cum inſpiceretur de induſtria, ipſo vultu deprehenſum eſt neſcio quid ſolidi excelsíque. Apparebat ille vigor luminum, illa vis & robur animi, quæ omnia opera eius, & ipſa adeò, quorum tenuitas curâ ſolvit humanam induſtriam, confirmabant. Interrogatur multîs; ſuſpicitur: rogatur, imperet. Recuſat ille nihil mutato animo, aſſeverans, ſibi ſolitariam vitam utcunque vilem regalî potiorem: veriſſimè infelices eſſe, qui coronas ferrent. Nam & bonum, quod vellent, plerumque omittere; & ſæpe in malum, quod nollent, adulatione impelli. Addebat, miſeram ſervitutem credi; at neque regibus deeſſe, quod deflerent mancipia: uno eos differre titulo. Regem numquam ita eſſe ſui iuris, ut pen-

 dere

dere non debeat ex illis hominibus, quibûs, ut imperata ſubditus & diu faciat, ſit opus. Gratulatus deinde omnibus, qui carerent imperandi neceſſitate: Uni, inquit, patriæ petenti, ut imperemus ſibi, acquieſcendum, & abdicandum libertate, ut publicæ operemur ſaluti. Aliunde oblata fas eſt ſine piaculo recuſare.

Ea res Cretenſium admirationem exhauſit. Denique petentibus, doceret, quem eligerent: Eligite, inquit, qui & vos (quoniam vobis eſt imperaturus) noverit, &, ne vobis ſit imperaturus, metuat. Aulæ novitius & tyro eſt, imperare qui velit. At ſi novitius, ſi tyro: qui ritè præſtabit Regem? Suâ causâ in deſiderium coronæ impellitur; quando non alius quærendus, niſi quem unus amor veſtrî in ſolio reponet.

Cretenſes cùm dignitatem regiam, aliàs humana deſideria operâmque fatigantem, viderent contemni à duobus advenis, haud facile dictu eſt, quantum in ſtuporem inciderint. Ardebant ſcire, quocum veniſſent in Inſulam. Nauſicrates (is enim à littore ad Amphitheatrum, ubi celebrabantur ludi, progreſſos ſecutus erat) digito Hazaëlem deſignat, qui nos ex Cypro ſecum deportavit in Cretam. At longè amplius acceſſit publico ſtupori, cùm nuntiaretur Mentor primò Hazaëli ſervitutem ſerviiſſe, verùm perſpecta ſapientia & virtute, eidem dehinc à conſiliis & in ſupremo amicitiæ fuiſſe gradu. Atque iſtuc olim mancipium aſpernari nunc regnum. Hazaëlem autem impellente ſtudio ſapientiæ profectum Damaſcô Syriæ, huc veniſſe terrarum, ut Minois leges perdiſceret.

Igi-

Igitur neque à te impetrabimus (ita Seniores ad Hazaëlem) nobis imperare ut velis. Idem cum Mentore ſentis videlicet. Imperandi voluntatem exſtinguit in vobis nimius contemtus hominum. Nec opes quantumvis magnas, nec diademata ducitis tanti, ut ea emere laborum, quibus numquam vacat thronus, pretiô ſit libitum. Contra Hazaël: Alia, viri ſapientiſſimi, nec homines contemni à me, credite. Numquam hanc ego mortalibus iniuriam fecerim. Humanæ felicitatis iuſtitiæque adiutores quàm ſint divini, haud quaquam ignoro. Sed & illud, ſine moleſtia, ſine periculo tales eſſe non poſſe, ſatis ſcio. At enim inſignis hic titulus. Inanis tamen eſt, & uni delectandæ ſuperbiæ. Arctiora ſunt vitæ ſpatia, quàm quæ ſufficiant implendis cupiditatibus, quas gignit ambitio. Longinqui ex patria itineris præmium non bona, quæ noceant, peto; ſed his bonîs carendi præcepta exquiro. Valete! ceterarum rerum cogitatione abiecta, eo me redditum vitæ ſolitariæ atque tranquillæ. In ſolitudine mentem hanc alet ſapientia: ibi ſpes melioris vitæ, quam virtuti ominamur poſt fata, moleſtias ſenectutis abſterget. Mihi ſi imperabitur optio, non ſceptra, non coronas legam, ſed iſtorum, quos coràm aſpicitis, hominum duorum perpetuam ſocietatem.

Ad ultimum Cretenſes converſi ad Mentorem, impensè rogant: Ediceret poſt hominum genus natum prudentiſſimus unus maximúsque, ecquem ipſis ſuaderet Regem? niſi edoctîs de utiliter habenda electione incolîs, eum haudquaquam dimiſſum iri ex inſula. Ad hæc Mentor: Vidi, inquit, immixtus ſpectatorum multitudini hominem unum,

quem

quem nec fervor, nec cupiditas ſuccendebat. Ætas illi gravior, at abunde ſufficiens rebus, quas cum laude robur iuventutis gerit. Percontanti mihi, quis eſſet, ſignificabant, Ariſtodemum dici. Fuêre ſubinde, qui (quòd ego hiſce auribus audivi) eidem referebant, duos filios eius inter luctatores eſſe. Ad quæ ille nihil lætior, audere ſobolem, quod alioquin genitores delectat: magno opere ſe precari, aiebat, alter ne imperet, quoniam ſemper periculoſum imperium; alter verò ut umquam imperet, ſe, quoniam unicè amaret patriam, ne quidem commiſſurum. Ex quibus ego quidem intellexi, eum rite dedítum eſſe filio, qui probitatem ſectatur, neque facilem alterius diſſolutæ conſuetudini.

Creſcente rei tam inſolentis ſtudio in vitam cani iſtius hominis cœpi inquirere. Fuítque ex civibus, qui indicaret interroganti: Ariſtodemum ferme ſenuiſſe ſub galea. Argumenta virtutis obſitum cicatricibus corpus oſtentare. Ceterùm à candore probitatis (inquit) & quòd nihil auribus dabat, gravis Idomeneo fuit. Neque in Troiano bello opera eius utebatur rex, veritus ab eo ſalubriora conſiliâ, quam quæ ipſe ſuſtineret ſequi. Erat illi præterea adverſus ob æmulationem famæ, qua ominabatur proximè illuſtrandum. Omnem igitur memoriam depoſuit ab eo fideliter navatæ operæ. Reliquit in inſula coniectum in extremas familiaris rei anguſtias, incultæque & abiectæ plebis (quæ unam admiratur magnificentiam) ludibrium. Ille verò æquiſſimè tolerat paupertatis mala. Solitarius in inſula locus eſt, ubi collocavit familiam. Terram ſuis ipſe manibus colit. Laborum

rum eius particeps eſt alteruter ex filiis, quocum amantiſſimè vivit. Felices ambo, quippe ex vivendi temperantiâ inſtructi ſatis, unde moderatè & ſimpliciter vivant. Pauperculis ægrotantibus in vicinia cedit ex penu, quidquid reliquum facit utriusque miſericors neceſſitas. Ille otium iuventuti eximit: urget monitis: præceptis inſtruit; omnium accolarum arbiter, & circùm habitantium familiarum communis pater; nec aliunde infelix, niſi quod ſecundò genuerit degenerem filium. Quem à perdita quidem vita revocare quàm diu tam piè conatus, fatigatâ demum monendi patientiâ, paternis ædibus proſcripſit, ambitionis & inſanæ voluptatis iam non recens mancipium.

Hæc mihi civis veſter. Quæ ſi vera (quod idem non ignorabitis) ludos cum tanta ignotorum etiam hominum celebritate ob eligendum regem repetendi cauſam nullam reperio. Habetis in corona veſtra virum & popularem, & peritum belli, & hoſtium, omnique hoſte terribilioris victorem inopiæ; virum, qui ditari noluit adulandi obſequio, qui averſatur otium, qui agriculturam, unicum ferè ad conſervandos populos ſubſidium, æſtimat; virum aliàs nec reſolutum luxu, nec mutandum ſuperbia; imò qui nec proli paternâ indulgentiâ blandior in altera virtutem amat, flagitium deteſtatur in altera. Et ut verbô dicam: habetis virum, qui genti ſuæ patris vicem iam præſtat. Ecce hunc vobis regem, hunc dominum, ſi verum, ſi ſincerum deſiderium vos in Minois leges accendit.

Ex tota concione reſponſum: vera dixiſſe de Ariſtodemo. Mereri ſceptrum. Ergo ſeniores iubent

iubent eum adeſſe. Vulgo celebritatis ſeſe adiunxerat. Ex quo conquiſitus quieto tranquillóque vultu conſtitit; auditóque, ſe imperaturum: Niſi tria mihi dabitis, inquit, Rex veſter non ero. Decedam videlicet poſt biennium throno, ſi inſiſtentes hodiernis moribus veſtris leges violabitis. Deinde in ſimplici, continenti ſobriáque ratione vivendi perſeverabo. Liberi denique mei nullum inter alios principatum tenento: poſt fata mea in ordinem redacti reliquorum civium more nihil præter meritum capeſſunto.

Sub has voces diverſiſſimi clamores ſublati lætitiæ aſſenſúsque fecêre indicium. Diadema (Regale ornamentum) Ariſtodemo imponitur à principe Seniorum, qui tutelam gerebant legibus. Cæduntur Iovi, Diiſque victimæ. Nos ab Ariſtodemo donis colimur præter magnificentiam luxúmque Regis, ingenuâ tamen & vel ab illuſtriſſimis expetenda ſimplicitate. Hazaëli leges Minois datæ, inde etiam pretioſæ, quod ſcriptæ auctoris manu. His epitomen Cretenſis Hiſtoriæ adiecit Rex, quidquid Saturni aureámque & noſtram ætatem interceſſit temporis, complexæ. In navem eius omnis generis illati fructus, quos à bonitate Cretenſes æſtimant, Syri etiam à novitate admirantur. Inſuper, quæ neceſſitas exigeret, illi cumulatè promiſſa.

Nobis nihil perinde ac feſtinatus abitus erat curæ. Ergo navigium iubet inſtrui Rex nautáſque exercitatiſſimos imponi cum milite: veſtes quoque & commeatus pro nobis eò comportari. Hæc dum fiunt, ecce tibi flare venti, laturi in Ithacam. Hazaëlem iidem, utpote adverſi in

Syri-

Syriam tendentibus, detinuêre. Itaque diſceſſus noſtri ſpectator non ſocius, amicos eósque viſurus ultimùm, amplectitur; atque: Iuſti ſunt, inquit, Dii. Nôrunt conciliante virtute hanc inter nos amicitiam coaluiſſe. Erit igitur, cùm aliquando nos coniungent loco, dabúntque ut, ubi perpetuæ ſecuritate pacis fruuntur iuſtorum manes, eos inter æterno nexu ſpiritus noſtri miſceantur. Atque utinam cum cineribus veſtris meos ſic miſceat fatum! Hæc excidebant flenti effuſiùs; vocem quoque gemitus fregerant. Neque nos vacabamus à lacrimis. Sic unà progrediebamur ad portum.

At Ariſtodemus: Propter vos, inquit, nunc regnum accepi. Cogitantes igitur, quantum mihi à vobis accerſitum periculi, rogate Deos, ut illuſtratus verâ ſapientiâ (quam cœleſtes largiuntur) prudentiæ ac manſuetudinis laude tam præeam ceteros, quàm auctoritate & potentia. Vos autem Superi, quos precor, in patriam dignentur reducere nullo itineris malo, faſtúmque eorum, quibus inviſi eſtis, cumprimere. Addant complementum beneficiorum ſuorum, Ulyſſis & Penelopes ſuæ, nullo imperantium hoſte, aſpectum.

Navem tibi damus, Telemache, fidelem ac tutam. Nautas ac milites à nobis habes, quos etiam adverſariis Genitricis tuæ oppones. Tibi vero, Mentor, ſuper non eſt, quod aut deſiderem, aut deprecer. Sufficit viro bono ſapientia, & abunde ſufficit. Ite uterque! valete! mementote Ariſtodemi, Ithacenſibus, ſi vi externa opus, venturi, dum vivet, auxilio. Sermonem noſtro utriusque amplexu clauſit. Gratiæ à nobis inter obortas lacrimas redditæ.

Inter

Inter hæc opportunè flantes auræ velis ſe noſtris admoverunt cum ſpe facillimi itineris. Iámque Idæ faſtigium ád tumuli ſpeciem, è terra leniter ſurgentis, defluxerat. Receſſerant è conſpectu littora, & in occurſum noſtrum videbantur Peloponenſes oræ procurrere : Cùm nihil tale opinantibus offuſa tempeſtas cœlum omne eripuit. Eiecti fluctus exiſtente turbine: occupabat lumen nocturna fœditas, omnium præter mortis imaginem exſtinguens. Scilicet Tridentis tui imperium, Dive Nereu, univerſos tum undarum fluctus movit. Usque adeò nobis viluerat Veneris Numen, ut nec in templo, quo Cytheræ colitur, eam deprecaremur. Ergo ulciſcendi voluntate acrior delapſa ad Neptunum, aperto dolore, & effuſiori, quàm Pulchritudinis ocellum deceret, fletu; id quod cœleſtium non imperitus Mentor affirmabat: Síccine, Neptune, inquit, pateris ab iſtorum improbitate hominum contemni Numen meum, potentiam meam; & impune hoc pateris? Tu, Divíque ceteri ſentitis, quid valeat Venus. Et inſulam meam diſciplinámque damnare hæc mortalis temeritas? iactat ſcilicet, quanta in morituros cadit, ſapientiam; putátque ab hac alienari, quisquis amat. Regnum ergò tuum oblivíſceris natale exſtitiſſe Veneri? Incunabula mea profanare par iſtud homuncionum, exoſum mihi, vel momento ſinis?

Hæc ita Neptunum concitârunt, eóque mox iubente pelagus, ut cœlum ipſum furentes ſpumæ laceſſerent. Ridet ergo amariſſimum riſum Venus, certa futuri naufragii. Propellimur in cautes violentia procellarum; quibus ſe vinci multo terrore proſi-

profitebatur, qui regebat navem. Uno præcipitique flatu diffringitur, præcipuum nobis ſubſidium, malus; protinúsque aures omnium vectorum cœperunt acutiſſimè perſtringi crebro carinæ ad ſupremos latentium ſcopulorum apices afflictu. Quo paſſim laxatæ compagines attulere exitium, ingenti vi aquarum admiſſa. Inter miſerrimos nautarum eiulatus Deos deprecantium depreſſa navis paulatim omnes deſtituit. Hæc inter ego Mentorem amplexus: Inſtat Mors, aiebam. Eia! occurramus fato non timidi. Servârunt nos ex tot periculis Dii, ut perdant hodie. Age moriamur amice, moriamur! triſte mihi non eſt, perire te ſocio. Furit cœlum: Fruſtra amolimur exitium.

Quid autem tunc Mentor? Sincera fortitudo, inquit, numquam deſperat emergere ex malis. Æqua mente ſatis non eſt parare occurſum fato. timere non oportet mortem, ſed nec eius avertendæ quid occaſionis negligere. Quin tu hoc tranſtrum inſigne, iſtuc ego arripimus? dúmque iſti, magnitudine periculi & terrore amentes, malunt iacturam vitæ inter inutilem luctum præſtolari, quàm prævertere ſalutari induſtria: nos, ut ne hauriamur à pelago, actutum curamus? Simul malum iam ruptum vi tempeſtatis, ſnque alterum latus navigii tota mole incubantem penitus decuſſit, atque in mare devoluto eo libratum in efferatos fluctus corpus excepit; invocato nomine me cohortatus, ut idem auderem. Vidiſſes proceram quandam arborem, concitatis omnibus Æoli viribus illudentem radicum fide, planéque præter tenerrimam ſui partem, folia, immobilem; tam præſenti videlicet, tam alacri

 placi-

placidóque ac ſedato animo Mentor perſeverabat; veluti ventis pelagóque non obnoxius. ſed præpoſitus. Ego (quis enim tanto monitore torpuerit?) ad eum rite captato ſaltu deſilii. Quisque ſibi nauta & gubernator erat in natante malo. Egregium hoc periclitantibus auxilium permittebat, quo conſideremus, locum, defecturi utique maturiùs, ſi cum undis aſſiduè fuiſſet luctandum. At quoties intemperie maris factum, ut verſante, cui inſidebamus, trunco, revoluti in pontum invito ore traheremus amaros latices, per diſtortas poſtea fauces, nares, & aurium etiam meatus redditos; ſuſcipiendáque eſſet cum undis contentio, ne prohiberent in ſuperiorem nauticæ arboris partem eniti! quoties, pelago cumuli mole cervicibus noſtris ſuperfuſo, corpus ſtipiti applicandum erat validioribûs lacertîs, ne unicam hanc ſalutis noſtræ fiduciam tot támque violenti aquarum aſſultus excuterent.

Iniquiſſimo hoc rerum articulo non minòr erat Mentori tranquillitas, atque nunc conſidenti hoc tantæ amœnitatis loco. Credísne, inquit, Telemache, ſalutem tuam permiſſam tempeſtatum licentiæ? exſtinguendam Diis nolentibus? erras, & maximè. A Diis ordinantur, quæ fiunt. Illi timendi, non undæ. Exſiſtis inter pelagi immenſas abyſſus? evades inde, ſi velit, Iovis manu. Sideribus altior Olympum tenes? volente Iove aut imas in abyſſus, aut Tartarum puniendus æternis flammis rues.

Admirationi hæc, cui attendebam, vox mihi fuit, neque nulli ſolatio. At ſuſpenſus adhuc ægritudine animus non ſufficiebat in reſponſum.

Pro-

Prohibebamur mutuo aſpectu. Nox tota exacta trepidatione & algore ſuccuſsîs artubûs. Hærebamus adhuc in altera duntaxat parte vitæ; incerti, quo propelleremur ita turbulento aëre. Tandem, deſæviente eo, minui periculum cœpit, & paulatim leniri maris ferocitas; ſuperſtite æſtu irato ſimilis, qui feſſus ex pervicaciore mentis intemperie ſibi redditur, hærentibûs adhuc quibusdam ex bile reliquiîs. Nihil tum audiſſes præter tenuiſſimum fremitnm pelagi, & immanes fluctus eam ferè in ſpeciem reſederant, quam aratrô ſciſſæ terræ ſulci faciunt.

Inter hæc Aurora ſoli aperire viam, nobis diem ante alios ſerenum. Ardebat innoxiis ignibus matutinum cœlum, quémque diu fulgorem condiderant ſtellæ reddebant, ſubmotum deinde oriente Phœbo. Terram quamquam procul conſpicimus, eâmque verſùs ventis iam ſecundis promovemur. Tum ergo ſpem animo renatam meo gratulabar. Ceterùm ex comitibus, quos Ariſtodemus dederat, nemo apparuit. Deſperata ſalute, credo gurgitibus unà cum navî abreptos periiſſe. Nos autem, cùm iam vicinior eſſet crepido, ad rupes unda declinavit: prominebant in apices capita, quibûs timor fuit ne contunderemur. Sed iunctâ operâ fulcrum noſtrarum animarum, malum, inquam, rectà infeſtæ cauti obvertimus, Mentore rude lignum, qua optimus quisque nauta gubernaculum peritiâ, moderante. Ita averſis ab hoc inter ultima non ſpernendo malo ora ſe obtulit amœno & æquabili tractu, præter quam facillimo natatu proceſſimus, donec ambos unda arenis applicuit. Ibi à Te, magnum Numen conſpecti, ibi in Inſu-

lam hanc tuam tam benignè admiſſi, tam benignè accepti ſumus.

TELEMACHUS.

LIBER VII.

POſtquam Telemachus ſe hac narratione expediit: Nymphæ mutato obtutu, quem in iuvene defixerant nec corporis motu eatenus interpellatum, inter ſe aſpicere, dehinc loqui cum ſtupore cœperunt: Ecqui tandem hi Diis tam dilecti homines? eccuius ad aures umquam pervenerunt tanta fatorum prodigia? ab Ulyſſe vitam accepit. At tu à nato tuo incrementum facundiæ, ſapientiæ, fortitudinis, genitor, cape! quæ moribus compoſitio. Quæ ori ſpecies? quàm leniter perſeverantes vultus? quæ modeſtià? & (quod primum) quæ agendi nobilitas? quam apta ad excelſa indoles? niſi conſtaret ex mortali genitum, error vix ſit, aut æternæ iuventutis Bacchum, aut Maiæ filium, aut Apollinem credi. Et Mentor iſte quis eſt? ad rudem obſcurámque plebem eum obtuitus ſimplex amandat; acrior autem & ex propinquo quid neſcio divini in illo reveretur.

Hi ferè ſermunculi turbavêre Deam, ut nec præſentes pavor eius fefellerit. A Mentoris ad Telemachi, ab hoc ad illius vultum divertebat inconſtans oculus. Interdum hortabatur, ut, quæ narrâſſet, ordiretur de integro; paulo poſt idem deſtitit petere, ſuo ipſius interciſo ſermone. Ad ultimum repente digreſſa loco, in quo ſederat, myrtis conſitum nemus ſola intrat cum Telemacho: ſcrutatur ex eo, quantum licebat Divinæ

ſaga-

ſagacitati, num mortali forma Numen quoddam Mentor abſconderet? Sed quis ab ignaro notitiam? Certiora docere percontantem hoſpes non poterat. Proſequebatur Minerva itinera eius Mentoris habitu. At hoc ipſum manifeſtum eſſe nolebat hac ætate iuveni, difficilius utique celaturo, ſi reſciviſſet, Divinum conſilium. Per extrema porrò diſcrimina tentatum ibat iuvenilem animum. Audaciſſimus ergo futurus erat, & ad ultima quæque interritus, ſi Minervæ præſentiam non ignorâſſet. Itaque credita à Telemacho, eſſe, cuius præferebat habitum, nequibat ullo Calypsûs ſtudio prodi.

Dum ita Calypſo agit cum iuvene, Mentor quæſtionibus, à Nymphis animi gratiâ propoſitîs, obruitur. Alia, quæ itineri eius ad Æthiopes coniunxiſſet fortuna; alia quid vidiſſet Damaſci, percontabatur. Fuit etiam, quæ rogaret, num quis ante decennale bellum ipſi cum Ulyſſe fuiſſet uſus? omnibus ab ipſo placidiſſimè reſponſum, & ſimplicibus verbis, nihilque miræ ſuavitati eius detrahentibus. Sed occupabat ſermonem, quem miſcebant, maturior Divæ cum Telemacho reditus. Hæc, tum puellis ad colligendos, cantúque iuveni eximendam diei moram dilapſis, cum Mentore divertens in partem, conabatur tam ſolitario congreſſu non tantùm reſpondendi, ſed ſermonis etiam communicandi neceſſitatem afferre. Leniſſimi vapores illi, quibus ſoporem Morpheus creat, haud ſeſe mitiùs inſinuant ingraveſcentibus palpebris ac debilitatæ laboribûs induſtriæ, quàm blandimenta Divinæ vocis ad deliniendum Mentorem. Ceterùm numquam Diva non ſenſit, eſſe in hoc homine ſuperius quid omni eo, quod poſ-

 ſet

ſet ipſa vel viribus vel illecebris. Ut enim prærupta cautes fruſtra tentatur humano veſtigio ventíſque illudit potius quàm obſiſtit, ſi aut vicina aut altior nubibus: ita inutiliſſimè Calypſo tentabat obfirmatam ad celandum ſe Mentoris conſtantiam. Is quippe apta ſimulatione eam admittebat quandoque in ſpem, cumulatis interrogatiunculis implicitum proditurum ſimpliciter, quæ tegebat animô. At vix ingreſſa in eam hæſit, omnibûs, quæ iam credebat manifeſtò tenere, vel unicâ Mentoris reſponſiunculâ recidentibûs in caliginem dubiæ ſuſpicionis.

Ita dies abſumpti à Dea nunc adhibitis Telemacho blanditiis, nunc rationibus inveniendis, quibus alienaret à Mentore diſcipulum, poſteaquam toties deluſa magiſtrum ſibi apertum deſperaverat forè. Ergo ut primîs amantium igniculîs ad illecebras rude etiamdum iuvenis pectus libaret, ſervitio eius ex Nymphis deſtinat, quarum excellebat forma; acceſsítque huic furto ingens à maiori numine, quam erat ipſa, auxilium.

Venerem, perſeverante adhuc dolore, quem ſpreto apud Cyprîos cultu eius Mentor & Telemachus inufferant, vehementius tum cœpit affigere, quòd ambo ex procellis plectendæ temeritati illorum concitatis ſine noxa evaſiſſent. Iovem certè convenit graviſſimîs querelîs. Et ille celans, iuvenem Minervæ præſidium habuiſſe Mentoris habitu, leníſque modico riſu, copiam facit indignanti Divæ omnes perſequendi vias, quibus ſibi videretur ad vindictam poſſe pervenire. Ergo illa delabi Olympo; negligere odores, quos aræ Paphiæ, Cythereæ, Idaliæque Numini Eius exhalant; volare

volare curru iugalibus columbis; accerſere Cupidinem, & (percurrente os Divinum mæſtitia, ex qua vel ipſa decus formoſiſſimæ accedat) in hæc verba affari.

Vidésne, nate, homines, quibus potentia tua deſpectui, mea ludibrio eſt? ecquis numen noſtrum adorabit in poſterum? i, tela habes; amborum corda (ferrum ſint licet) feri. Hanc in inſulam mecum delabere. Quæ agenda, ex me nunc Calypſo percipiat. His dictis exceptam aurea nube vectámque per aërem tellus & Calypſo accipit, quæ tum forte ad marginem fontis paulò longiùs à ſpecu ſua nulla comite ſeceſſerat. Itaque Venus:

Miſeram te Deam! ab Ulyſſe ſpreta, ſpernéris ampliùs ab Ulyſſis filio. Sed ecce! tibi ſubſidium & vindictam ipſe properat, amoribus qui præeſt, Deus. Hunc accipe. Patere illum cum Nymphis tuis eſſe; nam & in Naxo (inſula) liberi patris pueritiam curârunt Nymphæ. Puerum credet Telemachus, qui hìc genitus & innoxius ſit. At faxim, ille quid valeat, ne ignoret diu. Hæc Venus. Mox evehente nube, qua deſcenderat, tollitur; odore, qualem ambroſia reddit, per circumiecta Calypsûs nemora receſſúsque diffuſo.

Remanebat itaque puer in Calypsûs amplexu. Non potuit non hæc, quamquam Dea, ſentire ignes, qui iamiam tentabant ſinus. Erat ex Nymphis proxima Eucharis. Huic, ut frangerentur primi huius repentini caloris impetus, tum Veneris pignus dedit, conſilio deinde millies damnato. Equidem inter initia conſuetudinis eius nihil in hoc puero apparebat, quod aut emendaret innocentia, aut manſuetudo, ipſâque venuſtas non

amaret. Nihil eo candidius, nihil blandius. Crebræ lepidæque aſſentatiunculæ, oris tenerrima perpetuáque iucunditas non niſi læta intuentibus promittebat. At vel ipſa blandiendi exordia incautè admittentibus inſpirabat incognitum virus. Adulabatur ſimulator nequiculus, ut deciperet; nec ſolvebatur riſu, niſi aut machinatus peſtem, aut machinaturus. Abſtinebat Mentoris congreſſu. Inviſa erat leviculo gravitas ignoti viri, quem ſentiebat numquam obnoxium futurum vulneri, poſteaquam omnia amoris tela hebetâſſet. Nymphas verò celeriter flamma corripuit, excitata manu puerili imponéntis ſpecie; curabántque, ne fatalis plagæ indicium ſauciatus animus evolveret.

Interea Telemachus puerulum inter Nymphas luſitantem conſpicatus, viſâque pulchritudine eius paulò infra ſtuporem affectus; adductum in amplexus nunc ſinu nunc brachiis fovet. At dum cervici innectitur, dum admiratur, ſentit minùs rectè habere animum. Cauſam huius rei perſcrutari non valuit. Incerta & arcana voluptate eò liqueſcebat magìs, quo innocentiores captabat ex conſuetudine tam teneræ ætatis iocos. Viden' has Nymphas? ad Mentorem aiebat. Ut abeunt à moribus Cypriarum mulierum! pulchritudinem illarum ex Cypro aperta libido deformat honeſtis oculis. Præſentes formas, præterquam quod exſtingui non valent, ipſa innocentia, ipſa modeſtia, ipſe candor commendat intuentibus. Comitabatur has voces rubor, loquentis vultui incertâ tunc ipſi cauſâ ſuffuſus. Nec tacere poterat; nec, quæ erat orſus, perſequi. Ceterùm ipſe ſermo eius aliàs interruptus, aliàs obſcurus, atque etiam deflectens à ſenſu. Tum

Tum Mentor cum gemitu: Equidem periclitabaris Telemache, in Cypro; at quanto nunc magìs in hoc inſula, ubi vel ignoras te periclitari. Damnantur immania flagitia; horremus apertam impudentiam. Venuſtas autem, quæ procax non ſit, ipſa continentiâ agendi nocet liberiùs. Dum amatur illa, virtuti ſtudium credas impendi. Interim malè ſecurus animus ad pravæ cupiditatis illecebras defluit, occultas, donec ferme ad frenum occaluerunt morâ. Fuge! fuge has Nymphas, Telemache, tam indulgentes tuo arbitrio, ut circumveniaris expeditiore fallacia. Fuge tuæ ſcopulos iuventutis; maximè autem hunc, cui blandiebaris, puerum. Quis ſit quantusque, ignoras. Amorum Deus eſt, à Matre Venere hìc depoſitus loci ad vindicandam iniuriam, quam illi inferebas ſpretô apud Cythereos ſacrificiô. Calypſo (cave ſis) tacta pueri manu, amat te; amat, quidquid puellarum eſt circùm amantem dominam. Quid? quòd ipſe ardes, dum nec tepere putas animum.

Plerumque interpellabatur à Telemacho Mentor: quæ hinc proficiſcendi ratio? Ulyſſes vixit, & niſi fallor, diu eſt, cùm undæ hauſerunt naufragum. Scilicet deſperato meo patrîsque reditu Penelope adhucdum una illam phalangem procorum ſuſtinet, & Icarius, quam genuit, etiamnum iubet recuſare alterius nuptias, atque in id usque temporis periclitari. Et tu filium cogitare mones de reditu, intuiturum, ſi revertar, genitricem aut impudentis Antinoi aut importunioris Eurimachi ſpolium, innexámque alienis amoribus poſt profanatam, quam genitori ſpoſpondit, fidem? Oblita eſt Ulyſſem Ithaca. Mortem afferet, non ſceptrum re-

vertenti filio. Portus intrare non licet noſtræ inſulæ. Occupantur illi amantium manu, ne certius perire venturus non debeam.

Ita argutatur (Mentor aiebat) inconſulta cupiditas, quæ adinveniendis commodo ſuo rationibus perſpicax, cæcutit ad argumenta, quibus erroris convincitur. Armat ingenium nugaciſſimâ ſolertiâ, ut ipſa imponat ſibi, & obtundat ſtimulos afflictæ conſcientiæ. Nonne beneficia recordaris à Diis tanto numero, tanta æſtimatione exhibita, ne extra patriam perires? quàm mirabili fato eripuêre te Siculis? & Ægyptiacæ probrum ſervitutis quàm ſubita fortunæ quàm felix ſubmovit mutatio! iam futuris à Pygmalione calamitatibus, numquid Divina fuit, quæ te præripuit manus? tot tantíſque prodigiis in tuam unius ſalutem conſumptis ignoras ſcilicet, quid fata deſtinaverínt tibi. Ignoras autem? imò & dignus es, qui ignores. Ego infelices hos locos deſero; quo modo? inveniam. Tu verò tam provido, tam magnanimo ſatore inconſulta, vilis progenies harum in amplexu muliercularum perge effœminari! i, trophæa gloriæ tuæ immortalis heros & ſemi-Deus græciæ inter puellas conſtitue. Agedum, quod cœlum, quod, velut inferius gloriâ ſuâ, tuus damnavit genitor, exſequere!

Hæc convitia ferrea Telemacho fuêre. Námque & peracutè iis movebatur, & pudentiſſimo dolore exarſit, plurimùm ſollicitus, ne offenderet, néve amitteret virum tanti conſilii, & ſervatorem ſui. At vèrò totus aberrans à ſe tunc novitiô deſideriô, extra cuius ipſe erat notitiam: Ergóne, cum fletu inquit, hili à te ducitur oblata manere volenti

im-

immortalitas? imò, Mentor ingerit, minoris hilò, quidquid virtus, quidquid averſantur pii. Virtus te in patriam, & ad genitorum tuorum aſpectum revocat, damnâtque, veſanæ cupiditati quod paras, obſequium. Dii verò, quorum beneficiô prorſus immortalî tot caſibus terrâ maríque ſuperſtes paternum nomen & gloriam adæquabis, iubent te ex hoc ſinceræ gloriæ exilio diſcedere. At tyrannus ille plenus ignominiæ, amor unus retinebit te, Vah! quid Telemacho cum vita immortali, ſed ſervili, ſed ſterili virtutis & gloriæ? vah vitam morte ex ipſa immortalitate longè deteriorem!

His muro gemitu reſponſum à iuvene. Aliàs optabat, ut ex loco tam fatali Mentor vel nòlentem abſtraxerit. Aliàs pœnitebat eum temporis, quo etiamdum Mentorem cernebat verſari in inſula, iuvenili fragilitate monitorem amicum, gravem tamen iamiam exoſa. Hæc tum in iuvene fervebat cogitandi diſcordia, aliud atque aliud nunc admovente nunc obtruſis recentibus elidente animo, ut mens nulli rei diutius inſiſteret; ferè ſicut alia atque alia fluctuum mutatio ventorum viciſſitudinem in mari conſequitur. Interdum littori omnibûs artubûs exporrectum corpus affixit. Subinde illatus intimis ſaltuum latebris amaro indulgebat fletui, edito clamore, quem rugitum crediſſes, membriſque omnibus miſerabili macie areſcentibûs. Recedentes ſub fronte oculos igneus quidam ardor exedebat. Pallor, animi abiectio & pænè deſperatio, deformitas Telemachum Telemacho abſtulerat. Illa venuſtas & oris gratia, ille lepor feſtivæ indolis, nobilis illa & quæ natos ad altiora decet, ferocitas deceſſerant. Vidiſſes floſculum,

lum, cuius explicatum ſub orientem ſolem apparatum elegantiæ & odores late diffuſos matutina tam tempora admirantur, extinguit veſpera. Eluitur varius quàm illuſtris color: vigor eximitur: ſuccus exhauritur: maieſtas verticis debilitatô, quod eum ſuſtineat, deprimitur. Ita ablatis, quæ ſeu ornant ſeu conſervant iuventutem, neci admovebatur Telemachus.

Neque latebat Mentorem, alumnum ſuum paulatim obſecundare violentæ cupidini. Itaque periclitanti ſtatuit cavere conſideratiore conſilio. Obſervaverat, Deam impotenti iuvenis amore percuſſam; ipſum verò iuvenem in Nympham, quàm Eucharin ſuprà diximus, propendere. Atque hæ Cupidinis ſunt artes. Ne ſine ſupplicio amet mortalitas, id agit per crudeli ingenio ſuo, ut nulla ferè amantis apud amatum ſit gratia. Mentor ergo datâ operâ conſtituit Telemachum Deæ ſuſpectum reddere de alienis amoribus. Scilicet Eucharis rogata fuerat à iuvene, venatum deduceret. Tum Mentor commodè admotus Calypsûs alloquio: Venandi ſtudium, inquit, quod huc usque aut non fuit aut me fefellit, alumnum meum mirum in modum, imò & in nauſeam trahit ceterarum oblectationum. Solis montibns, ſaltuúmque receſſibus gaudet, & ipſis adeò, quorum horridior facies aliàs delicatam iuventutem conſuevit repellere. Tuúmne, o Diva, Numen ardorem hunc iuveni?

His illa vocibus dolentiùs perſtricta, quàm ut ſilentio exciperet: Iuvenis hic, inquit, adhuc contemptor voluptatis, illius etiam, quæ Cyprum effeminat, nunc mediocribus unius femellæ & pediſ-

pediſſequæ meæ ornamentis blanditur. Illéne iaƈtare ſuarum prodigia virium, quem vilis adeò indignaque voluptas debilitat? quem non videntur niſi ad ancillularum ſervitutem deſtinâſſe fata? nihil iucundius erat Mentori, quàm hæc luculenta ex æmulationis ægritudine Calypsûs perturbatio. Vocem non addidit, ne diffidentiæ aperiret locum. Afflicti duntaxat & dolentis vultu mærentem aſpexit. Itaque Diva hoſpitem nihil celabat præſentium, quæ moleſtiam ſibi conflarent; nec ex querelis emergere poterat muliebris dolor. Ut autem Mentor certiora de venatione illa ſermoni intulit: tum verò in rabiem cœpit efferari, & penitus à ſe ipſa diſcedere. Neque enim dubitabat, Telemachum id genus relaxandi animi popoſciſſe, ut digreſſus in diverſa ſine arbitris compellaret Eucharin. Itaque cum ab amantibus iam etiam ſecunda decerneretur venatio: Calypſo ſatìs certa, Telemacho rurſum magìs de irretiendis animis quàm feris agi, ut amatorium hoc furtum præverteret, enuntiat, ſe unà proceſſuram in ſylvas. At punƈtò temporis victa præcipiti dolore, his vocibus cœpit in iuvenem debacchari:

Huc ergo, vecordiſſime iuvenum, tua te egit temeritas, ut & illatum à Neptuno naufragium, & inferendum ab iratis Diis ſupplicium, utrumque iuſtiſſimum, effugeres? ánne potius, ut in regno hoc meo, in regia hac mea, veſtigiis mortalium æterna lege fatali, potentiam meam illuderes, benignitatem profanares? huc Olympi, huc Stygis numina! audite mortali ſacrilegio profanatam infelicem Deam! hoc perfidiæ, hoc ingrati, hoc monſtrum impii animi quid ceſſatis

diſper-

diſperdere? patre tuo non ſolùm immanior, ſed longè etiam multóque malificentior primò omnia illius mala diuturnitate ferrea, ærumnis horribilia, deinde his etiam aſperiora velim perſentiſcas. Ithacam tuâm pauperculam & diobolarem, faxo, numquam, numquam (Deæ vota ſi quid poſſint) aſpicias, ex quo tu eam ipſi adeò immortalitati, proprio cœleſtibus dono, non erubuiſti præponere. Imò aſpicias, ſed à longinquo, & iamiam periturus iniuriæ meæ ultricibûs aquîs. Tum verò corpus tuum expulſo ingratiſſimo ſpiritu, poſtquam ſatìs fuerit iactatum immani ponto, has in arenas vindictæ meæ adminiſtri fluctus eiiciant, futurum nullo ſepulcro volucribus ſpolium. Ut paſcam hos oculos, cùm flagitiorum tuorum participes artus impuri vultures diripient! cùm funeſto ſpectaculo adeſſe cogetur vel ipſa, quam deperis miſer! cùm in partes divulſum cor turpiſſimi huius cadaveris dotem extradam infelici amaſiæ! tum deſperabit, contabeſcet; mihi verò inde ſalus, inde ſpes nova felicitatis ſuſcitabitur.

Hæc vociferantis ardebant inflamati oculi: errabant obtutus crebro celerique motu & inuſitata quadam caligine truculentiáque efferati: inhorreſcentes genæ fœdum in modum liveſcebant intercurrente nigrore. Momentis ſingulis alius in amentis vultu reſpondebat color. Subinde toto ore unus pallor ísque recentis funeris apparebat. Quæ modò prodigebantur, rariùs manabant lacrimæ, ardore animi in rabiem deſperationémque adducti forſitan exſorbente, quidquid humectare dolentis vultum poterat. Vix adhuc per moras & ſingulæ cadebant. Vox delapſa ad raуim interpellata

pellata tremore, iugulatóque ſpiritu iterùm atque iterum intermiſſa. Mentor nihil hoc articulo rerum non obſervabat. Ceterum perditâ toties operâ ratus Telemachum collocandum inter depoſitos, deinceps ab eo ſermonem abſtinuit. Adiectis tamen ſubinde oculis commiſerationem teſtabatur.

Contra iuvenis ſtimulante conſcientia ſe reputans indignum, quem Mentor diligeret; non movere, non attollere oculos audebat, ne ſcilicet in obtutum amici inciderent, cuius vel ſilentiô damnabatur. Nonnumquam erecta cupiditas invadendi in collum eius, ut quantum pœniteret commiſſi erroris, oſtenderet. Sed aliàs abſurdus eam pugor reſtrinxit, aliàs inconſulta religio, ne amplius pœnitentiæ dolor oſtenderet, quàm utile fuiſſet amanti tam dulce periculum. Neque enim obtinere à ſe potuit, ut nuntium remitteret deſiderio, ex animi cæcitate amplius nocituro.

Dii, Deæque in Olympo convenerant. Nihil conſulebant in medium. Fixi duntaxat in inſula Calypsûs oculis ſuſpendebantur eventu, quod Minervæ cum Cupidine erat, certaminis. Iſte ludibundus cum Nymphis, quidquid in inſula capax erat amandi, accenderat. Illa Mentoris ſpecie æmulationem, æternam amoris comitem, adhibebat in telum. Iovi ſine partium ſtudio & otiosè ſpectare pugnam fixum erat.

Inter hæc Eucharis ad roboranda vincula, quibus Telemachi animum induerat, nunc autem, ne ob ingens à Calypſo periculum iisdem exiret, verebatur, univerſis artibus ingenii ſui incubuit. Secundo ad exagitandas feras contenditur. Illa aſſumpto Dianæ habitu, novíſque ab amantium

Diis

Diis in eam diem aucta lenociniis, admirationem dempſerat Calypsûs pulchritudini. Dea certè ſimul è longinquo in eam intuens, ſimul in fonte ante ceteros pellucido formam ſuam ſpeculata, erubuit; antríque ſui poſtremiſſimum angulum ſubiens, cœpit occultis queſtibus ſe ipſam deflere:

Ergóne amantes non obturbavi, pronuntiatis etiam verbis, me unà proceſſuram in ſylvas? quid agam? procedamne? ſcilicet præſentia mea formoſulæ illi triumphum, afferat? ſpecies mea incrementum alienæ venuſtati adiiciat; & ex vultu meo Telemachus ignibus in illam ſuis alimentum legat? miſeram me! vah! quid feci? ratum eſt: non procedam; ſed nec procedent ipſi. Impedire Dea noverim. Mentorem adeo: amaſium auferat; Ithacæ reddat. Hæc poſtulabo virum. poſtulabo autem? quid Calypſo poſt oblatum Telemachum? ubi ſum? quid reſtat? Venus! vah immite! vah non amandum amoris Numen! tu me decepiſti. Perfidam! vah perfidam donantis manum! & tu Cupido peſtifer! ſcilicet bene mihi ut ſit cum illo Græculo, te hoc admiſit pectus. Quot nunc perturbationibus tu iſtud obruis, deſperationibus quot laceras? alienatæ à Domina famulæ. Ecquid mihi Divinitas? nimirum ne mea non æterna ſit miſeria. Morte utinam finire dolores immortalis queam! at tu certè, me malè vivâ morieris Telemache! feram ſupplicium, à quo ferre non potui gratiam. Præſente formoſulâ tua, hac cades manu. Sum! quid ſtatuis Calypſo cæca, miſera? cadere tua manu innoxius, & qui per te hìc volutatur ad ultima? ego, ego has in iuvenem caſtiſſimum immiſi faces. Quanta innocentia! probitas! horror flagitii!

gitii! ad illecebras quàm difficilis animus! hæccine ego inficere? depravare? at enim deſeruiſſet me. Imò & nunc me aut deſerat, aut ſcientem ſpernat neceſſe eſt; unius æmulæ meæ mancipium. Rea ſum. Quæ merui, patior. i, Telemache! proficiſcere! naviga! deſere afflictum hoc Calypsûs numen! quod nec tolerare vitam, nec ſubire mortem poteſt. Relinque Eucharidis tuæ feroci inſolentiæ Deam oppletam luctu, opertam ignominiâ, iactatam deſperatione.

Hæc antri ſui rupibus querebatur. Inde repente ſe auferens, & cum amentis impetu: heus Mentor! inclamat; itáne tu protegis innocentiam alumni tui à vitiorum aſſultu? in tuam, iuvenísque perniciem vigilante Cupidine indulges ſoporatæ ignaviæ? adeò remiſsè, adeò perinde iuxtáque ad omnia, quæ aguntur, per me non habebis te ampliùs. Quid? illuſtriſſimum fatum ſuum pace tua negliget à patre degener Ulyſſis filius? tibíne an mihi formandam vitam eius genitores commiſerunt? ego inſanienti remedia, quæ poſſum, adhibeo; tu ceſſas? ecce tibi in interiori huius nemoris receſſu in eximiam altitudinem editas populos! non aliæ aptiores ædificandis navigiis. Ipſe Ulyſſes ſuam, qua ex inſula profectus eſt, ibidem ſtruxit. Imò caverna profunda eſt ibi loci, in qua reperies, quidquid navium partes cædendæ, ſecandæ, componendæ petunt.

Simul eorum, quæ præceps lingua effuderat, ſecuta ſed inutilis pœnitentia. Mentor quippe nec momenti interpoſitâ morâ progreſſus ad cavernam, quam Dea indicaverat; omnia fabricandæ navis ſubſidia reperit: cæſâque materiâ, tam

ſtrenuè perfecit opus, ut potuiſſet eadem adhuc luce fluctus pati. Tam exigua tempora Minervæ potentiam induſtriamque vel ſumma molientem circumſcribunt.

Calypſo in incredibiles cruciatus data. Trahebatur hinc deſideriô inſpiciendi ſucceſſum à Mentore ſuſcepti operis; hinc cupiditate frequentandæ venationis propterea invicta, ne liberrimam Telemachi copiam Eucharidi abſentià faceret, aut extra conſpectum amantes eſſent; id quod rivalibus intolerabile. Magno itaque ſtudio illuc deflectebat inſiſtentes feris, ubi Mentorem ſciebat vacare operi. Securis impigrè admota, malleíque afflictus exſonabant; captánſque eos arrectis auribus Dea ad ſingulos ictus intremuit: ſimul cœpit timere, ne in meditandis ab opere fragoribus anxiè hærentem adiectum à Telemachô ad puellam ſignum nutúsve fefelliſſet.

Interea Eucharis ad comitem ſuum irridentis voce: Eho! nondum palpitas, inquit, caſtigandus ſcilicet à Mentore ob excuſſas ipſo non conſcio ſylvas? næ tu miſer es & miſerabilis mihi tam rigido magiſtro diſcipulus. Lapideum hominem, & omnium, quibus oblectantur ingenui animi, inimicum! Averſatur, quæ iucunda tibi: punit, quæ innocentia dignetur præmiô. Fuerit moderatus tuam adhuc pueri balbutiem. At iam ſenilem in te prudentiam mirantur. Quid pateris magiſtrum ineuntis pueritiæ?

His cum fraude dictis ſauciatus Telemachus, vehementer averſari Mentorem eiusque diſciplinam cœpit usque adeo, ut aucto amore libertatis metueret, ne occurſu magiſtri interpellaretur? Nym-

Nymphæ porrò nihil reſpondit, perturbato animô. Iamque venationi ſatis quamquam utrinque haud umquam liberè vacatum. Reditur præcipite in noctem die. Emerſêre ex ſinu nemoris, contingente locum, ubi diem Mentor dederat parando itineris auxilio. Quo procul viſo, caligo oculos Calypsûs invaſit, qualem in morituris deprehendimus: deſerebant vacillantem ſuccuſſa genua: totum corpus gelidum ſudorem extruſerat. Coacta denique in Nymphas, à quibus cingebatur, feſſos artus demittere, Eucharin, admoventem manum, ut exciperet, reiecit cum atroci contuitu.

Navem ipſe quoque Telemachus aſpexit. Mentore autem exactâ operâ ante digreſſo, quàm redirent à venatu; cuia hæc eſſet navis, cui parata? Deam rogat, atque illa non idónea, ut continuò reſponderet, dilato aliquantisper ſermone, tandem: parata hæc à me (inquit) eſt avehendo hinc Mentori. In poſterum moleſta tibi non erit huius amici ſeveritas, impedientis, quò minùs felix; & laboraturi ex invidia, ſi immortalis ſis. Tum verò iuvenis acutiorî lamento: quid? me Mentor deſerere? actum eſt de Telemacho. Eheu! rapto Mentore te præter, Euchari, nil reſtat mihi.

Has voces vehemens affectus abſtulerat iuveni; quàm non bene, nec iam ipſum latebat. Sed is erat impetus animo, ut integrum non fuerit dicenda meditari. Omnibus ſtupor, magnúmque ſilentium. Eucharis data in igneum ruborem; non loqui, non progredi auſa; demiſſo vultu, inter ultimas conſtitit; geſtiens ceteroquin animô, quamquam frontem pudor occupaverat. Telemachus penitus ereptus ſibi, linguam ſuam non

credebat de tanta temeritate convinci poſſe. Somnio res ſimilis ei videbatur, ſed pudendo, & turbas invehenti in animum.

Calypſo longè quàm leæna raptis catulis furore incitatior, ſe in medium nemus, non viæ, non termini habita ratione abripuit. Tandem delata ad antrum ſuum,. excipitur à præſtolante Mentore. Quo conſpecto: auferte vos hinc, detrimento quietis meæ in hanc inſulam eiecti advenæ! apage procul inſanum hunc iuvenem! niſi actutum abſtraxeris, offenſa Dea quid poſſit, vecors ſenecio ſenties. Nec ego deinceps aſpiciam, nec à puellis meis aut verbo aut aſpectu interpellari Græculum ſinam. Ita per aquas Stygis nec à Diis violandas iuro. Tu verò, Telemache, malorum tuorum adeſſe finem ne credas. Abibis ab inſula mea, ingrate, in nova ſortis ludibria. Vindicabor. Ut affliget te meî, ſed inutile deſiderium! Neptunus ob nondum reparatam, quàm à patre tuo apud Siculos accepit, iniuriam, Veneríſque à te læſæ preces aliud capiti tuo naufragium parat. Videbis patrem tuum, adhuc ſuperſtitem. Videbis, nec cognoſces tamen. Sed nec in Ithaca ſalutabis priùs, quàm tela, fulmináque ſua in te uno fortuna conſumpſerit. i! Deos Deáſque omnes ultores mei adiuro. O ſi te infixum acuto ſcopulo, transfixúmque triſulcâ flammâ inutili prece obteſtari me, inſultaturam malis tuis, iuberent Dii!

His, quamquam tanta contentione iactatis, iam aliud parabat ſubſtituere decretum lubricus Deæ animus ab iis, quæ propoſuerat, planè alienum. Amor proſcriptum detinendi iuvenis deſiderium revo-

revocavit. Vivat, Dea inquit, & mecum vivat! curas pro ſe meas, erit fortaſſe, ut aliquando agnoſcat iuvenilis animus. Ab Eucharido ſolùm amari, à me etiam immortalis eſſe poteſt. Inconſultam Deam! ut te ſacramenti ipſa decepiſti fide! capta es. Spem Telemachi adiuratæ Stygis aquæ mergunt. Hæc Calypſo voce non pertingente ad alienas aures. Ceterùm furias credidiſſes in vultum eius commigraſſe, atque indignantis corde exhalari, quidquid peſtiferum Cocytus tegit.

Exanimavêre iſta Telemachum; notavítque Dea rivalis amoris ingenio, quo nihil argutius. Itaque accedebat robur ex iuvenis trepidatione impotenti Deæ cupidini. Bacchidis more, aërem implentis ad Thraciæ iuga alliſis ululatibûs, graſſata per ſylvas, adeſſe Nymphas iubet, atrociter adiectis minis, hoc iaculo (quod ferebat manu) perituram, quæ renuiſſet ſequi. Trepidare famulæ, gregatim concurrere, advolare. Ipſa Eucharis feſtinabat multo fletu, oculis procul emiſſis in Telemachum, cuius alloquio deinceps non ſuſtinebat frui.

Concuſſa totis artubus Dea præ indignatione, cùm latus eius ſubiret Eucharis. Tantúmque abeſt, ut æquiorem ſe dederit, quod Nympha modeſtiſſimè exhibebat, obſequio, ut magìs innovàrit capitale odium; tum utique, cùm videret concinnè lenitérque mœrenti ex ipſo dolore adiumentum venuſtatis accedere.

Interea hoſpites ſine arbitris relicti. Telemachus Mentoris amplexus genua (quippe nec ſollicitare brachia eius audebat, nec intueri in vultum) maximo, miſerabilique fletu ſermonem moliebatur.

tur. Sed hæſitans lingua fandi copiam magis magíſque implicuit. Quid faceret, quid vellet, aberrans à mente ignorabat. Ad ultimum: Mentor! pater! exclamat interiectis ſuſpiriis: Telemachum tuum libera ex hac abyſſo malorum. Deſerere te non poſſum, non poſſum ſequi. Extrahe tot ærumnis alumnum tuum. Imò ablatâ vita extrahe Telemachum à Telemacho.

At Mentor amplecti afflictum, ſolari; confirmare; & qua ſibi quiſque ratione ferendus, non palpandus ſit, docere. Fili ſapientis & adhuc à Diis amati Ulyſſis (hoc mœrentem verbo compellabat!) Deorum beneficia ſunt tot tantáque mala, quæ pateris. Nondum extra temeritatem eſt, quem de fragilitate impotentiáque ſua non convicit affectionum ſuarum experientia. Sibi enim ipſe ignotus adhuc eſt, & de diffidentia ſui, qua ſine ſapere non licet, ſecurus. Ecce ad extrema quaſi manu Dii traxêre te, ut quantum tibi nocere poſſent, non velint, oſtenderent. Intellige igitur, quod niſi experti haud umquam intelligunt. Ecquam feciſſem tibi fidem exponens Cupidinis perfidiam, docénſque, eum blandiri, ut feriat; dulceſcere, ut acerbiſſimè affligat? vidiſti lepidiſſimum puerum, inter riſus, iocos, gratiáſque advectum. Abripuit tibi cor, & gaudebas abripuiſſe. Aliud cauſabaris ex alio, ut crederem ſcilicet te expertem, quo laborabas, vulneris. Satagebas me fallere, & ſine metu indulgebas tibi. Hem triſtiſſimum tuæ temeritatis eventum! nunc mortem quæris, unicum quippe ærumnoſæ ſortis tuæ remedium. Furit perturbata Dea: uritur Eucharis, deterior ponendis in rogo. Armantur in mutuas

cædes

cædes Nymphæ amorum invidiâ. En! quantum ſæviat perfidi Cupidinis ſimulata lenitas! Agedum! quas nondum hic locus perdidit, virtutis tuæ reliquias collige. Agnoſce eximium à Diis beneficium, quod ſimpliciſſimam tibi aperit viam ab inimico, Cupidine, ad amicos, ad dulciſſimos genitores revertendi. Calypſo te vel invita eiiciet. Parata navis eſt. Quin avolamus ex iſthoc virtutis exſilio?

Inter hos monitus prehenſum manu Telemachum trahebat ad littus, haud ferme ſequentem, & reiecto vultu. Quippe Eucharin adhuc contemplabatur; quæ cùm averſa recederet, ſaltem adſtrictam elegantem comam eius, multo ſinu profluentes veſtes, inceſſúmque placidè ferocem extremis oculorum iactibus carpebat, largiſſimô deſideriô figendi ultimum oſculum amicæ veſtigiis. Eâ denique extra conſpectum ablatâ, aures adhibuit, eò motas, ubi videre Nympham deſierat, quoniam perſuadebat opinioſa cupiditas, inde vocem dilectæ allabi. Quid? quòd vel abſentem intuebatur, obverſante oculîs ſpecie, tâmque acriter admovente ipſam, ut communicare ſibi & accipere verba crederet. Adeò penitus alienatô animô ad Mentoris ſermonem obſurduit.

Redditus tandem ſibi ex hoc lethargo: ibo, ibo, inquit. Fixum, ratum eſt. At nondum valere Eucharin iuſſi. Ne vivam, ſi iſtud non præſtitero. Ingratus fuerim. Exſpecta ſis, dum ultimos à me intuitus, & extrema ah! extrema verba accipiat. Certè permittes, ad eam iſta me paucula: Migrare, Nympha, iubent iniqui & felicitati meæ invidentes Dii. At vitam prius, quàm tuî æternam memoriam Telemacho eripient. Da, obſecro, hoc

tam pium, tam iuſtum ſolatium; aut vel nunc me mori iube. Me hercle nec deinceps in hac inſula, nec in amoribus hærebo. Non amo, non diligo. Præter benevolum & gratum animum Eucharidi nec caſſam nucem defero. Verbulum unicum, nec niſi ſemel dicam: vale. Satis hoc mihi. Tum ne punctulo interiecto temporis ſequar te: abibo; avolabo.

Næ tu miſerabilis es mihi (Mentor reponit) quem amoris ſui ignarum facit rabioſa amoris inſania. Bellè habere te putas; & deſideras mori. Cupidinis victorem te iactas, & in viribus tuis non eſt, Eucharidi ne non adhæreſcas mancipium. Hanc intueris, hanc audis. Ad cetera hebetati oculi, captæ aures. Scilicet ægrotare ſe delirantes ex febri ignorant, iactântque nihil debere Æſculapio. O te improvidum! parabas abdicare Penelopen, ambientem redeuntis nati amplexus, eiurare genitorem Ulyſſem, quem tibi reſtituet Ithaca, delatura ſceptrum tibi; renuntiare gloriæ, illuſtriſſimæque ac tot Deorum tua unius causâ patratîs prodigiîs luculenter promiſſæ ſorti. Hæc tu dimittere? tot, tantâque? & dimittere, ut Diis, ut hominibus cum Nympha tua vileſcas? euge! etiam nunc nega te amare, & pertinaciter amare. Dic, quæ res tantos in tuum animum turbas, & ipſum adeò moriendi deſiderium? cur tanta contentione agebas apud Deam? non fraudis, non ſimulationis te arguo, ſed, quòd cæcutis adhuc, defleo. Fuge, Telemache, fuge. Vincit Cupidinem, qui fugit. Is hoſtis eſt, cui tunc fortiter reſiſtimus, ſi timemus & fugimus, atque ita, ut nec fugæ præmittamus conſilium, nec iungamus oculi ſemel averſi pœni-

pœnitentiam. Iuventutem tuam quàm inde ab ineunte ætate curaverim, ne nunc quidem ignoras. Neque fieri potuit, quin te huc usque admonerent, quibus proſperè meo conſilio es perfunctus, horribiles caſus. Ergo aut fidem Mentori, aut perinde eius diſceſſum habe. Scias utinam dolorem meum, quo futurum exitium tuum aſpicio! utinam & illum, quo urebar inde, cùm ſermonem tecum ſociare non audebam! minùs profectò doluit, cùm te eniteretur, Penelope. Silui tamen: ærumnam concoxi: oppreſſi gemitus eo conſilio, ut experirer, ad me num ſit reverſurus meus Telemachus. Fili! ah dilecte fili! calamitoſum hoc pectus meum leva. Redde, quod præ medullis amo. Quem amiſi, Telemachum mihi redde. At ſimul redde te tibi. Vivo, valeo; tuos inconſultos ignes ſi vincet ſapientia. Secundùm hanc niſi amaveris, vixi.

Interea Mentor initam ad mare viam urgere non deſtitit; & Telemachus quamquam mollior adhuc, quàm ut potuerit ſuîs viribûs ſequi, iam tum ſatis erat confirmatus, ne ſaltem ducenti reſiſteret. Imo cum Minerva, numquam dimiſſa Mentoris ſpecie, Ægidem modo oculis non patente opponeret iuveni, cœleſtémque radium circumfunderet, robur cliens ſentire cœpit, quantum numquam inde à prima in inſula Calypſus mora. Poſt tot tantáſque luctas ventum denique ad locum, ubi præceps in ſalum littus incumbit, præruptîs ſaxîs cotibúsque, ob nunc leniter nunc vî adactas undas identidem ſpumoſis. Inde proſpecturi erant à Mentore confectum navigium, an nemo ſua ſtatione deduxiſſet. Cùm in triſtiſſimum ſpectaculum incidunt.

Cupido ab ignoto ſene & retundi ſua tela, & abduci Telemachum videbat. Quare præ indignatione ſolutus in lacrimas, ſectari cœpit per interiora nemorum errantem Deam. Quam cùm inveniſſet, reſpicientem in ipſum cum gemitu & ex præſentia ſua revulſis amandi vulneribus amentem prior ipſe affatus: Dea es, inquit, immortalis es; & vinci te pateris à mortali, captivo, & ſi velis, mancipio? tûne illum dimittere? Contra acriter invecta Dea: apage (exclamat) peſtifera conſilia tua, infelix puer! Dulce otium meum & integrum obruiſti, & me quantâ miſeria! actum eſt de me. Dimiſſum iri Telemachum iuravi per Stygem. Id ſacramenti nec ipſe violaverit, quanta quanta virtute potentiâque Deorum pater. Ex inſula mea te aufer Telemache, & tu, mihi plus illo malefice puer!

Extergebat ad hæc Cupido lacrimas improbóque & cavillantis riſu: Rem, inquit, plane difficilem! Sine tamen. Tu omnino dimittito Telemachum; ſervato, quam ſtyge interpoſita iuraſti, fidem. At nec famulas tuas, nec me adſtringit hæc religio. Auctor ipſis ero, ut comburant tam ſtrenuè à Mentore exſtructam navim. Ita veteli induſtriam, quæ obſtupefecit te, eventus deſtituet; & ipſe tum demum obſtupefactus aliud eripiendi tibi iuvenis ſubſidium nequidquam requiret.

Hæ Cupidinis blanditiæ inſolenti gaudio mixtam ſpem in intimos receſſus Divini animi induxêre. Excitata deploratis rebus eius, exſtincta deſperatione, fiducia; id agens, quod ad rivi marginem frigiduli Zephyri gregibus, quos vapor ſolis exhauſit. Reddita mutatæ fronti aperta lætitia, oculis

lis lenitas, animo tot curis exeſo improviſa & de non redituris malis velut certa quies. Hærebat inter modicum riſum: palpationibus obruebat petulantiſſimum Amorem; at ſimul novos dolores invitabat.

Iámque Cupido, victa muliebri credulitate vehementer lætus, conſilium ſuum Nymphis perſuaſum ibat. Diſperſæ per montes notáſque ſylvas palabantur ovium ritu, quas famelici rabies lupi ex paſcuis diſſipavit fugâ. Igitur à puero rurſus coactæ, atque his confirmatæ verbis: Telemachus adhuc in veſtra poteſtate eſt. Ite, & à temerarioſe ne paratam fugæ navem actutum exurite. Illæ properare faces, ruere ad littus, concitari œſtro, vociferari, diſſipare crines, & inſanientium more Baccharum concutere. Iámque volant ſurſum evolutæ flammæ: conſumitur navigium aridâ & pice illitâ materiâ: procellæ fumi igniúmque torquentur ad nubes.

Conſpexit è rupe Telemachus cum Mentore; auditóque Nympharum ululatu, reprimere à voluptate animum non potuit, necdum ſatis, quod nocuerat, exoſum, & ſubinde æſtus ſuos prodentem ad inſtar ignis malè ſopiti & cineribus cohibiti; ídque iuvenilium affectionum haud rudis Mentor advertit. Ceterùm intuens in regionem Telemachus, quæ fumabat incendio: ecquid vides, inquit, alumnum tuum retrudi in caſſes? Cum nave conſumpta ſpes abitûs.

At Mentor ſatis gnarus, eum nihil ad voluptates, ſi remanſiſſet, firmiorem futurum: omnem moram peſtiferam cenſuit. Fortè aſpexit navigium, quod longiùs ab inſula hæſitans in alto ſe con-

continebat nautarum metu; quippe haud ignorantium Calypſus oram mortalibus fatalem eſſe. Cùm ecce Mentor vi maxima impulſum Telemachum ex capite ſcopuli, in quo aſſidebant, in ſubjectum mare præcipitat; ruentem ipſe altero aſſultu præceps conſequitur. Terribili lapſu toto animo percuſſus iuvenis, ingentem vim immitis ad guſtum aquæ admittebat in obluctantes fauces, corporíſque non ſatis potens adigebatur in fluctus. Redditus autem deinde ſibi, viſóque Mentore manum afferre in natandi auxilium, nihil porrò moliebatur animô, niſi ut ſe ab hoc infelici loco removeret.

At Nymphæ iamiam ovantes certiſſima fiducia retinendi utriusque alienigenæ, cùm viderent neutrius fugam ſiſti poſſe, provectæ in rabiem, acutiſſimis clamoribus littus complevêre. Calypſo ereptis, qui potuiſſent ſuſtentare ſolitariam, depreſſa in ultimum mœrórem antro ſuo inferebat miſerrimos eiulatus. Contra Cupido deſinente in tantum ludibrium victoria ſua, enixus ſublatîs alîs, in Idaliæ lucos, ubi Venus reditum eius operiebatur, contendit; puer matre ſua haud paulò crudelior, torúmque fructum ſui in inſula laboris ponens in eo, quòd excitata à ſe mala ſociato cum eadem riſu meditaretur.

Ceterùm Telemacho, quò longiùs provehebatur ab inſula, eò vis prior animi propiùs leniúsque cum priſtina in virtutem propenſione ſe admovit. Ergo notabili vocis alacritate: Quæ tu, Mentor, inquit, auribus meis amabas occinere, ex nullo rerum uſu adhuc incredulis, nunc aſſequor. Vitium fuga eáque ſola ſuperamus. O inſigne Deorum

rum beneficium, qui te, mi pater, adiutorem laborum meorum conſtituerunt! Æquum erat, juſtúmque, me privari tuô auxiliô, mihíque & voluntatî meæ relinqui. Iam non mare, non venti, non procellæ mihi terribiles ſunt. Cupiditates ſolas perhorreſco. Amor præ univerſis pelagi malis metuendus.

TELEMACHUS.

LIBER VIII.

IN Epirum Tyrii emiſerant, quæ in alto morabatur navis, futurum adnatantibus auxilium. Vectores Telemachum, cùm rediret ex Ægypto, conſpexerant; ſed tum medio fluctuantem pelago non agnoſcebant. Ceterùm ubi primùm ab iis exaudiri Mentor potuit, exerta ſuprà aquas cervice, ultimâque facultate clamandi: o piiſſimi & omnium gentium evergetæ! o Phœnices! vitam quam à vobis ſperant, duobus miſeris date. Per, quos colitis, Deos in navem veſtram utrumque admittite, ſequemur, quocunque illa terrarum tendet. Eia verò! natantibus acclamabat, qui moderabatur navi: ambo admittemini. Non ignoramus, quid exſpectare à nobis peregrina & (ùt videtur) tanta miſeria debeat. Protinúsque recipiuntur à nautis.

Illati in navem mox omnibus artubus obtorpuêre, impedito ſcilicet ſpiritu, quem diuturnus labor obluctantibus pelago concitaverat. Recuperabant autem paulatim vigorem ſuum. Veſtes datæ ſunt; quippe, quibûs ipſi erant induti, immiſſis

miſſis paſſim aquîs faciebant moleſtiam. Reſtaurato vocis uſu, circumſiſtere eos Tyrii magno ardore reſciſcendi, quæ utrique accidiſſent. Interrogabantut autem à præfecto ſequentia: quomodo illati eſſent in hanc, ex qua huc enatâſſent, inſulam? famam eſſe, à Dea, quæ incoleret, navigantes repelli. Formidandîs præterea locum ſaxîs cingi, illudentibus impetus inſanientis pelagi, & appropinquantes daturis in naufragium.

Tum Mentor: Tempeſtas, inquit, eò nos compulit. Oriundi è Græcia ſumus, nati in Ithaca. Epiro hæc iungitur, quò vobis iter; quod ſi interpellare vobis non libet, iactis ad Ithacam, præter quam curſus eſt, anchoris: beneficium tamen erit, in Epirum vehi: inde brevis ad noſtros via. Erunt inter Epirotas, quorum amicitia nos demum promovebit in patriam. Si recuperabimus, quod nobis in orbe chariſſimum, iſtud ſolatii pariter atque animos noſtros vobis duntaxat ſumus debituri.

Hæc ſolus Mentor. Nec quidquam interſerebat Telemachus, ex iis nimirum, quæ apud Deam peccaverat, ingens ſapientiæ incrementum adeptus. Diffidebat ſibi, erudiente experientia, numquam debere non agi, quæ ipſi Mentor ſuaſiſſet; & ſi voce non licuit, oculis animum eius diligenter explorabat.

Telemachum pertinaciter intuebatur, qui imperabat navi; cœpîtque ingredi in opinionem, quem iam aliquando vidiſſet, eſſe. Impeditus itaque non ſatis explicata recordatione: ſine, inquit, intelligam, ſubeâtne, me olim viſum tibi, quemadmodum me puto meminiſſe, te viſum mihi. Speciem tuam novi; & ipſa intuentem me protinus

nus admonuit, non alienam eſſe; quamquam initia noſcendi tui ignorem. Fieri poteſt, ut innoteſcant mihi, tu ſi velis meminiſſe.

Leviter turbatus iuvenis, ac ſubeunte gaudio: Et ego, inquit, perinde atque tu me viſo, ex contemplatione tui moveor. Vidi, novi te. Tyrine, dubito, an in Ægypto occurriſti? Ad hoc Phœnix non abſimilis homini, qui experrectus manè dilapſam, cum ſopore nocturnam ſpeciem paulatim recuperat animô, fervénſque repentino ſermone: Telemachum (exclamat) aſpicio, Telemachum, quem Narbal, cùm reditum eſt ex Ægypto iunxit ſibi. Ecce me! frater eius ego, de quo ſcilicet ille multa tibi. Poſt Ægypti expeditionem iuſſus proficiſci trans totum mare & ad Herculis columnas ſitam Bæticam, vos unà reliqui. Unde mirum ne ſit, ob penè nullam tui videndi copiam arduum mihi fuiſſe, te ex primis obtutibus cognoſcere.

Ergò, ùt intelligo (reponit Telemachus) Adoamus tu es; cuius tunc quidem ſpeciem, minùs diuturno contuitu leviter tranſmiſſam in animum meum, Narbalis de te verba altiùs impreſſêre? O! ſanè felicem & fortunatum me, quòd aſpicio dicturum de homine, cuius memoriam, dum vivam, ſumma cum benevolentia tenebo. Hærétne Tyri, & continuò? quoties in eum expromit ſe Pygmalionis ſuſpicioſa crudelitas? Interloquebatur Adoamus interroganti: Fortuna me hercle viro te commiſit, Telemache, qui, quas ipſum ingenium poſſit, curas in rebus tuis defiget. Ithaca te priùs, quàm me Epirus accipiet. Neque me fratris obſequia vincent in demerendo Telemacho. Advertit inter hæc verba, tempeſtatem-

tan-

tandem idoneam ſe præbere. Ergo anchoras tolli, vela dari iubet, nautáſque ad opus ſuum incumbere. Ipſe Telemachum cum Mentore abducit in colloquium. Converſíſque in iuvenem oculis: Novitati, quæ ſuſpendit te, inquit, nunc fiet ſatìs. Vixit Pygmalion. Dii, quorum æterna iuſtitia, hoc flagello liberarunt orbem. Diffidenti omnibus fidebat nemo. Probis ſufficiebant gemitus, & cauta, ne crudelitate præverterentur, fuga; nocere incumbenti in inferendas noxas, ſuſtinuerunt numquam. Mali contrà ſemper periclitari ſuam vitam credidêre, niſi ipſum exuiſſent vita. Dies ſinguli ſingulis etiam civibus afferebant metum in ſuſpicionem eius incidendi. Neque ab hac cuiquam minus eſſe ſecuro licuit, quàm qui agebant excubias. Quippe cùm ſalvus eſſe non poſſet iſtìs nolentibûs, deterioris fidei habebantur; digníque, quos vel umbra mactaret ſuſpicionis regiæ ſaluti. Ergo dum per vim ſalutem quærit, perdidit. Nam quibus tuendam vitam crediderat, ne rege tam ſuſpicioſo perderent ſuam, usque & usque metuebant; rebus numquam non trepidìs & iniquiſſimìs uſuri, niſi ſanguinolentas barbari hominis ſuſpiciones violenta morte eius prævertiſſent.

Prima occidendi regis conſilia Aſtarbæa ſuſcepit, monſtrum ſui ſexus, frequenti ſermone aliorum te præſente uſurpatum. Ioazar quidam erat ætatis flore, & pecuniâ inter Tyrios princeps. Hunc mirificè amare fœmina cœperat, ſperare etiam auſa, ſua ipſius ope imperaturum. Ad eum finem perſuadet regi, maiorem ex iis, quos ipſe genuiſſet, intolerabilì regnandi deſideriô ſceleſtum conſilium iniiſſe. Nec defuêre, qui corruptis

teſtimoniis hunc communirent dolum. Improbiſſimè igitur circumſcripto patre iugulatur innoxius; frater eius, cui Baleazari nomen, in Samon mittitur interpoſitâ causâ diſcendi mores, diſciplinâſque Græcorum; re autem vera tyrannum Aſtarbæa monuit, amovendum etiam minorem ex filiis, ne, quod metuendum, cum malevolis tranſiret in fœdus. Ceterùm qui moderabantur infauſti exulis iter, ſollicitati mulieris immani fallaciâ, ùt primùm à littore diſceſſum eſt, ex compoſito captata occaſione faciebant naufragium; extruſóque in altum puero, adnatantes peregrinis navibus, quæ exſpectabant, ut exciperent, evasêre.

Porrò turpiſſimis amoribus ità vacabat hæc femina, ut id nemo præter Pygmalionem ignoraret; tantáque erat tamque cæca regis in Aſtrabæam fiducia, ut etiam crederet, ne particulam animi aliis atque ſibi ab illa impendi. Simul autem rex occidendi Ioazaris cauſas alias atque alias conabatur exſculpere, acuente ſcilicet avaritia, & ad eripiendas illì, in quo Aſtarbæa deperibat, opes omnino anhelante.

At dum Pygmalion omnibus derogat fidem, dum militat Veneri, dum alienas opes eſurit: inſidiæ in caput eius ab Aſtarbæa maturantur. Verita namque, ne rivalem ſibi eſſe comperiſſet rex; ſatíſque gnara, vel unas divitias Ioazari fatales eſſe poſſe tyranno & avaro & æmulo: crudelitatis ſolertias quàm maxima celeritate cenſuit præveniendas. Quamquam autem aulæ principes cerneret capiti regis imminere, quotidianæ etiam novæque coniurantium voces auribus eius obſtreperent:

perent: ne tamen conſilia ſua committeret forſan prodituro, haud leviter metuebat. Optimum denique ex præſentibus viſum, venenô ſcelus abſolvere.

Conſueverat rex ſolus cum ipſa capere cibum, ſua ipſius manu, diffidente alienis tyrannide, paratum. Tenebat ſecretiſſimos palatii ſui angulos, ut & fas eſſet liberiùs diffidere, & apta eſui reddere, quibûs libebat veſci. Neque (quod illuſtres amant) ſuſtinebat exquiſitiùs victitare; ſed averſabatur, quæ ipſe neſciebat ſibi conficere, obſonia. Itaque non admittebat edulium cum conditis intinctibus ſeu iuſculis, non vina, non panes, non ſalem, non lac; nec quos olivis exprimimus, ſuccos, nec quibus aliàs cibariis noſtra tempora aſſueverunt; ſed aut ſola poma, quæ in horto ſuo ſuis ipſe manibus avulſerat, aut legumina, quorum ipſe ſementem commiſerat terræ; indéque collecta menſæ faciebat idonea; ſiti nihil ſolitus adhibere præter, quæ hauſta ab ipſo eſſet, frigidam ex puteo, concluſo ea parte regiæ, quam ipſe numquam à ſe dimiſſa clave intrabat unus. Et quamquam videbatur fidelius cum Aſtarbæa agere, ab ea tamen ſibi diligenter cavebat. Illa cibos, illa potum guſtu iubebatur præire regi; tum ne venena ſumeret ſolus biberétve, tum ne ſperaret illa, ſuperfuturam extincto amaſio. Ceterùm anus erat, muliebris impietatis longè, quàm Aſtarbæa, callidior, eiúsque amoribus conſcia. Ab hac accepto ſumptóque, quod eſu ac potu lethalibus reſiſteret, ad miſcenda regi venena ſe fidenter ſcortum accinxit. Et en totius ſtrophæ periodum!

Simul

Simul atque epulis daturi erant initium, vetula, de qua modò dixi, ianuam quandam vicino tumultu & repente turbat. Protinúsque rex ad deterrima credenda pronus ex æterno inſidiarum metu, perculſúsque improviſo ſtrepitu, ad ianuam advolat, vectium fidem explorat. Aufert ſe anus. Et ille nec compos ſui & quid ex iſto ſuſpicaretur motu; incertus, prodire foras, ut certiora cognoſceret, non audebat. Aſtarbæa confirmare paventem, blandiri; cogere, ut caperet cibum. Scilicet dum decurſat ad impulſas fores rex, ipſa venenum plano repandóque poculo eius immiſit. Ex quo iuſſa de more præire hauſtum, ſpe medicaminis, quod obiecerat toxico; conſtantiſſimo vultu bibit. At dum idem agit Pygmalion, aliquanto pòſt animo linqui cœpit. Satis credebat Aſtarbæa, diſcrimen capiti ſuo naſci poſſe rege vel temerè ſuſpicante. Ergo involare ambabûs manibûs veſtes crinésque, dilacerare, vellere, eiulare lugubrem in modum; moribundum amplecti, ſtringere etiam cum perſeverantia, ac inundare lacrimis; quas quidem aliàs nullo negotio muliebris aſtutia evocare didicerat. Iámque exhauſtîs viribûs videbat extremos quaſi halitus eniti. Sed neque tum ſatis ſecura, ne forte redeunte animo ipſam non iuberet necari, blandimentis intimæ amicitiæ incredibili furore commutatis, exſpirantem occupat, interſtrictíſque faucibus iugulatum è numero mortalium exturbat. Nec mora: annulum & diadema exſtincto detrahit, utrúmque Ioazari, quem intrò admittebat, tradit. Enim verò perſuaſerat ſibi, partium ſuarum mancipia omnia itura in illud, quod ſtatuiſſet ipſa, amaſiúmque hunc ſuum pro-

clamatum iri regem. At vero iidem ipſi, quorum eminentiſſimum erat in demerenda ſibi femina ſtudium, vile nec in mercede continens hominum genus, non poterant non venali candore decipere. Frangebantur etiam labantes hi animi eorum potentiâ, quorum Aſtarbæa inimicitiam exceperat. Imò ipſa ferocitas, ipſâque ſimulatio ſanguinolentæ & impiæ Aſtarbææ terrebat præ aliis usque adeò, ut eam ſalvam eſſe etiam ſinguli nollent, ne ſua ipſorum ſalus periclitaretur.

Turbatur intereà immani horrore regia: perſonant tota urbe ſtrepitus, miſerabili voce regem vixiſſe clamitantium. Alii mirum in modum commoveri, alii ad arma diſcurrere; omnes autem, quamquam novo ex nuntio inſolenter læti, futurorum anxia exſpectatione videbantur ſuſpendi. Fama quippe tam inſolitæ rei in alias atque alias transfuſa aures ſtrenuiſſimè tota, quamquam ampliſſima urbe diſſipabatur. Neque tamen videre erat ex tanta hominum frequentia, qui vel lugeret interfectum; tantum abeſt, ut deſiderium eius exiſteret, ex cuius occaſu populo libertas, relexatio diuturnæ miſeriæ dabatur.

At Narbal, ùt eſt vir ex aſſe bonus, tám crudeli facto vehementer movebatur, deflebatque Pygmalionis ſortem; quippe qui ſibi ipſe impoſuerat, tam cùm impiæ Aſtarbææ totum immergebat, quàm cùm neglectô, quod reges populis debent, patris officiô portentoſæ licentiam tyrannidis ſectabatur. Ceterùm Narbal communi ſaluti omnem commodans operam, omiſsâ morâ, omnes bonos cives ut Aſtarbææ conſiliis occurrerent pactô cogit,

git. Et hercle crudele imperium, quo cæſo rege exierant, aggravatura fuiſſet ſuperſtes amaſia.

Conſtabat fratri, Baleazarem ex undis, in quas expulſus fuerat, ſuperâſſe. Quſque aliud Aſtarbææ aſſeverârunt, periiſſe eum credebant magìs, quàm ſciebant. Námque per noctem elapſum natatû, Cretæ mercatores, commoti periculô eius, attraxêre in navem. Cúmque & ſibi exitium putaret fuiſſe deſtinatum, & patrem æmulum perinde ac Aſtarbææ fraudes metueret, dubitabat, in genitoris terras reverti.

Cretenſes puerum in ora Syrii maris expoſuerant. Ubi mutatîs veſtibûs diu oberrans eò devenit inopiæ, ut vitam agendis pecoribus ſuſtentaret. Contigit autem, ut demum ſe via aperiret, Narbalem, ubi eſſet, edocendi. Satis quippe Baleazar vel tum intelligebat, arcana ſua & ipſam adeò vitam viro conſtanter probo numquam malè credi. Et, frater meus quidem, etſi iniquiſſimè multatus à rege, numquam aut eius filium odio, aut nulli curæ ſalutem filii habuit. Illud tamen, quàm cetera, longè diligentiùs exulem admonebat, ne vel ſemel, quæ genitori deberentur, negligeret; néve toleraret, quod præſens fortuna deſtinâſſet, iniquô animô.

Tum quidem Baleazar ad fratrem ita ſcripſit: ſi ad te venire ſuades, annulum ex auro mitte. Hoc ſignum mihi eſto feſtinandi reditus. Ceterùm vivo patre revocare Baleazarem, non videbatur Narbali ex præſentibus optimum. Et hercle aliô conſiliô neutrius capiti abfuiſſet graviſſimum diſcrimen; tanti operis erat fallere aliena indagatione nihil non furaciſſimè ſcrutantem regem. At

ubi primum miſerrimo & quod merebatur, fato tyrannis occubuit: properabatur Baleazari ſtatutum redeundi indicium, eóque accepto ille feſtinabat iteri. Et fortè Tyrum intravit, cùm dubia ſuper futuro rege opinio univerſos adhuc cives confundebat. Nemine cunctante, proníſque omnium animis ſalutatus eſt rex. Diligebatur. Neque hoc parenti eius præter ullius deſiderium exſtincto dabant, ſed ſuæ ipſius lenitati modeſtiæque. Ipſa adeò calamitas, tam diu patienterque tolerata ſingularem ei afferebat ſplendorem, ac dignitatem quandam nulla ratione aſſequendam; egregiamque imperaturi indolem ita illuſtravit, ut nemo fuerit de futuris ſubditis, cuius aut venerationem deſideraret, aut gratiam.

Ceterùm à Narbale conſcripti fuêre populi principes; ſeniores, inquam, qui rempublicam conſultationibus, & ſacerdotes, qui rem curabant magnæ Phœnicum Deæ. Hi pronis corporibus Baleazarem venerati, regem eum pronuntiari per præcones iubent. Acclamatur à populo; quoties? haud dixerim. Penetrabant ſeſe voces gratulantium ad Aſtarbæam, quæ nunc in infimis palatii latebris cum proſtibulo ſuo Ioazare latebat. Ex tot, támque perditis hominibus, quorum operâ vivo Pygmalione utebatur, ne unus remanſerat. Scelus namque ſceleri infeſtum eſt, nec improbus ſe aut committit, aut ſubmittit, niſi dolens improbo. Satis quippe perſpiciunt ſceleſti depravatíque animi, quàm perversè, quàm avarè ac crudeliter homines ſuo de furfure uſuri eſſent regnandi licentiâ. Bonos verò ob ipſam ſpem futuræ manſuetudinis faciliùs tolerant. Pauciſſimi ergo fuêre,

qui

qui cum Aſtarbæa perſtiterunt, iidémque immaniſſimorum ſcelerum eius miniſtri; ultima utique paſſuri.

Ventum ad arma, oppugnatúmque palatium. Illi fracti conſcientiâ ſcelerum, omiſſô defendendi conſiliô, omnèm operam impenderunt fugæ. Aſtarbæa ſervili habitu ſe ablatum ibat in confertam multitudinem populi. Sed à milite agnita, proditâque excipitur. Nec nullius operis fuit, ne diſcerperetur à furentibus, prohibere. Iámque raptare per platearum ſordes cœperant. Sed à Narbale erepta eſt iratæ plebi. Tum Baleazaris quidem rogabat copiam; ſpes quippe erat, illecebris ſuis fore obcæcandum, & crediturum etiam, adeſſe, ut ex ipſa occulta quædam cognoſceret. Annuente rege acceſſum, extemplò adfuit, ea formam ſuam ſuavitate modeſtiáque commendans, cui nec ira potuerit iraſci. Acutiſſimè à laudationibus patheticeque blanda, quantum in deliciis fuiſſet genitori exponebat. Obteſtabatur per cineres patrios, ne miſellæ, ne afflictæ nollet miſereri. Invocare deinde etiam Deos, quaſi hos apertè coluiſset: inundari amariſſimo fletu: devolvi in genua. Poſt hæc autem diligentiſſimè anxiéque monere cœpit, quidquid fidiſſimos quosque, chariſſimósque amicorum ſuſpicioni regis odióque poterat obiicere. Ipſe Narbal factæ coniurationis ab illa agebatur reus, tumultuúmque adverſùs Pygmalionem, & ſollicitati pro corona populi, hæredi filio detrahenda. Quid? quòd affirmabat etiam, Narbalem ipſi Baleazari adhuc puero venenum paraviſſe. Neque leviores in optimum quemque civem calumnias ſuggerebat, rata, paternam diffidentiam de ſuo-

rum fide metúmque in filium tranſiiſſe. At ille muliebris & tantæ fallaciæ haud diutius patiens, interpellat fœminam; vocatíque è militibus proximi, qui ſcelus tradidêre cuſtodiæ. Prudentiſſimi ſeniorum cognoſcendis omnibus factis eius præpoſiti.

Horrendum dictu! compertum eſt, ipſam Pygmalioni venenum attuliſſe, ipſâmqne fauces regis preſſiſſe. Series quædam inauditorum facinorum inter ſe cohærentium totius vitæ eius curriculum emetiebatur. Iamque decreturi erant mortis genus, quod atrociſſima criminum apud Phœnices patiuntur, exuſtionem lento igne: cùm illa, ſatis intelligens, ſe miſericordiam planè conſumpſiſſe; non mitiori, quàm Furiarum concitata rabie, venenum haurit, quod ad prævertendum, ſi quod ipſi ſtatueretur, diuturnius ſupplicium continuò ſecum ferebat. Advertêre, qui intuebantur, eam gravibus doloribus tangi. Levatum ibant. Illa per indignationem tacere, ſignis auxilium reſpuere. Deos, quos læſiſſet, memorabant. Illa nec pudore, nec pœnitentia (quæ decuiſſent ita ſceleſtam) affici, ſed quaſi provocatura ex Aſtris Deos, feroci & contemnentis obtutu cœlum laceſſere.

Furor & impietas emicabant ex vultu. Toties exitialis Helena, attritîs deletíſque omnibus ornamentîs, Hecuba potuiſſet videri. Oculi denſa caligine offuſi, fulminis quadam mobilitate lubrici, & atrociter intuentes: labia trementia, micantiáque ex crebro motu: os apertum, fœdóque modo & immaniter dehiſcens: vultus exhauſtus, aridus, ad horrorem & inconſtanter tortus, color pallidus, & ex flavo liveſcens: artus omnes lethali fri-

frigore adſtricti. Videbatur aliquoties niti, ut reciperet ſpiritum; ſed tum corpus aptabat in horribiliores eiulatus. Ad ultimum deſtituta vitâ formidoloſô ſpectaculô univerſos, qui intuebantur, complevit. Facinoroſiſſimam umbram quis dubitet abreptam eſſe in loca triſtia, ubi æternùm fatigabit crudeles Danaides pertuſum dolium, rota Ixionem, fugiens aqua ſitientiſſimè captantem Tantalum, lapis Siſyphum, roſtrum ſemper eſurituri vulturis Tityum?

Haud uſpiam largius quàm à Baleazare, ſublato hoc monſtro Diis liberatoribus eſt litatum. Dehinc ipſum imperium auſpicatus à moribus paternæ avaritiæ recta obverſis, ſatagebat commercium à quotidianis, quæ patiebatur, detrimentis revocare, priſtinæque integritati reſtituere. Graviſſima penſanti Narbal aderat, quem agendi auctorem non ducem admittit, ſuæ ipſius rationi res ſingulas ſubiiciens. Singulorum quoque audit quantumlibet diverſas ſententias. Eligit, quam cenſet ſaluberrimam. Charus eſt populis. Præſtant hi, quem regi debent, animum, inde præ paterna avaritia ex inique corrogatis opibus diteſcenti. Nullam quippe domum repereris in tota Phœnicia, quæ vel leviter recuſaret regiæ neceſſitati ſua perfundere. Atque ita, quæ eos poſſidere ſinit, certiùs, quàm quæ auferret, poſſidet. Vitæ ſuæ, ut extra periculum ſit nihil opus eſt providere. In tutiſſimo regum præſidio, amore populi verſatur. Inter ſubditos nullum eſt reperire, perinde qui habeat, ab iſthoc Principe non regi, noliſtque regium ſpiritum redimere ſuô. Ipſe pariter, & cui dominatur, beatus populus eſt. Ex cenſu ne gra-

ventur ſubditi, identidem metuit; & iſti, ne minorem æquô velint cenſum perficere. Eximias fortunas, quas comparavêre, ipſo permittente tenent, eáſque nec in damnum civilis ſolertiæ, nec impotentem fiduciam. Laborant, negotiantur, maiorúmque inſtituta conſtanter & cum religione colunt. Revixit Phœnicum, quæ ſumma fuit magnificentia, revixit gloria. Hanc ſortem, hanc ſalutem utramque integerrimam regi ſuo & juveni debent.

Narbal ipſi parendô imperat. Quodſi te nunc videret, Telemache, quo gaudio exciperet, quibus quantìsque donis coleret! quam ipſi futurum ſit volupe, te cum pompa, quæ natales tuos decet, cum celebritate reportare in patriam. Dii boni! qui, quam depoſceret Narbal ſibi, mihi permiſiſtis operam; in Ithacam meum decernentes iter, ut in ſolio reponam Ulyſſis filium, imperandi ſapientiâ ſuis æquè, ac Baleazar Tyriis, profuturum. Hucusque Adoamus.

Telemachus cùm eventu rerum, quas ex Phœnice audierat, tum maximè luculentâ amicitiâ, quæ ab eo miſerabili conditioni ſuæ indulgebatur, tenerrimè affectus, hominem peramanter amplectitur. Quærentíque, quo caſu veniſſet in Calypsûs inſulam: cœpit ſuum à Tyro diſceſſum, itérque àd Cyprios exponere, & qua ratione ſit redditus Mentori, qua profectus cum eo in Cretam. Ludos deinde publicos ad eligendum pulſo Idomeno regem inſtitutos, iras Veneris, factúmque exinde naufragium memorabat; quàm item à Calypſo benignè excepti, ipſa verò qua æmulatione ſit unam ex Nymphis averſata. Addidit denique Mentoris facinus, à quo, quia amabatur, hoc conſpecto navigio præceps datus eſſet in mare. Con-

Conſumptis mutuo ſermonibus Adoamus opiparum convivium exornavit. Adiecta omnia oblectamenta, quæ poſſes à Navarcho exigere, certiori lætitiæ argumento. Pueri ætate integra albíſque veſtibus inter epulas adſtitêre, pretioſiſſimis odoribus ex Oriente delibutas. Nautarum ſedes aulœdis ceſſerant, eóſque interpolabat per intervalla Achitoas vocis & lyræ ſonô, quem nec Deorum menſæ potuiſſent aſpernari, & ipſe Phœbus audire cum motu. Tritones & Nercides confluxerant, ceteráque ex mari numina. Quin ex profundis cavernis piſces emersêre, quos intuentium admirationi gignit pelagus, denſam navigantibus coronam, mulcente cantu, affuſuri. Frequentes erant ex Phœnicia iuvenes, eximia pulchritudine, velatíque carbaſo, quæ laudem detrahebat nivibus. Hi ſaltantes, aliquamdiu ſuis numeris, proximè Ægyptiacis, deinde Græcis aptavêre pedes. Tubarum quoque usque & usque excitatus clangor ita incumbebat mari, ut ad remotiſſima etiam littora pertingeret. Nocturnum ſilentium, pelagus caſtigatum à fluctu, luna ſcintillans, & per aquarum diffuſa planitiem, cærulea & paulò in opacum prona cœli facies largiſſimè internitentibûs ſtellîs, adiuvabat decus adornati de nocte ſpectaculi.

Telemachus, nec tarda indole, nec lenti animi iuvenis, nihil non amabat deliciarum præſentium. At iisdem cum inſolentia delectari non ſuſtinuit. Trepidabat vel ad liberaliſſimas oblectationes, ex quo in Calypſus inſula tanto cum rubore didicit, quàm facilè incaleſcat iuventus. Verebatur omnia; intuénsque in Mentorem à vultu eius ocu-

oculſque, quid de toto celebritatis huius apparatu ſentiendum ſibi, requirebat.

Hac iuvenilis animi turbatione perſpecta Mentor plurimùm lætabatur. Fingebat tamen, eam ignorare, Tandem motus continentia iuvenis, cum familiari & mediocri riſu: novi, inquit, quid timeas. Euge verò! time, ſed intra modum. Si quis umquam alius, ego certè velim, ne expers voluptatum ſis earum ſcilicet, quæ te nec impotentem faciant, nec ſegnem ad fortia. Oblectationibus opus, quæ laſſitudinem eximant animo tuo, non poteſtatem tui & animum tibi. Lenes habe atque moderatas remiſſiones, quæ numquam te impellant brutis familiari impotentia. Poſt anguſtias tuas ærumnáſque utile nunc erit relaxandô confirmare animum. Da hoc Adoamo, ut, quæ offert ad lætitiam, admittas. Euge Telemache! iucunditatem ingredere! gaude! faciles & ingenui ſunt, qui inſtruuntur à prudentia. Hæc una diſpenſatrix eſt ſinceræ voluptatis, eámque ita ordinat, ut, quibus iucundè afficimur & integra ſint & diuturna. Hæc didicit læta ſeriis coniungere; ipſôque ex labore remedium trahit moleſtiæ, atque hinc novum laboris adminiculum. Præ ſe demum ſine rubore fert, cùm opus eſt, lætitiam.

Inter hæc extrema verba lyram Mentor ſumpſit, cœpitque fidibus canere eâ artis præſtantiâ, ut tanto æmulo ſuas cum triſtitia Achitoas poneret. Micabant incenſi oculi, movebatur vultu præſens color, futura nota ægritudinis, & pudoris eius in omnes manifeſtum ſignum, niſi ab intuendo præſentes Mentoris artificium abduxiſſet. Trahebatur autem tum ab audientibus, quam parciſſimè tenuiſſiméque

iſſiméque poterat, ſpiritum, ne vel particula divini concentus avidas aures præteriret; ſollicitudo tantum & pæne metus erat, ne, votô brevior, iugularet audiendi deſiderium. Quippe ipſa vox canentis non effeminata mollitudine, ſed ad flexionem facilis, ſplendidáque ſonô, auribus etiam minima quæque cum vigore admovebat.

Initium modulis laudes Iovis dedêre, qui utpote Deorum hominúmque rex atque pater cœlum unico capitis nutu terrásque movet. Deinde natam ex eius cerebro Minervam ſeu ſapientiam repræſentabat, quam conceptam intra ſe, effudit ad formandam docilitatem humani generis. Atque hæc quidem religionis capita tam pie modulabatur, & pathéticè, ut tota concio ſibi videretur Olympum & in Olympo Iovem intueri, cuius ex oculis fulgor præ fulmineo perſtringit. Narciſſus porro argumentum fuit, ſuam ipſius formam tam perditè inſaniens, ut æternus contemplator ſui fontibus uteretur in ſpeculum, miſera doloris ſui victima & mutatus in florem, cui nomen eius poſteri indidêre. Finem denique cantui impoſuit flebile Adonis fatum, quem dentes apri divellêre, amaſia Venere revocandô animam eius multum ſed nequicquam fatigata, eámque numinis ſui impotentiam amariſſimè deplorante apud Superos.

Nemo tum audientium lacrimas in poteſtate habuit; ipſáſque lacrimis mirabilis ſe voluptas adiungebat. Finito cantu, Phœnices mutuò cum admiratione aſpiciunt. Orpheus eſt, aiebat quidam. Hi ipſi numeri ſunt, qui feritatem brutis, arbores ſylvis, petras montibus dempſere; ab his incantatus Cerberus, interpellata Ixionis, Danaidúmque

dûmque ſupplicia; hîs ferreus ad preces emollitus Pluto dimiſit ex inferis Eurydicen. Erras exclamat alius; Apolline patre hic genitus & linus eſt. Minimè verò, tertius ſermoni improperat, Apollinem ipſum aſpicitis. Neque Telemachus (tum quippe primum reſcivit has artes Mentorem & tam peritè nôſſe) minus obſtupuit. Interea ipſe Achitoas largiorem moram nactus reprimendæ ægritudinis novum Muſicum laudibus usque non leviter cœpit aſpergere. Sed pudore concepto peragere non poterat totam officioſæ commendationis ſententiam. Mentor videns, animô & voce eum hæſitare, verbum quaſi ad interloquendum illi exorſus eſt, admenſiſque cum fide laudibus, quibus meritum hominis poterat ſine adulationis nota perſequi, conabatur fomentum vulneratæ æmulationi, etſi nequicquam, adhibere. Vidit enim Achitoas, non vocis duntaxat lenitate, verùm modeſtia quoque & hac amplius Mentorem ſibi anteſtare.

Interim Telemachus: memini, Adoame, inquit, te, poſteaquam ab Ægyptiis profecti ſumus, de itinere quodam dixiſſe, quod in Bæticam ſuſceperis. Herclè ea de gente referunt portenta, quæ fidem non videntur poſſe admittere. Gratiam mihi feceris, veráne audiverim, ſi facis, ex te ut intelligam. Adoamus, petere eum, reſpondit, quod gratum & volupe ſibi eſſet. Nam & celebritate nominis inſignem regionem, nec ſanè indignam eſſe ipſius, quo nova proſequeretur ſtudiô: famæ demum ſuæ quantumcumque magnæ vaſtæque antecedere. Poſtea hunc ſermonem ingreſſus eſt.

Fer-

Fertili ſolo flumen manat. Bætin appellant. Mitiſſimus aër incumbit, numquam non oculorum proſpectum transmittens. Nomen regioni ex amne impoſitum. Ipſe Oceanum ſubit ferè Herculis columnas alluente oſtio haud procul extra oram, ubi maria quondam ruptis aggeribus Tharſin ab Africa magna avulsêre. Crederes in eo regno ſupereſſe, quæ ætatem auream beavit iucunditas. Ipſa hyems leviter calet, nihil umquam rigoris afflante Borea. Quod alioquin æſtate corporibus difficillimum, hìc molliore Zephyrorum aura opportunè mitigatur; quippe ſubeuntes meridie, calorem ſolis, ne vapores trahat, premunt. Itaque annum una veris autumnique ſalubritas mutatis fideliter vicibus quaſi cohærentium percurrit. Valles & perpetua planitie campi meſſem ſemel iterúmque in annos ſingulos ſufficiunt. Lauri cum malis punicis aſminíſque viarum utrinque limites deſcribunt. In montibus paſſim fuſi greges ovium tenuiſſimâ lanâ, quæ in omnes gentes, quarum ad me nomen pervenit, avehitur. Aurum argentúmque non uno loco fodi poteſt. Ceterùm utrumque parvó æſtimant incolæ. Imò ex ſimplicitate ſua beati ne divitiis quidem putant accenſendum; adeò ipſis omnia viluerunt, quibus ſimpliciter opus non habet humana neceſſitas.

Auri argentique non alium ac ferri uſum, ùt ad vomeres, his gentibus viderunt eſſe noſtri, cùm ad eas primò excurrêre. Domi enim ſe continentes, nullóque exteris iuncti commercio, ære etiam excudendo abſtinebant. Pecori aut agris pleríque vacant; pauci operibus, quæ ingenió manúque perficiuntur, eas ſolummodo artes & opificia permittente

mittente uſu, quarum omnino eget humana conditio. Quamquam autem viri maximam partem agris pecudeque curanda occupantur: artes tamen opificiáque, queis ad ſimplicem ac ſobriam vivendi rationem opus habent, haudquaquam prætermittunt.

Lanam in fila deducunt feminæ, pannósque inde tenues & miri candoris texunt. Panes eædem parant, cibariáque nullo ferè negotio, quoniam aut fructibus aut lacte veſcuntur incolæ. Ovium pellibus ſuas, coniugúmque ac liberorum tibias plantáſque leviter muniunt. Tabernacula conſtruunt alia ceratîs tegumentîs animalium, alia ex detractis arborum corticibus. Eædem domeſticorum veſtes & faciunt & lavant. Supellex ad admirationem intuentium munda. Ceterùm veſtes nulla arte & rudes gerunt. Mitiſſimo namque regionis ingenio molliorem duntaxat eúmque leviſſimum pannum obiiciunt, quem nulla ſectione concinnatum in oblongos ſinus ad honeſtatem arbitrariâ formâ circumducunt corpori.

Viri præter ea, quæ ad agriculturam pecudumque cuſtodiam pertinent, nihil ex artium operantur inſtitutis. Excipe modum ferrò, lignísque utendi cum fructu; quamquam ex ferro ſoli ruri colendo idonea cudunt. Quidquid architectonicâ aut invenit aut ponit manu, cùm domos non exſtruant, accenſent ſupervacaneis. Animum plus æquo affigi terræ aſſerunt factîs habitationibûs, quæ ſuperſint exſtinctîs dominîs. Sufficere, non eſſe expoſitum cœli incomodis. Ceteras autem artes, quibus apud Græcos, Ægyptios aliósque, qui idoneis moribus inſtitutisque reguntur, populos grandis

grandi honor eſt; velut mollitudinis vanitatisque incrementa damnant.

Si de illis gentibus mentionem quis inferat, quæ ſcienter parant ædificia ſplendida, lautas ex auro argentóque ſupellectiles, veſtes acu inſertísque gemmis pictas, geniales in ſuffimenta odores, cupedias, inſtrumentáque numeroſo concentu: earum luxum hunc ſuggillant in modum: Iſtarum gentium fortunam quis miſerabitur ſatis, quæ, ne non depraventur, improbo etiam labore pertinacíque ad id induſtria incumbunt? hæc ipſa abundantia inutilium rerum emollit animum, obtundítque; ſupplicium profectò iis, qui ex illâ ſe etiam felices exiſtimant: minùs affluentes allicit, & ut affluant, provocat ad univerſa iniquitatis facinora. Et erit, qui corrumpendis moribus natam peſtem, copiam, laudet? Agite! ampliúsne quàm nos valent vigéntque hi delicatuli? vivuntne ætatem largiorem? num eos inter pulchriùs convenit? num pacificatoribus egent minùs? nihílne & minus ſerviunt, turbantur, affliguntur? alia ſane nobis & verè perſuaſimus; æmulationibus ſcilicet eos ardere; arrodi ſordida, ignobili, mutuáque invidia; agitari perpetuis turbis ob ambitionem, & metus nutrientem avaritiam: imò ne idoneos quidem eſſe capiendæ ſimplici & ſinceræ voluptati, quos inaniſſimæ tot rerum neceſſitati, velut unico humanæ felicitatis ſubſidio, ſtolida credulitas mancipavit.

Ecce tibi ſaniſſimos (Adoamus pergit) iſtorum hominum ſenſus, quos non aliunde, atque ex diligenti ſolius omnémque apparatum averſantis naturæ cognitione hauſerunt. Oderunt porro mores

noſtros elegantulos, & ſcitulos. Neque tamen, qua mores eorum publici diriguntur, horrida aut inculta eſt, ſed perfacilis perque amœna ſimplicitas. Unà vivunt non diviſis inter ſe agris. Principi familiæ domus ſingulæ obtemperant obſervantiâ, quæ regem decet. Is filiorum, is nepotum delicta ex patrio inſtituto, adhibitóque reliquorum de familia conſilio punit; quamquam perrara, & ferme peregrina ſint animadverſionis exempla in gente hac ante alias felici. Nam & morum & fidei integritas, & imperatis ſponte obvia induſtria, horrórque improba audendi, quod in ea caſtigetur, nihil admittit. Aſtræa, quam ad cœlos aiunt fugâ tranſiſſe, ex his, me hercle, nondum terris ceſſit. Tribunalia non habent. Suum cuique tribunal & æquiſſimus iudex conſcientia. Bona omnia communia ſeu omnium ſunt. Ex iis, quæ arbores agríque gignunt, ex lacte, quæ gregibus ſubducitur, eam ſibi opulentiam parant, ut ad vitam ſobriam moderatámque, quam vivunt, commodè inſtituendam opus haud ſit agrum in portiones deſcribi. In regione hac usque adeò felici & ſplendida, quoniam inſtabiles ſunt nec affixæ domibus familiæ, conſumpto victu pabulóque unius loci in alium tabernacula ſua transportant. Itaque non committuntur avaritiâ commodorum: non laxatur, quo coëunt, vinculum fraternæ amicitiæ: voluntatum veriſſima conìunctio numquam diſſolvitur. Atquæ hæc animorum conſenſio, hæc ab alieno iugo immunitas adhuc diligentiâ carendi inutilibûs divitiís, vanísque voluptatibûs ſtetit.

Omnes uti liberi, ita etiam conditione æquales ſunt. Nullumque inter eos diſcrimen, niſi quod

vel

vel ex ſeniorum experientia naſcitur, vel ex iuniorum quorundam præter morem matureſcente ſapientia, qui tum ſenili virtuti comparantur. Vis, dolus, perfidia, controverſiæ, lites, pugnæ, quàm ceteris peſtifera, tam his fortunatis populis ignota ſunt nomina. Agnino cruore hæc tellus vix umquam tepet; tantum abeſt, ut humanum biberit vel ſemel. Cerneres obſtupefieri pacis ſtudioſum hunc populum, cùm, quæ incidêre alibi, calamitoſa prælia, feſtinatæ expugnationes, excidiáque regnorum ac provinciarum referuntur ab advenis. Ergone, inquiunt, mortalitate non aliàs ſatis multati ſunt homines, etiamſi mortem ſibi per mutuas cædes non properant? vitæ humanæ tantilla ſunt ſpatia; ea tamen quis non credat his pugnatoribus diſplicere ex mora? ideóne vivunt, ut communibûs ærumnîs unà contabeſcant mutui furoris victimæ?

Sed neque illud monſtro carere putant, eſſe maximo numerô, qui victores gentium, & egregios bello viros admiratione & honoribus proſequantur. Vah ſtolidam vecordiam (ita ſtomachantur) aucupari felicitatem ſuam ex aliorum imperio, dum imperare vel uni, ſalvâ prudentiâ & incolumî iuſtitiâ, tam arduum eſt, & obnoxium infinitis moleſtiis! quis igitur ex coacta ſubditorum obedientia tripudiet? viri prudentis eſt, perinde & iuxta habere, ſeu dociles populos iugíque patientes à Diis regendos acceperit, ſeu qui patris bonitatem, & paſtoris vigilantiam ab eo efflagitant. At domitores gentium, & uno armorum ſuffragio reges, id demum agunt, ut ob putidum & aberrantis duntaxat cerebri æſtimatione inſignem

 titu-

titulum deſpotici imperii in amplexus iniquiſſimæ ſortis ſeſe coniiciant. Flagellum eſt, qui domat regna, ab iratis generi humano Superis medio indignationis ardore immiſſum in ſceleratas terras ad ſubvertenda imperia, ad protrahendum quoquoversùs terrorem, deſperationem & miſeriam, ad imperanda tot iuga, quot in orbe ſunt homines præter aliena imperia. Defuturum ergo putat, unde ipſe eximius ſit, niſi violentia, nefas, ambitio, rapinæ, tyrannis illata in circumfuſos populos famæ ſcaturigines fodiat? numquam, numquam niſi pro libertate molienda bella. Felix, qui nec ſervitutem patitur, nec ut patiantur alii, ambitione incitatur. Illi autem bellatores, idola ceteroquin gloriæ, torrentes ſunt ſuperfuſi ripis, qui ingentem ſane gerunt ſpeciem, at vaſtiſſimo fertilitatis, quam modico humore iuvare poterant, detrimento.

Telemachus hac Adoami de Bœtica deſcriptione mirum in modum lætatus, poſtea ad diverſa largioribus interrogatiunculis excurrit. Inter alia percontabatur, num quis ea in regione vini uſus? hoc genere potus (Adoamus reſpondit) quoniam non conficiunt ipſi, omnino ſe prohibent. Neque in cauſa uvarum defectus; quippe præſtantiſſimas, ſi quæ alia, hæc gignit regio. Ceterùm fami, non ſiti pellendæ eas cum fructibus reliquis adhibent. Contra quod uvis exprimitur, velut perniciosum humano generi, damnant: vinúmque, inquiunt, veneni genus & furoris quoddam ac veſaniæ ſemen eſt, non mortiferum, non vitam, ſed naturam eripiens homini; quippe quem parem belluæ facit. Nec humano corpori vino opus, nec robori. Imò vino-

vinolentorum aſſiduè tam periclitatur valetudo, quam probitas.

Poſt hæc iuvenis: ſcire velim, quæ ibidem leges poſitæ ad rem uxoriam adiicientibus animum? Et Adoamus: cum una tantùm & in indiſſolubilem vitæ toríque ſocietatem conveniunt. Viri in ſervata, quam uxoribus debent, fide ſummam laudis non minùs ac aliæ nationes, uxorum decus in odio alieni amoris ponunt. Numquam alia gens ſtudioſior honeſtatis & pudicitiæ fuit. Feminarum ùt eximia eſt perque amœna ſpecies, ita par ſimplicitas, & otium ſemper peroſa modeſtia. Coniugia eorum nec moleſta turbis, nec ſterilia ſunt, & exempta vituperationis ignominiæ. Putares utrúmque coniugem unam duntaxat animam in diverſis corporibus habere. Onus domeſticæ curæ diviſum eſt, viro curante, quæ agenda forìs, uxore ad domeſtica incumbente intra ædium ambitum; adeóque ſocia laborum eſt, & quaſi nata mariti ſolatio; quippe cuius fiduciam ſibi conciliat, & maiorem ex probitate, quàm pulchritudine amorem conſequitur. Itaque non ſeriùs quàm utriusque vita ceſſat vitæ ſocialis iucunditas. De cetero tota natio quoniam nec immoderate vivit nec improbe, neque præter honeſtatem: prolixiùs commodéque valet; nec deſiderat, qui integrum iam ſeculum vixêre, aut viceſimum etiam annum ſeculo adiecêre vegeti adhuc, & præter ſenilem torporem impigri.

His auditis: ſupereſt, Telemachus ſubiungit, ut qua ratione bella & armatas cum finitimis inimicitias evitent, intelligam. Tum Adoamus: hoc regnum, inquit, alia ex parte freto, alia, qua Sep-

tentrionem reſpicit, altero munimento, præaltis montibus ab adiacentium populorum confiniis dirimitur. Deinde verò ob virtutem aliis gentibus in honore ſunt. Ab accolis certè hi ipſi ſæpenumero iam poſtulati ſunt iudices pertinaciorum controverſiarum, terrásque urbes, de quibus diſceptabatur, acceperunt tuendas. Extra ſuſpicionem ſcilicet verſatur hæc provida natio, utpote nemini hucusque armis infeſta. Riſum non tenet, ſi qui de Regibus meminerunt, qui ortas de regnorum ſuorum finibus lites profligare non poſſint. Ergóne illud denique timendum eſt, inquit, ne mortalibus terræ deficiant, cùm tamen numquam valeat tantum de illis occupare humana aviditas, ut incultæ ſterilitati ſua non relinquenda ſit portio. Quodſi autem ſuperat adhuc, quod nemo quiſpiam vendicavit ſibi ad agreſtem cultum, abſit, ut ſuſcipiamus vel defenſionis conſilium, ſi in agros quis noſtros involet ex finitimis. Arrogantiam præterea, & faſtum nemo eſt, qui ex illis populis non oderit. Execrantur perfidiam; nec deſiderium admittunt propagandorum ſuorum finium. Unde vicini cùm nec habeant, quod ab illis formident, nec habere ſe putent, quod propulſare metum non debeat; religioni ducunt, eorum quieti obſtrepere. Inſuper Bæticam ſuam potiùs, aut cum morte vitam mutarent, quàm cum mancipatu libertatem. Adeóque tam arduum eſt eos iugo ſubmittere, quàm arduum illis vel adverſam alienæ libertati voluntatem pati. Ecce ſubſidia, quibus integritatem perpetuæ cum proximis ſuis concordiæ conciliant.

Narrandi finem Adoamus demum faciebat cum modo

modo negotiandi, quo Phœnices utuntur in Bætica. Mirabantur, aiebat, hi populi, cùm aſpicerent è locis tam longinquis & advectos marî. Permiſſum nobis urbem ponere in inſula, quam Cades appellant; benignéque acceptis impertiebantur ex omnibus, quæ poſſidebant, recuſatô etiam, quod offerebamus, pretiô; polliciti inſuper, omnem lanam, quam domeſtico uſui detrahere pateretur neceſſitas, ultro tradituros. Et verò eius tum ingentem copiam nobis miſêre dono; gens tam benefici ingenii, ut geſtiant ſuperflua peregrinis diſpertiri.

Ceterùm loca, in quibus metallum gignitur, cùm nihil inde accerſerent commodi, nobis haud gravabantur cedere. Leviter delirare homines putabant, qui labore improbo multâque vexatione in terræ viſceribus ſcrutarentur, ex quo nec poſſent beatè, nec cum ſimplicitatis iucunditate vivere. Parcite telluris viſceribus (erat hæc eorum non inurbana cavillatio) ſatis vobis ſit, tergum eius vomeribus ſcindere. Sic verè nutricem habebitis: ſic labori veſtro reddet felix hæc mater, metalla quod ſuperat: neque enim metalla inveſtigat humana cupiditas, niſi ut vitæ mercetur ſubſidia.

Invitati plerumque ſunt à nobis ad rem nauticam, oblatâ erudiendi ad eam operâ. Monebamus etiam, paterentur iuventutem ſuam huius artis perdiſcendæ causâ in Phœniciam duci. Quid illi? docerentur ſanè, inquiebant, & ipſi indigere iis rebus, quibus conſuetudo veſtra nullo iam pacto carere poteſt. Hæc reſpicerent, ad hæc unicè anhelarent neglecta virtute, ut, quæ cupiunt, conſequerentur iniquâ & malignâ induſtriâ; haud

abſimiles homini, qui, quamquam firmîs cruribûs ac difficillimo ſuffecturîs itineri, ipſa deſuetudine eundi paulatim opus habet ægrotantium more alienâ opera, cum concedendum eſt aliquò, uti. Atque ipſam quidem nauticam videntur non odiſſe. Admirantur induſtriam, & quo à nobis exercetur, ingenium. Eam ipſam tamen parùm felicem exiſtimant eſſe. Rationem hanc ineunt: neceſſaria vivendi auxilia ſi ſufficiat domeſticum ſolum, quid excurritur ad extraneum? aut ultra exigendum, quàm naturæ ſit ſatis? digna hercle naufragiô cupiditas, quæ ut mercantium avaritiam exſatiet, ut libidinem nutriat ceterorum mortalium, exitium inter terrores pelagi conſectatur.

Hac Adoami narratione magnopere delectabatur Telemachus. Exultabat, adhuc dum eſſe, quos ad tantam ſapientiam & felicitatem magiſterium ſanæ rationis evexiſſet. Quàm longè & quam bellè, inquit, id hominum genus abit à moribus frigidis & plenis ambitione illarum gentium, quibus ſummam alioquin laudem ſapientiæ deferimus! ſed tanta iam eſt animorum noſtrorum ex infelici conſuetudine perverſitas, ut nobis perſuaderi alia patiamur omnia, quàm non fallere, quæ de hac naturali ſimplicitate referuntur. Nobis illorum quidem mores feſtivum acroama ſunt; at illis, puto, vita noſtra videtur nocturnæ ſpeciei portentum.

TELEMACHUS,

LIBER IX.

DUm his ſermonibus implicantur, ſoporis & ad medium provectæ noctis obliti: immiſſo

ab

ab infeſto quodam Numine errore longiùs ab Ithaca navigium deflectitur; factúmque, ut, qui ad clavum ſedebat, Athamas operam in ea perderet perquirenda. Equidem Neptunus non averſabatur Tyrios. Ceterùm turbini exemptum Telemachum evaſiſſe in Calypſus oram vehementer indignabatur. At longè vehementiùs exarſit Venus, aſpiciens geſtientem Telemachum ob devictas illecebras, quas tanta, ſed inutili arte Cupido admoverat. Itaque ipſo doloris æſtu Cytheram, Paphon, Idaliamque deſerit, ſplendidiſſimos honores inſulæ ſuæ deſtituit; locóſque averſata, in quibus Telemacho fuiſſet deſpicatui, in Olympum enititur ad aggregatos Iovi Deos. Is locus eſt, unde aſtrorum infra ſe arbitrantur curſum. Longè latéque explicata & quaſi immenſa continens ipſis maſſa luti éaque permodica videtur eſſe. Univerſus Oceanus, quem nullum ingenium metiatur, nullaque induſtria, non alium illuc quam guttarum transmittit ſpeciem, dictam maſſam non largè rigantium. Ampliſſima regna inde deſpicientibus apparent quaſi arenulæ, quibus continentis illius luti planicies obſeritur. Illam innumerabilem multitudinem populorum, illos fortiſſimos & numero ſuperiores exercitus formicis comparant Dii, ad occupandum graminis cauliculum ſuper tumulo, ex ſtillis cœnoſo, proſilientibus ad bellum. Rident cœleſtes animi vel graviſſima negotia, quibus conflictatur humana fragilitas, utpote affinia rebus, quas amat pueritia. Ieiunitatis inopiæque damnant, quidquid ſive gloriæ ac dignitatis titulo ſive potentiæ civilíſque doctrinæ nomine ambitioſis mortalibus grandeſcit.

Atque hoc, de quo diximus, loco Iovem æterno reſidentem ſolio colunt. Ille etiam abyſſos pervadit intenta acie oculorum, qui abſtruſſimis latebris cordium impertiuntur diem. Fronte ſerena mitíque abſtergit, turbare quæ poſſint, & hilaritatem orbi aſpergit univerſo. Contra cœlos quatit vel leviter moto vertice, terráſque perturbat. Quin attoniti ad fulgorem maieſtatis eius, contremiſcunt ſubeuntes Dii.

Et forte tunc adierat Venus, cùm nullum vacaret cœleſtis Curiæ ſubſellium. Iam nihil celabat venuſtatum, quibus Dea pulchritudinis noſcitatur inter ceteras. Premebat nitoris varietas in fluente Deæ tunica verſicoloris Iridis ſuperbiam, quacum atris ex nubibus emergit hoc pignus pacati cœli, mitiorúmque ab aſtris vicium nuntia. In Zona, quam circumdederat tunicæ, Gratias divinum artificium diſtinxerat. Neque temere vagabantur ab humero capilli, ſimpliciter circumeunte faſcia ex auro. Obſtupeſcebant Dii ad tantæ pulchritudinis ceu tunc primùm viſum miraculum: perſtringebatur attonîtus oculus, non ſecus atque obtundi ſolet acies poſt diuturnas tenebras ſubitò intuentis in ſolem. Aberrabant in mutuos aſpectus, ducente admiratione: ſed & rurſus colligentes ſemet revertebantur ad tantæ voluptatis ſpectaculum. Ceterum animadverſæ manantes lacrimæ, dolórque ingens non occultè in hanc peccare formam.

Interea Venus Iovi leniter appropinquabat levíque motu, qualem in aëre deſcribunt, quæ pollent præpete volatu. Ille amanter intuens venientem, conſurgensque dulci cum riſu, oblato amplexu:

plexu: Quid, gnata, doles? inquit. Movent hæ lacrimæ. Age! animum tuum audactet me doce. Amantiſſimum tuî &, quod nôſti, indulgentem Iovem habes.

Venus ſimul multa vocis ſuavitate, ſimul reſponſum commendans concinnîs gemitibûs: ô! omnium, quæ & ſunt, & aguntur, conſcie Divûm hominúmque Pater! cauſam petis doloris mei? Minerva non contenta fœdiſſimo Troiæ tam illuſtris & meæ excidio, nec paratâ Paridi ob ſpretam formam pœná, in me graſſatur longiùs. Per mare, per terras ſecum trahit Ulyſſis filium, illius, inquam, qui immanem in modum confecit Pergama. Minerva Telemachi comes eſt. Hæc cauſa eius modò ab hoc conſilio abſentiæ. Illa ducente temere ingeſſit ſe in Cyprum meo ludibrio, pertinaciter ſpreta, qua tu me dignaris, potentiâ; recuſatâ aris meis thuris vel tantilla particulá; aperte damnatis celebritatibus, quibus ibidem litant mihi; reiectísque cum contemtu, quibus eum delinitum ibam, illecebris. Fruſtra ad preces meas molitus eſt Neptunus ſceleſto ſupplicium: fruſtra procellas, undarúmque commovit à fundo excitos cumulos. Eiectus in Calypſus inſulam horribili naufragio, extorſit palmam, quem ad labefactandum animum illius miſeram, Cupidini. Non flos ipſe ætatis, non Calypſus Divina profectò ſpecies, non Nympharum etſi feſtiviſſima elegantia pares fuêre Palladiæ aſtutiæ; tantùm abeſt, ut ignes quantumlibet acerrimi Cupidinis exuſſerint frigentem ad univerſa voluptatis incendia. Illa, illa exemit; exemit autem? imò eripuit iuvenem inſulæ & mihi. En contumeliam meam! en

ludi-

ludibrium, genitor! puero palmam cedit Venus.

Solatium afflictu circumſpiciens Iupiter: fateor, inquit, Minervam nati tui arma repuliſſe à Telemacho, gloriámque ipſi maiorem præparare meritô iuventutis. Nec placet, honorem non habuiſſe altaribus tuis. Sed neque me penes eſt, tuo illum arbitrio, poteſtatíque ſubiicere. Permitto tamen (vide, amabò, quid dem tibi) ut porro terra maríque palatus, extra patriam ſit & fortunæ etiam iniquiori obnoxius. Ceterùm ut ſuccumbat vel vindictæ tuæ, vel, quibus captivas humanum genus, illecebris, hæc Dyphtera vetat. Itaque ſolatio tibi, filiæ, ſatíſque ſit, tot alios heroës eſſe, tot cæleſtes, qui imperio tuo obſequuntur.

Inter hæc verba auguſta lenitate arridens Veneri, fulgorem eiaculabatur ex oculis, qualem nubes acriùs colliſæ præmittunt tonitruis. Flexúſque ad imprimendum ei ſuavium, univerſi Nectaris odorem Olympo aſpiravit. Non poterat tam blando Iove Dea non pati, ad teneritudinem ſuum deflecti animum. Apparebat ori aſperſa hilaritas, quamquam dolentis ad fletum. Demiſsô itaque modicè velô ſubtrahebat vultum, ne conſtaret in verecundiam & perturbationem incidiſſe. Ceterùm talia dixiſſe Iovem approbabat præſentium communis & præter modum lætitia. Protinúſque Venus ad Neptunum decurrit de puniendo Telemacho habitura conſilium.

Neptunus, auditis ex Venere, quæ ad illam Iupiter, aliàs conſtabat mihi, inquit, non immutari fata. Demus ab iis prohiberi iuvenis exitium. Ergo ſaltem nihil omittendum, ut infelix & diu peregrinus ſit. Phœnicum navem, qua vehitur,

cùm

cùm in amore mihi ſint, haud patiar mergi. Mea hæc gens, illi maxima Imperio meo incrementa adiiciunt. Illi diſcretas maribûs terras vinculô iunxêre commercii; aliàs cultores mei fideliſſima religione, non fraudulenter quæſtuoſi, non temerè non ſegniter agentes, primíque, per quos gentes anguſtè vivere & egere deſierunt. Mea igitur pace numquam ſubibunt naufragium. Efficiam autem, ut gubernator navis, deerrans itinere, abſtrahatur ab Ithaca, quam rectà petit. His acquieſcens Venus cum maligno riſu præpetem currum, quo utitur, reflectit in Idaliæ prata; reditúmque eius Ioci Riſusque celebrantes cum Gratiis, venienti choreas per iucundam odoratis floribus humum circumdedêre.

Iam Neptunus citra moram ablegabat, aberrationes creaturum, Numen, ſomniis haud abſimile, niſi quòd illa imponant dormientibus, hoc vigilantium circumveniat ſenſus. Mendacia ingenti numero circumſtrepunt, ad exitiabile Numinis ſui imperium parata volatui turba. Tum quidem decipiendi initium à ſubtili & faſcinato ſucco factum, quem Athamantis oculis Numen infudit. Forte is lunam toto lucis apparatu curſúſque ſiderum & Ithacæ littus obſervabat cum cura. Iámque prærupti acceſſus inſulæ ſubibant: cùm totà oculorum fallaciâ cœpit obrui. Aliud cœlum, aliam terram videt. Divertiſſe à ſoliti tenoris curſu opinabatur ſtellas, & rediiſſe, unde moveri cœperant; Olympum etiam à priſtinis ſuis legibus terrâmque à ſe ipſa deflexiſſe. In moræ & erroris auxilium oppoſita ab illo Numine gubernatori inanis Ithacæ ſpecies, dum interim à vera Ithaca magis

magis ac magis aufertur. Sed & ipſa imago ficti littoris inſulæque recedebat, quanto propiùs premebatur à navigantibus; prævertebatque navigii curſum perſeveranter fugitiva, Athamante utique dubio, quid de fugiente hac Ithaca cogitaret. Videbatur ipſi quandoque allabi fremitus, quo impleri portus conſuevêre. Iámque diligenter parabat ſe ad exſequendum, quod datum erat, imperium. Quippe ne Telemachum adveniſſe reſciſcerent coniurati Penelopes proci, ad minorem ab Ithaca inſulam navigium iuſſus erat appellere. Interdum ſcopulorum metu, quibus hæc ora impeditur, credebat ſe audire horribiles mugitus ex fluctibus, hìc plerumque ingenti mole allidentibus ad cautes. Deinde uno eodémque momenti intervallo ſentiebat adhuc diſtare littus. Subitóque hac exiſtente locorum diſtantia altiſſimi montes nubecularum præferebant ſpeciem, quibus, occidente ſole, deſinens in terras Horizon intercipitur. Ergo ſtupere Athamas, immiſſiſque præſtigiîs fictarum imaginum, occupari, ut numquam ante hoc tempus, animô; credere demum ſe nocturno viſo trahi. Hæc dum fiebant Tyriis, à Neptuno otium Euro datur, promovendi ad diverſam Heſperiæ oram navigium. Eo itaque ad imperata incumbente non ſegniter, paulò pôſt decretum à Neptuno portum tetigêre.

Iámque Aurora promicabat in diem, ſtellæque ſolis metu invidiáque ignes ſuos parùm integros inferebant Oceano: cùm Athamas: Quid hæreo, exclamat? Ithaca prope eſt. Eia Telemache! non abiverit hora, cùm videbis Penelopen & forte reſtitutum Ulyſſem ſolio.

Inter

Inter hunc clamorem cohortantis excitatus à graviſſimo ſopore Telemachus ad gubernatorem aſcendit; primíſque nuntiis charum ampleƈtitur, vicinam oram fixis oculis, quantum ſcilicet nondum ſatis exterſus ſomnus permittebat, intuetur. Ut autem vidit, non his littoribus, non his crepidinibus præcingi Ithacam, ſolutus in gemitum: Ah! ubi ſumus? inquit. Non hæc mea Ithaca. Erràſti, Athaman! minùs certè peritus es huius procul à Phœnicibus diſſiti littoris. Excepit in ſermone iuvenem Athamas: næ portentum ſit me falli, hanc primam inſulæ faciem ſi inſpicio. Ut non ſemel intravi hunc portum! ſcopulos venientibus obiicit, ex quibus nec minimum ignoro. Vix patrium portum iſto fideliùs mihi depingit memoria. Vide hunc montem, præaltum, hanc rupem turris altitudine! accipe ſonantes fluƈtus ex afflictu ad alteram rupem. Ut ambæ quaſi lapſum minitantur ſubeunti pelago! en Minervæ templum eduƈtum ad nubes! en arces! & Ulyſſis regiam!

Falleris, amice, Telemachus regerit. Imò oram video, plurimùm & ſine rupium impedimento incubantem mari. Urbem aſpicio; ah! quàm diverſam ab Ithaca. Siccine à Diis mortales ludimur?

Dum hæc cum affeƈtu iuvenis, Athamas deſubitò mutatis oculis & ceſſantibus præſtigiis oram & ipſe ſine errore aſpexit. Itaque certus fraudis: Fateor, Telemache, exclamat, curam meam fefellit inimicum Numen. Putabam me videre Ithacam, obverſante integerrima imagine eius, quæ hoc punƈto temporis veluti noƈturna ſpecies dilabitur. Aliam urbem proſpicimus; ut credo, Sa-

lentum,

lentum, quam ex Creta pulſus Idomeneûs nuper moliri cœpit in Heſperia. Subeunt muri, eminentes in altum, nondum accepta ultima manu. Portum intueor adhuc præcingendum munitionibûs.

Interea dum Athamantem detinet operum cœptæ urbis novitas, vicémque ſuam deplorat Telemachus: factum urgente vento, quem Neptunus invexerat, ut paſſis plenisque velis proximè portum admoverentur vadoſæ crepidini, ſatìs in ſtationem navium tutæ.

Conſtabat Mentori tam Neptuni invidia, quàm Veneris dira calliditas; nihílque movebatur ad Athamantis errorem, excepto leni riſu. Nave in dictum à littore ſubvecta locum: tentaris à Iove, inquit, o Telemache! non deſtinaris exitio. Tentaris autem, ut iter tibi ſternat ad gloriam. Labores Herculis, labores genitoris tui cogita; neque hanc cogitationem umquam depone. Imbellis & vecors eſt, pati qui renuit. Fortunam, cui moleſtiæ tuæ, iucundæ ſunt, patiendô fatiges oportet & agendô fortia. Malim Neptunum iraſci tibi, quàm blandiri in inſula ſua Deam. Quid moramur? quin intramus hunc portum. Amicorum is eſt. Græci nimirum tenent. Idomeneus, quem tam atrociter fortuna afflixit, miſerebitur eorum, quos premit eadem. Tum ſucceſſum eſt ad portum, in quem Phœnicis (gens quippe omnibus amica ob pacis commerciíque fœdus) à Salentinis facile admiſſi.

Hìc inſpicere, admirari Telemachus initia novæ urbis. Sicuti planta, haud ita pridem auſpicata radicem, tractis ex nocturno rore alimentis, acceptóque in rudimentum pulchritudinis matutini ſolis radio, adoleſcit: folli-

eulum

tulum, cui molliter involvitur, explicat: effundit cum vigore folia, odoratum denique florem penitus elicit admirabili varietate colorum, & pro intuendi momentis nitore adaucto: ita Idomenei oppidum efflorefcens ad maritimam oram, adoleſcebat in dies horásque ſingulas cum incremento magnificentiæ; prodigioſáque altitudine oſtentabat procul meantibus in pelago exteris, quæ ex novitate mirarentur ornamenta architectandi ſolertiæ. Strepebat, quantum patuit, littus operarum clamoribûs, malleorúmque ictibus. Grues architecti vocant machinas funibus variè ductis attollentes onera. His appenſa ſaxa trahebantur ſurſum. Ineunte die evocata accenſáque operariorum induſtria ab iis videlicet, qui ſtabant pro opere. Idomeneus, quæcumque volebat fieri, nullo internuntio exponebat ipſe, effecitque auctor præſens, ut mira accuratione, & exquiſito ſtudio procederet incœptum opus.

Ceterùm Cretenſes facta exſcenſione ſtrenuè exſequebantur, quidquid Telemacho & Mentori argumento eſſe poterat, veniſſe ad homines non mediocriter amicos. Properati ad Idomeneum nuntii, adeſſe Ulyſſis filium. Et ille: Ehò! Ulyſſis filium? Ulyſſis, amici mei, oraculi noſtri, Herois, per quem deſtructa Pergama? huc mihi iuvenem! Faxo, intelligat, quàm non ex vulgi more patrem ſuum dilexerim. Itaque protinus eum ſiſtunt regi, pro hoſpitali benignitate ſupplicem & docentem nomen ſuum.

Idomeneus miti & ſolatium præferente vultu: Agnoviſſem te, inquit, puto, etiamſi nomen patriámque tuam mihi non indicâſſent mei. Ipſe hic

 Ulyſſes

Ulyſſes eſt. Sic eius accendebantur, ſic vigebant in impavidum aſpectum oculi. Hi geſtus fuêre, & exterior habitus, cuius primùm moderatio & continentia admirabilem celabat alacritatem animi, ingeniúmque quo nihil amœnius: quin & ipſi riſus ita temperati: hic modus agendi parùm ſollicitus: hæc vox, íta dulcis, ita candida, illabénsque in animos validius, quàm ut moram indulgeret ſuſpendendi aſſenſum ob erroris metum. Es, mehercle! es Ulyſſis filius. Sed & meus eris. Ah fili! mi fili! quis ad hanc te gentem caſus? profectus ad nos es inveſtigandi patris causâ, de quo tamen ego nihil? illum, quàm me fortuna haud iactavit minùs. Infelix ille ob non inventam patriam, ob inventam ego; quippe quam Deorum in me indignatio replevit. Sub has voces in Mentorem intenderat oculum, credebátque eum hominem eſſe, cuius vultum nôſſet, nomen duntaxat reddere non amplius valeret memoria.

Ceterùm Telemachus multo fletu: Ignoſce, rex, inquit, dolori meo, quem continere haudquaquam poſſum, etſi animum ad lætitiam cogere deberet regiæ benevolentiæ celebrandum beneficium. Tuum ipſius deſiderium, quo Ulyſſem proſequeris, docet, quantum dolere ob fruſtra quæſitum genitorem filius debeam. Quæ freta non excuſſi; quæ maria, quas terras, & quam diu, ut invenirem? At per irata Numina carendum eius aſpectu eſt; imò carendum vel nuntiis, qui de naufragio, quod aiunt feciſſe, ſinè errore edoceant; carendum ipsâ denique Ithacâ, ubi ex procorum inſidiis deſideria emergendi miſeram Penelopen conficiunt. In Creta, ubi quam gravia ſuſtinueris, intel-

intellexi, ſperaveram tui me copiam habiturum, credidíſque nefas eſſe itinere meo tentare, in qua condidiſti regnum, Heſperiam. Sed huc ad te extruſit nos fortuna, humanarum rerum arbitra & ne procul non à patria oberrem, pertinax obſtaculum. Ceterùm ex omnibus noxam mihi leviſſimam nocuit, cùm huc perduxit loci. Reiicit à patria; at conſpectu me ſolatur rari inter magnanimos prodigii.

Hæc dicentem vehementiſſimè amplexus Idomeneus ducit in regiam, petens ab eo ſenis, qui comitabatur, nomen. Aliàs, inquit, hunc, puto, hominem, hanc prudentis viri ſpeciem vidi. Docente Telemacho, Mentorem eſſe Ulyſſi amicum, puero ſibi cuſtodem datum, aſſequi ſermone eius in ſe merita non poſſe: Rex protinus flexus propiore veſtigio, Mentori dextram offert, &: Fuit, inquit, cùm invicem vidimus. Potéſne referre animum ad profectionem in Cretam? ſubeuntne, quæ tum mihi ſuadebas utilia? Quæ ego, iuveniliter tunc æſtuans & indulgens ludicris, riſi: At demum magiſtra calamitate addidici, quæ, ut credibilia mihi eſſent, non optavi. Ah utinam admiſiſſem tuum exercitatæ ſenectutis conſilium! Video autem & admiror, poſt tanta tempora te mihi penè eundem reddi, nihílque depoſuiſſe ex priſtino habitu. Adhuc illa oris alacritas, adhuc ille vigor perſeverat. Soli crines declinârunt in canitiem.

Mentor autem: Si rex magne, inquit, auribus conſueviſſem inſervire, ipſe pariter affirmarem, perſeverare adhuc in ore tuo ſpecioſæ iuventutis florem, quo illuſtrabare nondum Phrygibus in-

 fensâ

ſenſâ Græciâ. Sed diſplicere tibi, quàm imponere malim; quamquam ſermones ipſi, quos cordatè profers, videntur odiſſe adulatorum lenocinia, utque non confidentius quàm ſincerius agatur tecum, invitare. Non nullius me hercle operæ fuiſſet te ex vultu cognoſcere, à ſe nunc tantopere diverſo atque immutato; cuius quidem cauſam ærumnas tuas fuiſſe, ſatìs intelligo. Sed fuêre hæ tibi perutiles, quando animum tuum ad ſapientiam inſtituerunt. Facilè tolerandæ ſunt incumbentes ori rugæ, ſi, dum ſenſim illæ ſubeunt, ad ſolidæ virtutis exercitium continenter incumbit animus. Ceterùm corporeæ regum vires præ quàm aliorum mortalium profligantur, utpote quibus, dum premuntur adverſis, curæ, & ægritudines animi, item illa, quæ corpus in laſſitudinem dant, immaturam canitiem accelerant; dum proſpere habent, voluptates, quàm bella, maiorem cladem afferunt. Nihil enim voluptate, quæ modum non tenet, damnoſius. Hæc quippe facit, ut regum, ſeu pace ſeu armis utantur, eius ſint generis tam labores quàm deliciæ, quibus in ætatis ruinam præter naturæ ordinem neceſſe eſt labi. Vita ſobria, moderata, ſimplex, tranquilla, non cupiditatibus, non intemperantiæ obnoxia, & expers otii, viri ſapienti, vigorem iuventutis tuetur, infami temporis inconſtantia alioqui mobiliorem.

Diutius Mentorem auditurus fuiſſet rex, ſermonibus eius mirum in modum affectus; niſi interpellâſſent admonentes de ſacrificio, quod debebat Iovi. Itaque euntem eum ſequebantur advenæ inter cuneos populi, quos utriusque lateri applicuerat

cuerat diligentiùs exteros ſpectantium aviditas. Hi homines, Salentini aiebant, admodum inter ſe differunt. Commendat iuniorem vigor ingens, & mores ſuaves ad miraculum. Oſtentat, quidquid iuventus leporis ac venuſtatis habet. Neque verò declinat ad muliebrem languidamque elegantiam. Hi anni, quantùmvis teneri præ ſe ferunt virilem animum, robúrque in labores etiam diuturnos ſuffecturum. Contrà alteri ætas quamquam longè gravior nihil dempſit de integritate virium. Speciem eius vultúmque minus quidem reverentur primi obtutus, amántque. At fixi è propinquo deprehendunt in eo numeroſam animi probi & ſagacis notam, indolémque admirabilem ab excelſitate. Hercle iſto peregrinantium habitu diſſimulaverunt ſe futuri cum mortalibus Dii.

Ventum eſt interea ad templum. Magnificentiſſimum erat, ex Idomenei religione liberaliter colentis, ad quem genus ſuum referebat, Iovem. Marmoreæ columnæ, Iaſpidis variatæ colore, geminum ordinem intùs circumſcribebant ædi, in argenteum quæque deſinentes caput. Parietibus marmore veſtitis applicabantur imagines dimidiâ eminentiâ, quæ Iovem tauri ſpecie eâque arte referebant raptâ Europâ transmittentem in Cretam, ut videretur undis etiam hoc habitu imperare. Aliæ deinde naſcentem Minoëm imitabantur, adoleſcentem aliæ. Nonnullæ demum exhibebant valentioribûs annîs inſu æ ſuæ leges dantem in perpetuum incrementum felicitatis. His adiuncta viſebantur, quæ obſeſſis Pergamîs ad digniorem poſteritatis memoriam contigêre, Idomeneo egregii laudes ducis inde conſecuto. Inter hæc prælorum re-

rûmque belli geſtarum ſimulacra Telemachus genitorem requirebat. Vidítque hìc Rhœſi tum forte à Diomede interfecti abducentem equos, ibi congregatis univerſis Ducibus cum Aiace ob Achillis arma; aliàs ex fatali equo in Troianas clades proſilientem.

Hæc cùm & frequenti tunc volverentur ſermone, & ipſe Mentor etiam denarràſſet Telemacho: quàm mox in cognitionem genitoris duxêre. Ibat tum videlicet in lacrimas, mutatóque vultu præferebat perturbationis notas; quod cùm Idomeneus adverteret, etſi ad tegendum dolorem aversô Telemachô: Ne erubeſcas, rex inquit, glorià genitoris tui fortunâque etiam apertè & palàm nobis commoveri.

Religioſo domicilio columnæ gemina ſerie deſcriptæ, circumdant ingentis laxitatis porticus. Subter has interea confluens populus ſtipabatur in turmas. Adiuvabant publicam pietatem cantiones quædam, in laudem depromptæ torquentis fulmen. Pueri, puellæque modulabantur diviſi in choros ſui ſexus, atque ad id muneris ob meliorem formam ſelecti. Sparſerant promiſſum in humeros capillum, cui ornamentum roſæ præſtabant, in ſertum textæ, & capitibus odore delibutis impoſitæ; candidæque veſtes erant, quibus ſinguli induebantur. Centum tauri in ſacrificium, adhibiti à rege, propitiante Iovem, ut aſſiſteret bellum molito finitimæ genti. Aureæ argenteæque pateræ erant & depreſſioris alvei, quibus ex victimis ſanguinem excipiebant ſacrificuli, ubique vapores recenti nidore diffundentem.

Erat Theophanes ætate profecta, amicus Deorum,

rum, rei Divinæ in templo præpoſitus. Hic, cùm cædebantur victimæ, caput orâ purpureæ tunicæ velaverat. Tum ad inſpicienda adhuc palpitantia extra progreſſus, ſuper divum tripodem ſedit, protinúsque: Quos huc miſiſtis Dii, quinam hi advenæ? Qui ſi abeſſent, belli noſtri funeſtus ſit exitus, Salenti præſens ruina, priusquam initia ſua extra fundamenta extulerit. Video Heroëm iuvenem. Sapientia ducit manu. Cetera tacere mortalis iubeor.

Hæc vociferantis aſpectum repentina mutaverat feritas. Emicabant ſcintillis oculi, viſi ad alia, atque præſto tum erant, pertingere. Afflabatur imodico æſtu facies: percitum & alienatum à ſe exaſperabant horrentes capilli, os ſpumans, proiecta in altum & in rigorem lapſa brachia, vox ultra humanam intenſa. Concitabatur ad anhelitum, impulſus interiori numine, quod continere ſinu non valebat.

Porro vociferatus: Felix Idomeneu, exclamat, quid video! quanta averſa diſcrimina! quàm iucunda pax domi! quæ foris pugnæ! quæ victoriæ! Gemit, o Telemache! reſupina in pulveres hoſtilis ferocia impendente ferro tuo. Corruunt ad pedes tuos æratæ portæ, vallâque non admittentia humanum veſtigium. O Magna Diva, cuius Pater -- -- viſurus es, o iuvenis -- -- Sic cœptam ſententiam incidit inſolitus ſtupor; viſúsque Theophanes tacere invitus.

Rigebat pavore univerſa concio. Idomeneus concuſſus metu non audebat monere, ut ſacra verba vates abſolveret. Ipſe Telemachus motus rei inſolentiâ, vix poterat aut intelligere quæ audierat,

 aut

aut credere ſe audiſſe ex oraculo tam ſublimes ſortes. Mentor unus ad Divinas voces intrepidus: Quid placeat Diis, rex (inquit) intelligis. Vinces, quæcunque gens inimica ſit tibi; & per filium vinces amici tui. Fac, iſtud tibi dolori ne ſit. In rem tuam converte, per eum quod præſtant Dii.

Nondum Idomeneus ex conſternatione receperat animum; unde obtorpente lingua, fruſtra conabatur voluntatem reſpondendi verbô ſequi. Contra Ithacus ex leviore perturbatione promptior Mentori reſpondit: Gloriam, quam inſignem mihi cœlum parat, non reſpicio. At quid verbum ultimum: Viſurus es? -- Patrémne meum, an ſolam Ithaocam? ah qud ſermonis curſum intercepit ſilentium? Ita roboratur, quæ animum ſuſpendit hæſitatio. Ulyſſes! Genitor! tu ſis utinam, quem ego viſurus ſum! & utinam hoc voto, quæ futura ſunt, velim! at blandior inutiliter affectui meo. Scilicet infelicem ludis, crudele oraculum, quem adiecta vocula in fortunæ poſuiſſet ſinu.

Increpabat hæc lamenta comes. Venerare, inquit, quæ tibi revelarunt Dii. Cetera, quæ condunt, cave velis perſcrutari. Meretur, ſine conſilio curioſitas, in ruborem dari. Sapientiſſima pietas eſt Deorum, quòd mortalium fata premant tenebris, ex quibus nequeunt humano ingenio trahi. Utile eſt prævidere, quæ in noſtra ſunt poteſtate, ut ritè fiant & cum conſilio. Sed neque minus utile eſt neſcire noſtris ſuperiora viribus, & quæ de nobis omnipotentis Dyphtera decrevit.

Hæ Mentoris voces, auditæ cum aſſenſu, tamen ægrè querelas Telemachi compeſcuêre. Ceterùm

diſcuſ-

diſcuſſo pavore Idomeneus pro ſe laudes Iovis exordiebatur, qui Telemachum iuvenem, qui ſapientiſſimum Mentorem ad obterendos hoſtes ſuos miſiſſet. Igitur poſt rem Divinam exornatô lautiſſimo conviviô, verſôque ſermone ad utrumque hoſpitem:

Fateor, cùm in Cretam everſâ Troiâ reverterer, regnandi præcepta me nondum calluiſſe. Ex tantæ imperio inſulæ quæ ſors me deiecerit, ignorare, amici, non poteſtis; quippe qui poſt meam fugam aſſeveraſtis vos contendiſſe in Cretam. Non tamen nihil fortunæ debeo, quòd portentoſa viciſſitudine erudierit incautum ad diſciplinam prudentiæ. Tranſmittebam maria fugitivorum ritu, qui Deorum hominúmque odiis perurgentur: ídque demum impertiebatur mihi priſtinæ dignitatis univerſus apparatus, ut ludibria vicis meæ moleſtiáſque augeret. Fugam denique meam excepit hæc ſquallens ora, ubi Penates meos ſupplex expoſui. Vacua erat agreſtíque cultu, ſepta, obductáque dumetis & vepribus. Horrebant ſylveſtria, ipſi telluri non inferiora feniô, Montoſa præter ferarum ægrè patiebantur veſtigium. Eò res meæ devenerant, ut gratulari mihi debuerim, hæc inculta ſupereſſe terrarum, quæ obtinere cum exigua militum manu comitúmque fuga poſſem, & habere ſecundam patriam. Quippe deinceps ſperare non audebam aſpectum beatæ inſulæ, cuius in imperium Dii hanc mihi animam dederant. Miſeram, aiebam mecum, Cataſtrophen! næ ego tragicum regibus exemplum. Dignus mehercle ſum, in quem omnes intueantur, qui regnant, ſceptro ut ſapiant. Perſuadent ſcilicet ſibi, non exiſtente, cui

pareant, non eſſe, quod metuant; cùm tamen ipſum hoc ſit, ob quod nihil metuere non debeant. Ecce! ego hoſtibus formidini, ſubditis charus fui. Dominabar genti non deſtitutæ viribus, non pugnandi, opus ſi erat, deſiderio. Idomenei nomen remotiſſimi populi cum admiratione acceperant. Florebat ager imperii mei ad ſubſidium non vitæ modò ſed etiam iucunditatis. Ærario urbes centum inferebant cenſus, ex facultate æſtimatos opum. Salutabar Iovis nepos populis, in ſua ipſorum patria, Creta, geniti; creſcebátque erga me populorum communis amor, quòd Minoëm habebam avum, quippe cuius legibus, quantum vigent valéntque ipſi, debent. Ecquid tum deerat felicitati meæ, niſi eâ moderatè utendi prudentia? Sed faſtu, ſed aſſentationibus, quas amabam, excidi ſoliô. Et verò vapulabit hac ſorte, quisquis cupiditatibus animum & adulationi rex dederit. Ceterùm de die numquam vultum demiſi in triſtitiam, ſed lætus ſimulata fiducia, quo minùs frangerentur meorum animi: Agite, inquiebam, ædificemus urbem, rerum omnium, quas amiſimus, futuram ſolatium. Exempla, qui circùm nos iacent, populorum commendant, quod decrevi cum animo. Videmus Tarentum in proximo, cui Phalantes cum Lacedæmoniis ſuis novum hoc regnum adiecit. Petiliam amplam urbem Philoctetes huic eidem oræ impoſuit. Metapontidem quoque coloniam non ignoratis. Pigriores ergo erimus his & advenis & ritu ſortis noſtræ palantibus? non iniquior, non pertinacior nos fortuna premit.

Hoc remedium ſociorum dolori adhibebam, dum occultum & peſtiferum vulnus dolebam ſæ-

vire

vire in animo. Solatio mihi erat, diſcuſſa cœlo luce umbris liberiùs poſſe calamitoſos gemitus impertiri. Somnum ex oculis non guttæ, ſed duo imbres diluebant lacrimarum. Nihilominus novum ſemper ardorem poſtridie afferebam ad cœptum opus. Vides iam, Mentor, quid mihi in hac ora tam triſte induxerit ſenium.

Expoſitis, quæ ſibi acciderant mala, Idomeneus hoſpites rogat præſentis belli auxilium; utique, (quod adpromittebat rex) finitô eô, reducendos in Ithacam. Interea mittam, inquit, in disiunctiſſimas oras, qui certiora de Ulyſſe colligant. Quocunque locorum, quos novimus, vel mare eum eiecerit vel irati Dii, potero rex ſequi, ut referam. Atque utinam adhuc ſuperſtes ſit! vos verò optimis navium, quas umquam Cretes condidêre, referri curabo in patriam, iîs videlicet, quibus materia adhibita, quam illuſtris ex Iovis partu Ida protulit, ruinæ ex undis & putredini reſiſtentem. Sacra eſt à naſcentis religione & tam procellis quam ſcopulis formidini ac reverentiæ. Furat Neptunus, æſtuet; at numquam audebit in ea ligna concitatos fluctus immittere. Quamobrem vos ſecuros velim, penitúſque certos, ſine diſcrimine, ſine moleſtia reverſuros in Ithacam, neminémque ex cœleſtibus fore, qui in priſtinos pelagi errores vos queat coniicere. Et brevis & facilis eô hinc curſus eſt. Remiſſa Phœnicum nave, quæ vos in ora noſtra expoſuit; id unum nunc agite, ut quod paulo ante ego ſum auſpicatus imperium, ultimam à vobis accipiat manum. Sic multiplicis calamitatis meæ ſeriem aliena, amicorum tamen, manus finiet: ſic te dignum Ulyſſe filium ſuſpiciemus,

ciemus, Telemache; quem etſi iam in Stygem inclemens fatum, tranſmiſerit, in te amans tui Græcia ſibi credet reſtitutum.

Hæc loquentem intercipiens Telemachus: Ita verò remittemus navem cum Phœnicibus. Quid moramur ſumptis armis procedere in hoſtes tuos? tuos autem? imò nunc etiam noſtros. Aceſten Troianum, & infenſum Græciæ victorem effecimus in Sicilia. Ergóne plus nec præſtabimus nec iuvabimur à Diis pugnantes pro illo ex Heroibus Græciæ, quorum manu data in ruinam Priami iniqua mœnia? utrumque nobis ſpopondit, quod audivimus, oraculum.

TELEMACHUS.

LIBER X.

IAm liberiori pugnæ impetu Telemachus exarſerat. At Mentor non acri, non perturbato vultu in eum intuens: Deſiderio gloriæ, inquit, quo cum laude impelleris, multùm delector. Memineris tamen, parentem non niſi ob ingenii conſiliorumque diviniorem præſtantiam ante alios ad Troiam claruiſſe. Achilles quamquam non vinci, non vulnerari potuit, imò nec dubitare, ſe terrorem mortémque illaturum, quibus & ubi feciſſet bellum; expugnare Troiam non valuit. Quid? quod ad murorum eius partem infimam cecidit; ipſúmque Hectorem nobilitatum tot victoriis non excepit vivendi melior finis. Contra Ulyſſes, cuius fortitudinem moderabatur ratio, igne obarmatus ferróque penetravit ſe in medios

cuneos

cuneos Troianorum: evertit turres illas excelſas, magnificas, univerſæque Græciæ, in excidium eius urbis coniuratæ, per decem ipſos annos formidoloſas. Præſtat virtus cum conſilio, ardore & impetu ferocem animum, quantum Pallas bellorum Præſidem Deum. Itaque diſcamus inprimis & maximè rationes modóſque belli, quod erit gerendum, & quæ præterea cum eo coniunguntur. Diſcrimen detrecto nullum. Refert tamen, o rex, priùs ex te cognoſcere, iuſtúmne bellum, deinde quocum hoſte geras, & quibus denique viribus, num ſuffecturis in proſperum eventum?

Tum rex: Barbara natio fuit, in quam primò incidimus huc appulſi. Diſperſa per ſylvas victitabat venatu iisque, quæ arbores ſponte enituntur in obſonium. Mandurios vocant. Adventu noſtro armíſque conſpectis in montes profugerant territi. At, quem ſub ſignis habebam, miles deſiderio tum regionis numquam antehac viſæ, tum conſequendi ſylveſtrem prædam longiùs progreſſus à littore, in fugitivos incidit. Ex quibus præcipui: Maritimas terras, inquiunt, tam idoneas humano cultui huc divertentibus vobis reliquimus, adornatâ in montes propemodum invios fugâ. Hoc unum ſupereſt fugientibus receptaculum. Rem facietis ſanè iniquam, ſi vel hic otio & libertati noſtræ graves eritis. Vagabundi eſtis (idquod aſpicimus) incerti locorum, diſperſi, & numero nobis inferiores. Vita veſtra in manibus noſtris ſita eſt, ita eripienda, ſi libet, ut ne nuntius quidem cladis ad veſtros poſſet venire ſocios. Verùm abſit hoc malum, ut cædamus naturæ noſtræ participes. Recedite potiùs, memores imprimis, vos per humani-

uanitatem noſtram miſericordiámque vivere, deinde, hanc moderationis & magnanimitatis legem ex populo, quem immanem & barbarum vocatis, didiciſſe.

Hunc in modum à barbaris dimiſſi noſtrates in caſtra revertuntur, nuntiantes, quæ accidiſſent ſibi. Haud leviter rem ferebant armati, indignum æſtimantes, Cretas vitam debere fugitivis non hominibus, ſed hominum monſtris. Igitur variis inſtructi armis ſylvas repetunt, quàm antea longe frequentiores; protinúsque repertum hoſtem nec ſegni nec incruenta dimicatione invadunt; tela utrinque effuſa grandinis in modum: In prærupta montium reiecti barbari, quò fugientes ſequi noſtris temerarium viſum.

Haud multò poſt mittuntur ad me duo ex ſenioribus gentis eius, conſiliô maximè valentibus, petentes pacem. Pelles ferarum, quas ipſi percutiunt, ferebant dono, frugéſque, quibus incolam alit regio. His mihi traditis ſequentem orationem habuerunt:

Altera manu gladium, altera oleam, rex, præferre nos vides (habebant autem utrumque.) Et pacem & bellum offerimus. Quod placet, elige. Utinam illam velis! pacis causâ turpe non putavimus, tibi concedere, quæ iucundè accumbunt mari, quæque idoneo calore ſolis ad fertilitatem & copiosè gignenda grati ſaporis alimenta præparantur. Omni ſcilicet alimento gratior pax; cuius amore receſſimus in edita montium, nuda vernîs, nudáque autumni deliciîs, utpote quas gelu rigens humus, æternæque nives non admittunt. Execramur inhumanam illam amentiam, quæ

præ-

præclaro conquirendæ gloriæ famæque titulo ſtolidè in regni, ſtolidiùs graſſatur in homines, ex communi natura utique conſanguineos. Quòdſi & te inutilis hæc atque inſana cupido famæ tangit, non dolemus; ſed miſeremur duntaxat tui, obteſtantes Deos, ne noſtros in animos hanc peſtem transfundant. Ceterùm ſi ad tantum nefas aut ſtudia vos erudiunt litterarum, in quibus anxiè verſatur Græcia, aut induſtria morum civilium, ex quibus aucupamini laudem: profectò gentem noſtram his rebus tam utilibus carere utiliſſimum ducimus. Expediet ad honeſtatem nobis eſſe indoctis & barbaris, iuſtis tamen humaníſque & ab aviditate proprii commodi, perfidiâque alienis. Expediet nobis illos æmulari, quibus pauca ſufficiunt, quíſque vaniſſimam & multorum indigam mollitiem rident. Cordi nobis ſunt præter integritatem valetudinis, ſobrietas & libertas, corporis animíque firmitas; virtutis ſtudium, Religio in Deos; in propinquos benevolentia, continentia in proſperis, robur in adverſis; fides in univerſos; veri ſtabilis & intrepida profeſſio; animus denique ab adulationibus ſemper immunis. Vides iam mores earum gentium, quæ tuam per nos amicitiam ambiunt. Quodſi adeò te oderunt Dii, ut pacem recuſes cæcô conſiliô: Agnoſces ſerò nimis, qui ſanæ humanæque rationis ductu ſe dederunt paci, eos laceſſitos bellô præ ceteris fore terribiles.

Hæc ſenum ad me oratio; inter quam non potui, quin utriusque oratoris facies fixis oculis contemplarer. Barba illís promiſſa & neglecta; hac ſuccinctiorem comam gravior ætas aſperſerat. Denſa ſuper-

ſupercilia imminebant perſpicacibus oculis. Non pavidi obtutus aut geſtus: vox gravis, & virilis ex ſono: agendi ratio ingenua & ſine dolo. Tegebantur pellibus, ſuper humeros, quibus incubabant, adſtrictis & occultantibus lacertos brachiáque, illis athletarum magis valida ac in certamen fideliora. Ceterùm reſponſum reddidi, me pacem velle. Fide pluribus conditionibus invocatísque Diis firmata cum donis remittuntur ad ſuos. At nondum Deorum odia, quibus paterno ſpoliatus ſum regno, abſolveram. Venatores noſtri famam nunc ſancitæ pacis adhuc ignorantes per tempus, obviam barbarorum multitudinem, legatos ſuos è caſtris noſtris regreſſos comitantium, cum furore aggreſſi, cæſa illorum parte, ceteros in fugam averſos perſequuntur ad nemus. Hæc cauſa inſtaurati belli. Credúntque barbari nos nec bona fide iurare, nec promittere.

Maiores copias inducturi in nos, Locrenſes Apulósque vocant auxilio præter Lucanos, quique Crotonam, Neritum & Brunduſium colunt. Lucani adducunt currus falcibus perquam acutis armatos. Ex Apulis feræ, quam ſtravit, exuvias quisque induitur, clavámque geſtat duratam crebris nodis præfixámque radiis ex ferro. Corpora gigantum magnitudine, adeóque firmata exercitiis, quibus aſſuevêre, ut ſolo aſpectu faciant metum. Locrenſibus origo ex Græcia. Nondum in exteriores mores penitus lapſi, mitiora ceteris habent ingenia, invicti ſanè, poſtquam militari maiorum diſciplinæ exterorum robur vitæque aſperioris conſuetudinem adiunxerunt. Leviora ſcuta texunt viminibus, inductáque coriô obiiciunt telis. Præ-

longi

longi gladii hærent. Brutiîs concitatiori curſu non cervi non damæ aguntur. Crederes, eorum pedibûs nec molliſſima gramina premi. Veſtigia certè ab illis vix accipit ſabulum. Celerrimo impetu invectos in hoſtem videas non minori celeritate ſubduci ex oculis. Crotona idoneos iaciendis ſagittis mittit. Arcus, etiam uſu vulgati, adeò reſiſtunt flectentibus, ut à nemine Græcorum ex vulgo parari ad iactum queant. Capient præmia, ſi quando ſe ad ludos noſtros comparabunt. Tela lethali venenô illinunt ex herbis, quas ad Averni ripam legi fama ſparſit. Neritios verò, Brundiſios Meſſapiósque quod attinet, ſolo robore corporis, rudíque virtute animi valent. Conſpecto hoſte horribiles clamores edunt. E funda non aptiùs quàm denſiùs excuſſis lapidibus cœli ſerena violant; ceterùm ſine ordine prælium inire ſoliti. Atque hæc ſunt, chariſſime hoſpes, quæ cupiebas cognoſcere. Inde habes, quare & cuiusmodi cum hominibus nobis belli diſſidium.

His relatis à rege impatiens moræ Telemachus iam imminebat pugnæ, nihil præter arma ratus deſiderari. At Mentor occurrens intempeſtivo ardori: Cur Locrenſes, inquit, quamquam oriundi ex Græcia, cum barbaris adversùm te, o rex, coivêre in fœdus? cur tot nationes aliunde advectæ hanc oram amicam ſibi, tu inimicam habes? Nondum omnia Deorum odia te cauſaris abſolviſſe. Ego vero ſic exiſtimo, multum ſupereſſe, quod de Deorum inſtitutis diligentior diſcipulus abſolvas. Tot caſuum, quibus es perfunctus, magiſteriô, ecce! nondum occupare ſeu prævertere bella didiciſti. Retineri ab armis barbaros potuiſſe ex iis, quæ tu

de ipſorum candore & fide, ſatis ſupérque intelligo. Sed exitioſiſſimorum tumultuum mater inſolentia. Obſides dare & ab iis accipere potuiſſes. Exigui negotii fuiſſet addere abeuntibus ex Præfectis tuis, qui redeuntium ſecuritati præſentia ſua proſpicerent. Quin renovato quamquam bello fieri poterat, ut mitigarentur irati, docendo videlicet, laceſſitos duntaxat fuiſſe ab ignorantibus, quæ modò utrimque veniſſent in pactum. Offerendum præterea fuiſſet, quidquid in ſecuritatis poſtulâſſent pignus, pœnáque ſancienda in eos, qui violaſſent fœdus. Quænam autem ſubſecuta ſunt hactenus ipſum belli initium? Et rex:

Poſtquam omnem ætatem armis idoneam cum feſtinatione conſcripſerant, finitimóſque ad auxilium, quin odium etiam noſtrî concitârant: dedecori mihi credebam fore, oleam opponere armatæ barbariæ. Tutiſſimum ex præſentibus viſum, continuò itinera quædam & anguſtias montium levius cuſtoditas occupare. Facilè obtinuimus; inde futuri deinceps hiſce adverſariis perdomandis omnino pares. Turres quippe ibidem à nobis poſitæ, unde noſtra è montibus invaſuri telis poſſunt obrui, contrà terræ eorum ſedéſque præcipuæ excurſionibus & populationibus noſtris infeſtari pro libitu. Ita arduum nobis haud eſt, innumerabiles copias adverſariorum repellere longè minori manu. Ceterum adeò crevit difficultas reparandæ pacis; ut nihil in ea adhuc ſit poſitum operæ. Turres, quas excitavi, munimenta libertatis noſtræ deſerere nobis haud licet, niſi volentibus exponi periculo æternarum incurſionum; illis autem eædem clauſtra futuræ ſuæ ſervitutis videntur.

Ad hæc reſponſum à Mentore: Sapiens es, Idomeneu, ideóque cupidus nudæ ac ſimpliciſſimæ veritatis, neque ex illo anguſtarum mentium numero, quæ & verum timent cognoſcere, & ea, quibus depravantur, non audent corrigere; ac propterea omni auctoritate ſua, potentiáque in patrocinium delictorum ſuorum abutuntur. Itaque aſſero, gentem hanc, miſsis, qui peterent pacem, tibi præclaro & admirabili documento extitiſſe. Quid enim? num aut non potuit, aut timuit aut noluit te à cervicibus ſuis depellere? At bellicoſa eſt & finitimorum præpotenti multiplicíque auxilio valida natio. Quin exempla imitaris tantæ lenitatis & moderationis? Scilicet falſa dedecoris opinio, & ſpecies quædam inanis gloriæ cauſa totius eſt, in quo verſaris, periculi. Timebas, ne æquo inſolentiorem hoſtem facias; at non timuiſti, ne redderes validiorem: cùm inſolentiâ tuâ ſit factum, ut tot gentium & inimicum tibi ſanciretur fœdus. Illæ verò turres, quas tanto laudas opere, quid niſi neceſſitatem afferunt àccolis exitium aut patiendi, aut, ut ne ſerviant, inferendi tibi? Excitâſti eas, ne pericliteris; atqui inde ipſum tantum tui periculi. Regnorum tutiſſima propugnacula & munimenta ſunt iuſtitia, lenitas, fides, certáque finitimorum fiducia, ſe extra diſcrimen vicinæ ſervitutis verſari. Fortiſſima mœnia obnoxia caſibus. Bellorum fortuna pervicax & inconſtans eſt. At ſi charus affinibus ſis, ſi dignus, in quo confidant (eris autem comperta lenitate tua induſtriâque colendæ pacis) numquam inferior bello, rarò in armis futurus es, amicitiâ propinquorum fiduciáque unico videlicet exiſtente belli

& propulſandi & antevertendi remedio. Eſto etiam, te per nefas laceſſi à proximo. Tum ſanè finitimi omnes, ùt quorum intereſt ſervari tua, ſine mora conſurgent in æmulum. Tot igitur populis, quibus incolumitas tua intelligitur prodeſſe, proficiſcentibus tibi ſuppetias, plus certè valuiſſes, quàm extructis propugnaculis, quæ nullum porrò remedium vulneri ſortis tuæ relinquunt. Profectò niſi cunctatus fuiſſes te liberare naſcente propinquorum invidia, adoleſceret inter beatas oleas, quam exorſus es, regia; tûte ipſe diſceptantis Heſperiæ ſuſpicereris arbiter. Verùm agamus iam aliud, & maximè, ecqua præteritis dehinc adhibenda remedia? Diverſas Græcorum colonias in hac ora eſſe memorâſti ſub ſermonis initium. Ab his petenda auxilia. Nondum apud eas exolevit Minois ab Iove geniti illuſtre nomen, nondum etiam tua ipſius merita; qui bono totius Græciæ ad Troiam, inſignem noſtros Heroës inter navâſti operam. Quin hos ſaltem populos adiungis tibi?

Hìc docere rex illis omnibus fixum nullius in partes concedere. Quamquam enim (inquit) me non oderunt penitus: at ſplendore ipſo, quem vel incunabula urbis meæ oſtentabant, movebantur; veritíque aliarum, quæ circumiacent, nationum exemplô, ne inſidiaremur libertati ſuæ, exiſtimabant, ſubactîs, qui montes colunt, ambitionem noſtram graſſaturam latiùs. Paucis habe. Nemo quiſpiam amicus mihi. Quid? quòd & vires meas optant minui, quorum nondum apertas inimicitias ſubivi, ne unum quidem ſocium partibus meis indulgente invidia.

Næ iſthæc (Mentor interponit) rerum tuarum deter-

deterrima conditio? Vires conſumis, ut videâre magnîs viribûs; dúmque terribilem te exteris & exoſum facis, providendô iuſtum tanto bello apparatum, domi in egeſtatem te coniicis. Infelicem ſanè, iterûmque infelicem te, qui iſtîs malîs altero tanto ſapere debueras! Ergóne alius caſus errórque adhuc permittendus à Superis, ut ad prævidenda, quæ ſummis regibus minantur, mala te erudiant? At rem mihi permitte: & quænam Græcorum coloniæ ſocietatem tuam aſpernentur, diligenter expone.

Primam ex iis mentionem, inquiebat rex, Tarentum meretur. Triennium eſt, cùm cœpit à Phalante. Hic ex Laconia contraxerat ingentem multitudinem iuvenum, quos ex alieno toro matres conceperant. Redeuntibûs ex bello maritis haud alia cura illarum fuit, quàm negandô propulſare ſuſpicionem flagitii. Neque ſanè pauci fuêre, quorum legitimi natales deſiderabantur; ad indomitam morum licentiam ipſa ignoratione genitorum provecti. Ceterùm à legum ſeveritate frenum adhuc erat impotenti libidini. Quod cùm ferre non potuiſſent, ſecuti Phalantem, hominem intrepidè temerarium, atque ambitioſum, callidúmque ad trahendos animos, occupata hac ora Tarentum Lacedæmoni ſubſtituerunt. Petilia haud procul eſt in diverſo littore, diſciplinâ, non viribûs melior Tarentô. Mœnibus Philoctetes cinxit, præclarum nomen allatîs Alcidæ ſagittîs conſecutus ad Troiam. Metapontidem denique finibus noſtris ſapientiſſimus Neſtor appoſuit ſuorum ex Pylo adiutus manu.

Ergóne, hoſpes loquenti iniiciebat, Neſtorem

in Heſperia, non item in partibus tuis habes? Neſtorem, qui à multis fortiter geſtis in Phrygia Heroëm probavit te, legitque in amicum ſibi? Atqui hanc amicitiam, rex inquit, ſuſtulêre callidæ hominum ſolo nomine barbarorum induſtriæ. Eò certè adduxêre prudentiſſimum virum, ut crederet me captare Heſperiæ tyrannidem. At liberemus eum hoc errore, Mentor reponit. Neſtorem Telemachus vidit ante deductam huc terrarum coloniam magnâque ob Ulyſſem patrem itinera. Tenebitur adhuc memoriâ tanti viri, quâmque filium eius amanter exceperit. Eſt autem caput apud eum agendæ rei, ſuſpicionem abolere, quæ ab adverſariis tuis iniecta ipſi eſt. Excitaſti paſſim ſuſpicionem, alienam libertatem dolere tibi. Hæc fax præſentis belli, qua extincta iſtud refrigeſcet. Sic iterum habe: rem mihi permitte.

Ita diſſerentis collo rex affudit ſeſe magnitudine interioris ſolatii, quod voci quoque attulit moram. Cum conatu tandem expeditâ linguâ: O venerabilem, inquit, & cœleſti ſapientia canitiem, miſſam à bonis Superis, ut emendet, quidquid perperam à me hucusque geſtum! Fateor: odiſſem in alio, qua tu uteris, dicendi licentiam. Sed & iſtud pronuntio, tuum unius conſilium poſſe ad petendas pacis conditiones inducere hunc animum. Statueram aut perire, aut quidquid uspiam hoſtium, vincere. Sed æquum eſt prudentiæ tuæ obſequi, non cupiditati meæ. Felix Telemache, qui vel nunquam vel Idomeneô certè levius delinques tantæ ſapientiæ diſcipulus. Fac, ſenex optime, fac pro imperio. In te par Minervæ facultas ſuadendi ſalubria. I, promitte, & vel per iacturam omni-

omnium, quæ poſſideo, paciſcere. Placebit Idomeneo, quidquid videbitur tibi.

Hos ultro citròque ſermones multiplex ex improviſo tumultus rupit. Exaudiebantur fragores curruum, hinnitus equorum; fremitus non tam clamantis quàm fœdum in modum vociferantis multitudinis, clangórque tubarum ipſa ſonitûs ad ſtridoris ſimilitudinem præfracti aſperitate concitantium militares impetus. Publicæ voces nuntiabant adeſſe hoſtem: multis ambagibûs collocata in viarum anguſtiis præſidia fefelliſſe: oppugnatum venire Salentum. Viri ætate graves feminæque pavere & trepidare inter gemitus viſi: Ergóne relinquenda erat dilecta patria, tam fertilis tam beata Creta, quærendúmque cum infelice rege per tot maria exilium, ut hìc coniungeremus domicilia, ah! Troiæ finem habitura? Perſtringebantur fulgore oculi è recentibus muris proſpicientium in latè circumiectos agros, galeis, loricis, ſcutíſque exceptos à ſole radios iacientibus in transverſum. Horreſcebat ſolum eminentibus ſariſſis haud aliter, atque æſtivîs caloribûs per circumfuſum Ennæ muris agrum in Sicilia denſos ariſtarum ordines iuſto agreſtis operæ præmio Ceres conſuevit diſponere. Iam curribus appenſæ falces notabantur, multum nocituræ ex acie. Neque difficile erat nationum internoſcere diſcrimen, ex quibus conflabatur hoſtilis exercitus.

Mentor, ut inimicum agmen meliùs proſpiceret, conſcendit in editam turrim, proximè ſequentibus rege & Telemacho; ſtatimque coniectîs oculîs Philoctetem, alibi Neſtorem cum Piſiſtrate filio aſpexit. Extrema ætate Neſtorem facile diſtingue-

ſtinguebat ab omni exercitu. Itaque viſo eo, Idomeneum inclamans: Eho! Philoctetem & Neſtorem tibi quidem nihil nocituros, ſed nec hoſtibus credideras futuros auxilio? Ecce ſumptis armis nocituros tibi! Et alteræ illæ copiæ, ſervatis ordinibus, ſuſpenſóque ſubeuntes gradu Laconum, puto, ſunt, & Phalante duce. Nemo quiſpiam amicus tibi, hoſtes habes, quot hæc ora accolas, à te ipſo quamquam non ſciente irritatos.

Inter hæc verba Mentor confeſtim relicta turri contendit ad portam civitatis obverſam regioni, qua veniebat hoſtis, iuſsítque ea recluſa ſibi viam dari, Idomeneo imperatoriam Mentoris in agendo conſtantiam vehementer obſtupeſcente, nec rationem eius, quod acturus erat, auſo percontari. At ille ſigno dato, ne quis ipſum ſequeretur; obviam procedit hoſti; mirantíque hominem unum non vereri tantis occurrere copiis, eminus oſtensâ oleâ ſignificat pacis venire internuntium. Ubi exaudiri potuit, convocari rogabat principes exercitûs. Quo facto hunc in modum alloquebatur univerſos.

Non ignoro, Viri, ex florentiſſimis Heſperiæ nationibus congregati, vos ad communem libertatem defendendam huc duntaxat conveniſſe. Laudo hoc etiam armatum propoſitum. At ſinite, quæſo, qua ratione & libertas & honor veſtrarum gentium incolumis eſſe etiam ſine clade valeat, audientibus vobis exponam.

Quis ignorat, Troianæ expeditionis oraculum, Neſtor (quem inter omnes intueor!) quis ignorat, inquam, quanta incommoda, quanta diſcrimina bellum vel ipſis afferat, qui iuſte & auſpicibus Diis capeſ-

capeſſunt arma? ex iis flagellis, quibus humanum genus caſtigant Superi, acerbiſſimum bellum eſt. Et univerſam quidem Græciam quantum decennalis expeditio attriverit, ſemper tuæ inhærebit triſti memoriæ. Quæ, Superi! inter duces diſſenſio! quæ impotentis fortunæ ludibria! quæ clades ab Hectore! quæ civitatum omnium etiam validiſſimarum calamitas ex diuturna regum ſuorum abſentia! adornato autem reditu alios ad Capharea hauſit naufragium, alios inter amplexus coniugum ſponſarumque occuparunt fata: ut in Troiam nos armâſſe videatur Deorum indignatio. Quos ego quidem nunc precor, ne armis veſtris renovare velint tam funeſtam victoriam. Equidem iacet Troia cineribus ſepulta ſuis. At enim multo magis valeret nunc Græcia, ſi adhuc urbs illa ſtaret, Helenâmque arderet ſuam impurus Paris. Tu verò, diuturnum fortunæ ludibrium & in Lemno exul Philoctetes, æqualis belli æqualem prioribus ærumnis tuis non times exitum? Sed & Lacônes mala ſcio ſenſiſſe longioris moræ, quæ Principes, duces & bellatores noſtros tenebat in Phrygia. Et quicumque demum in Heſperiam veniſtis Græci! alia atque alia perpeſſi eſtis, molientes huc tranſitum. Atqui Troiani belli hi erant effectus & triſtes reliquiæ.

Poſt hæc verba Mentor appropinquabat Pyliis, quem quia Neſtor iam agnoverat, & ipſe procedens ſalutatum: Recreat me, inquit, aſpectus tuus. Diu eſt, cum in Phocide te primò vidi, tria haud amplius numerantem luſtra. Ego verò ex ore tuo iam tum legebam notas caneſcentis, quám poſtea es aſſecutus, prudentiæ. Atat! quis te huc caſus?

ecqua ratio finiendi belli, quod Idomeneus obtruſit nolentibus? pacis tam unicum nobis quàm magnum deſiderium. Noſtrâ cuiusque magnopere intererat nec laceſſere nec laceſſi. At mala fide cum proximis paciſcente Idomeneo, vacillabat noſtra ſecuritas. Inita cum eo pax ab armis quietem haud afferret nobis, ſed fœderi, quo iungimur, aræ ſcilicet libertatis noſtræ, ruinam. Gens nulla eſt, quam is celare voluerit ambitionis propoſitum, univerſa deſtinantis tyrannidi ſuæ. Serviendum itaque erat nobis, niſi curæ fuiſſet, regnum eius prius, quàm adoleſcat, evertere. Perfidus eſt, cúmque aut cædere cogimur, aut pati dominum. Quodſi tu poſſis quo modo efficere, ut nec dubiè, nec ſuo unius emolumento paciſcatur, arma non inviti præſentes exercitus ponent. Nobis verò volupe erit primas ſapientiæ tuæ concedere.

Neſtori reſponſum ab internuncio: Ulyſſes (id quod non ignoras) filium mihi tradidit inſtituendum. Isque ut cognoſceret, quæ accidiſſent patri, urgente deſiderio Pylon pervenit, tibíque præſto fuit. Excepiſti illum cum cura cultúque, qualem ab genitoris licebat amico ſperare; filii etiam tui ſocietate ornâſti. Inde magnis pelago itineribus acceſſit Siculos: in Ægyptum & Cyprum ſorte venit: Cretam tenuit. Iámque repetebat Ithacam: cùm vento, aut Divino potius Numine ad hanc deerravit oram. At felix error, quo accepiſtis homines, quibus intercedentibus graviſſimum bellum à cervicibus veſtris moveatur. Futurum quippe pactum, quantum opus erit, deinceps non ab Idomeneo, ſed à Telemacho atque à me ipſo præſtabitur.

Hæc

Hæc cum Neſtore inter fœderatos exercitus agentem rex & Telemachus armatíque contuebantur è corona muri; acerriméque intentos, quo vultu acciperetur Mentoris ſermo, vellicabat deſiderium, è propinquo exaudiendi canam utriusque viri prudentiam. Et Neſtori quidem rerum, quæ acciderant, uſu copiâque diſſerendi nemo par habebatur ex Græciæ regibus. Cùm oppugnarentur Pergama, ille Achillis ferociæ, ille ſuperbienti Agamemnoni adhibuit modum: ille Aiacis arrogantiam, præcipitésque impetus Diomedis repreſſit. Crediſſes, cùm diſputaret, non verba ſed mel fundere. Is unus erat, qui audiebatur ab univerſis ducibus: unus, cui exordienti ſermonem præſtabatur commune ſilentium: unus deníque, cui cedebat fœda in caſtris diſſenſio. Ceterum integritatem virium eius ingraveſcentis ætatis tentabat frigus; neque tamen ſine ſucco aut lepore erat oratio. Referebat præterita, ut iuventutem inſtitueret ad prudentiam, erátque modus, quo referebantur ab eo, ùt non incompoſitus, ita ſenili lentitudine temperatus.

Tam venerandum caput, cuius admirationi ſe dederat univerſa Græcia, tum ad Mentoris occurſum nihil eloquentiæ, nihil dignitatis videbatur retinere. Crediſſes omnia Neſtoris ex ſeneƈtute ornamenta extingui Mentoris ſenio, utpote quod præ vigore optimè temperati corporis ſibi vendicabat reverentiam. Verbis utebatur, quibus nec lepos inerat nec cultus, vi tamen & auƈtoritate pollebant, quanta tum primum cœpit in Neſtoris ſermone deſiderari. Oratio eius ſemper brevis, vera, & valitura ad motum; numquam revoluta

ad

ad ea, quæ ſemel intuliſſet; duntaxat excurrens ad neceſſaria rei, de qua capiendum erat conſilium. Quodſi autem interdum ad priora retrahebatur aut neceſſitate inculcandi, quæ dixiſſet, aut perſuadendi; redibat ſemper fuſior, ductíſque perappoſitè ſimilitudinibus locuples. Relucebat item in habitu eius, ſeu agere cum aliis ſeu docere volentis, mira quædam & facillima iucunditas. Ex omnibus tum copiis diverſiſſimarum gentium nemo erat, quem tam venerabilis utriusque viri aſpectus non moverit. Itaque dum Salenti hoſtes ex amicitiæ fiducia importunè ſtipatîs cuneîs ſe premunt, percellúntque deſiderio & cominus aſpiciendi & audiendi prudentiſſimorum par hominum: Idomeneus cum ſuis tota oculorum cupiditatę ſtudióque videndi adnitebatur, quid ex habitu conſultantium vultúque coniectari fas eſſet, cognoſcere.

TELEMACHUS.

LIBER XI.

INter hæc Telemachus longioris moræ haud patiens clam ſeſe eripit Cretenſium multitudini; feſtinatóque curſu ad portam, qua Mentor exceſſerat, imperantis voce prodeundi expoſcit copiam. Non adverterat Idomeneum abitus eius. Itaque ùt primùm extra portam, vicinúmque Neſtori videbat eſſe, admirationem haud tenuit. Ceterùm agnitus à Neſtore iuvenis, cùm eum cerneret lentiorem difficilémque pro ætate ſibi moliri occurſum, prior ipſe involavit in collum ſalutaturi; mutíſque amplexibus diu vinctum

vínctum affatus tandem cum gemitu: O mi pater, inquit! ſic compellare non dubito. Licet per benignitatem in me tuam, & per iniquam ſortem, quæ me vetat Genitorem reperire; licet, inquam, debitum ſuaviſſimo Ulyſſi nomen tibi impertiri. O pater! chare pater, quem rurſum intueor! o ſi intueri & Ulyſſem ſic queam! Tu, in quo ipſum quaſi Ulyſſem recipio, tu mitigare profectò dolorem poſſis, niſi inſanabile mihi iactura eius intuliſſet vulnus.

Moverat ſeni lacrymas hic Telemachi affectus, clam utique geſtienti, cùm tam concinnos tamque decoros fletus iuventutis aſpiceret. Sed & fœderatos omnes in admirationem dabat ſpecies, oris ſuavitas, vulgo maior animus, & præprimis ſe per medias hoſtium acies penetrantis fiducia. Ecquid, aiebant, filius hic eſt ſenis Salentô huc egreſſi ad Neſtoris colloquium? quid dubitamus? Ætas, quantùm poteſt, utriusque diverſa; at eadem ſapientia, niſi quòd hæc in altero florem, lectiſſimos uberrimósque fructus oſtendat in altero.

Contemplatus Mentor, qua benevolentia à Neſtore acciperetur iuvenis, gratulabatur ſibi, ſuámque ratus occaſionem: Ulyſſis, inquit, tantum Græciæ, tantum, Neſtor, tibi dilecti hic filius eſt. En! obſidem eum, & pretioſiſſimum pignus habe, quo Idomenei roborari unquam fides poteſt. Facile intelligis, me parùm ſanè velle, ut amiſſum patrem ruina filii excipiat, Mentoríque obiectet infelix Penelope, ſobolem unicam conſumpſiſſe in novelli regis, Idomenei, ambitum. Hoc itaque pignore, quod ſponte advolavit, ut ſeſe vobis aſſereret, quodque pacifici miſerunt Dii, vobis,

vobis, ex tot gentibus delecti viri, ibo conditiones propoſitum, quibus iniri queat pax firma, ſempiterna.

Vix protulerat pacis nomen: cùm alii atque alii retrò ordines militum confuſas voces, quæ nondum ad clamorem perveniſſent, emiſêre. Frendebant itaque perſtrepentes, haud dubii, omnem moram pugnæ noxiam ipſis fore, taliáque ab internuntiis ob hoc ſolum dici, ut vacuas prædæ manus referret mitigata ira. Præcipua erat Manduriorum indignatio, exiſtimantium, Idomeneum ſperare, adhuc ſemel ipſis poſſe imponi. Conſtituerantque iterum atque iterum interpellare Mentorem, metuentes, ne tanti viri prudentia ſocios in diverſa abſtraheret. Et iam Græcos omnes, qui in ipſorum partibus erant, ſuſpectos habere cœperant; quod ubi Mentor advertit, nihil morabatur ad diſſolvendam earum gentium amicitiam alimenta ſuſpicioni adiicere. Hoc ut efficeret, ita exorſus eſt:

Mandurios rectè conqueri, omniumque, quas accepêre reparationem iniuriarum meritò poſtulare haud ſanè diffiteor. Sed & iſtud Græcorum in hac ora coloniæ meritò poſtulant, ne indigenarum odiis ſuſpicionibúsque onerentur. Contra è Græcia advenas ſumma oportet voluntate conſentire, atque ita ſe gerere, ut amicè habeantur ab incolis. Unde nil niſi cum moderatione agendum. Abſtinendúmque terrîs, unde iniquum eſt finitimos ſuos depellere. Equidem ſcio, adverſam ſortem inauſpicatò tuliſſe, ut diffideretur Idomeneo. At arduum non eſt, eum, qua excidit, reſtituere fidei. Telemachum méque ipſum vades atque obſides habete,

habete, amicum eum non dubium futurum. Manebimus apud vos in cuſtodia, non dimittendi, niſi integerrimè præſtitis, quæ venerint in pactum. Ceterùm dolorem veſtrum, Mandurii (pergebat contentiori voce) illud cumprimis accendit, quod poſt itinera montium, quos nunc incolitis, occupata dolô, liberum Cretenſibus ſit in eas ſedes irruere, ad quas receſſiſtis hoc animo, ut vacuæ ipſis eſſent maritimæ planities. Hæc itaque itinera, hæ fauces editis turribus diſpoſitóque Cretenſi milite impeditæ, re omnino vera bello dederunt cauſam. Agite, & ſi quid pugnatis præterea, edicite!

Tum appropinquans in reſponſum, qui imperabat Manduriis: Quanta (inquit) ad evitandum bellum non fecimus! Dii nôrunt, ab armis ſemper nobis vacationem fuiſſe, niſi cùm pacificis eſſe extra noxam ſervitutis per Cretenſium ambitum non licuit, ita ſe denique habentium, ut debuerimus fidem quoque iuratos timere. Vah inſana gens! ipſa quæ ultimum ſalutis remedium, arma, ſic in noſtras intruſit manus, ut niſi ipſius interitu ſalvi eſſe non poſſimus. Haud immeritò ſemper erit nobis perſuaſum, quamdiu obtinebit illa itinera, terris & libertati noſtræ inſidiari. Quodſi enim verè & unicè captarent cum proximis amicitiam, contenti herclè iis, quæ ſponte ceſſimus, omitterent montium noſtrorum aditus occupare, niſi libertati noſtræ ſuperbè inhiarent. Nondum, prudentiſſime ſenex, nondum gentis huius mores cognoviſti, quos ſatis ſupérque & malo noſtro Mandurii didicimus. Deſine, Superis dilectum caput, morari bellum iuſtum, neceſſarium, quo ſine haud quieſcet unquam diu Heſperia. Vah ingrata, perfidá,

fida, crudelis natio, miſſa ab iratis Diis in dulciſſimæ pacis detrimentum, in pœnam, quæ eheu! perpetravimus, ſcelerum. Sed utique hanc ubi vobis expenderimus, Dii, gentem noſtram, non hoſtibus quàm nobis æquiores, ulciſcemini!

Videbatur ad has voces ardere tota concio, ordinésque obeuntes Mars & Bellona furorem pugnandi renovare in animis, quos Mentor lenire ſatagebat. Atque is revocato ſermone: Si nudis, inquit, pollicitationibus agerem, eſſet profectò, quod fidem veſtram deberet ſuſpendere. At certa, præſentiáque offero. Si Telemacho & me retentis, nondum extra periculum vos eſſe arbitramini: faciam, ut duodecim ex nobiliſſimis fortiſſimíſque Cretenſium tradantur vobis. Ceterum tunc Idomeneum quoque obſides à vobis æquum eſt accipere. Neque enim ille, dum ſincera fide deſiderat paciſci, aut pacem inibit dubiam, aut indignam gradu ſuo, ſed qualem vos contenditis ipſos ambiiſſe; quam imperavit ratio, & perſuaſit modeſtia, non vitæ deſiderium molliter tranquillæ, non tenuitàs virium, non quiſpiam ex futuris belli periculis metus. Paratus eſt vel vincere vel mori; pacem tamen anteponit vel illuſtriſſimæ victoriæ. Erubeſceret timere, ne ſuccumbat; committere autem timet, quod iniquum: neque erubeſcit, quæ admiſſa perperam, corrigere.

Offert pacem, dum arma gerit. Conditiones pacis non ſuperbè obtrudit; parvi enim ducit invitis obtruſa fœdera. Sed illud optat pacis genus, quod nulli diſſidentium partium grave, imponat invidiæ, dolori, & ſuſpicionibus finem. Et ne multis: Eſt Idomeneo ea mens, qualem vos deſideratis

deratis illi adeſſe. Cardo rei eſt, ut, quæ dixi modò, argumentîs confirmem. Quod quidem facilè præſtabo, ſi æquis liberîſque animis dicentem audieris.

Agite ergò, fortiſſimi populi, ſapientiſſimi fœderatíque Principes! & quid Idomenei offeram nomine, habete. Fas non eſt accolarum fines patere Idomeneo; ſed neque ipſum fas eſt patere accolis. Permittit igitur, aditus & firmata turribus itinera à copiis neutrarum partium inſideri. Vos quamquam oriundi natíque in Græcia, Neſtor & Philoctetes, præſenti bello reſtitiſtis Idomeneo. Itaque ſuſpicionem de ſtudio partium eius nulli movebitis. Rerum, quæ vos in hoc contingunt negotio, ſumma & caput eſt conſulere publicæ paci, & libertati Heſperiæ. Vos igitur dehinc belli cauſæ, itineribus, præſidebitis. Veſtrâ tanti intereſt, Salentum novellam & veſtrarum ſimilem coloniam ab gentibus Heſperiæ non vaſtari, quantum arma veſtra ſe opponerent per nefas vicinorum terras opprimenti Idomeneo. Neutri inclinabitis ampliùs, ſed utrique vos æquali momentô impertiemini. Cavete armis obruere gentem tanto vobis opere diligendam. Imò ſequeſtros vos & conciliatores, unde regum laus & decus petitur, præſtate. At enim portentum vobis videbitur, certos eſſe, à pactis non receſſurum Idomeneum. Ego verò id, quod requiritis, ita luculenter oſtendam, ut audiſſe nemo veſtrûm ſit futurus quem pœniteat.

Securitatem utriusque partis, de quibus ante dixi, obſides defendent, ad ſuos non reverſuri priùs, quàm faucium anguſtias intraveritis cuſto-

O dien-

diendas. Numquid aliud vobis in poteſtate libet habere præter ſalutem Heſperiæ, Salenti, & ipſius Idomenei? ecquid metuetis impoſterum? anne vobis diffideris ipſi? Idomenei fidem cenſetis recuſandam, qui ne cuſtodes quidem capitis ſui habere vos timet; tantum abeſt, ut velit decipere. Quid? quòd & quietem & vitam, & libertatem ſuam ſuorúmque in veſtras tradet manus. Quodſi bona fide ad utilem pacem aſpiratis, ecce hæc ipſa ſeſe & ita ſiſtit, ut repellendæ eius ratio vobis ſanè nulla relinquatur. Repeto: ad offerendas huiusmodi conditiones pacis nullus Idomeneum metus incitat. Aliud credite. Sola ratio, iuſtitiáque hoc decretum animo eius perſuaſit, perinde utique habentis, pro imbecillitatis argumento, quæ ſtudio virtutis agit, ſumi. Sunt, quæ peccavit initio. At gloriæ ducit ſibi, oblata vobis optione ineundi pacti errores ſuos agnoſcere. Eſt ſanè abiecti, elati, ſuæque penitus ſalutis ignari animi, ſperare, delicta pertinaci ſuperbáque poſſe defenſione tegi. At erroris apud hoſtem confeſſio, eiusque reparandi promptum deſiderium declarant, fieri deinceps non poſſe, ut errare quis velit; nihilque eſſe, quod hoſtis recuſata pace ex tanta & ſana agendi conſtantia non metuat. Itaque conſulite vobis; nec reos iniquitatis vos Idomeneo date. Præſtò pax, præſtò æquitas. Neutram reiicietis impunè. Enimvero accipiet tunc Idomeneus manifeſtum adversùm vos ab Aſtris auxilium, quæ ne offenderit, ipſe haud verebatur iniuriâ. Telemachum & me quod attinet, pro iuſta cauſa ſtabimus. Ego verò Superos Inferóſque omnes æquiſſimis conditionibus, quas vobis propoſui, teſtes imploro.

Hæc

Hæc elocutus Mentor olivæ ramum ſigno pacis ſublatum manu oſtendit. Cœleſtem tunc ignem oculi eius iaculari viſi, quo perſtricti duces ſtupebant. Tantáque fuit ſpecie maieſtatis, ut, quidquid in Semideis adorat mortalitas, infra dignitatem eius comparationémque extiterit. Rapiebant animos verba, ex ipſa dulci lenitate, qua proferebantur, vim ingentem conſecuta; qualem ſcilicet illæ habent vocum præſtigiæ, quibûs in Olympo inter concubiæ noctis ſilentia lunæ ſtellarúmque curſus, rabies irati maris, procellarum violentia, aquarum torrentium præceps fuga momentô temporis reprimitur.

Potuiſſet Mentor inter furentes belli æſtu populos Libero Patri par credi, in tygridum exiſtenti corona, quæ oblitæ feritatis ſuæ, atque ad divinæ dulcedinem vocis coëuntes, innoxiaque lingua demulcentes pedes inter id genus blandimenta ſubięcêre ſe Numini. Quippe & altiſſimum ſilentium quàm mox conſecutum eſt, & duces reſpectantes inter ſe non reſiſtere viro; non aſſerere, non negare illi numen potuêre. Armati fixi eodem veſtigio detinebantur in eius vultu, muſſitare non auſi, ne, ſi quid homini reſtaret dicendum, ſono ſtrepitúve interciperent. Et quamquam dictis eius nihil videbatur poſſe adiungi, longiorem tamen ab eo ſermonem aures requirebant. Vox nulla prætermiſſa ab audientibus, nulla in animos non impreſſa cum fide. Et quis dicenti aut non favere potuit, aut non aſſentiri, cùm minutiſſimas etiam voces ſenilis facundiæ ambabus auribus & unicè captaret præſentium aviditas? Tandem paulò prolixius ſilentium levior ſolvebat fremitus, per

intervalla ſerpens, diverſúsque ab illis antè confuſis vocibus indignatione frendentis militis, & leniſſimô ſonô, quali benevoli animi aſſuevêre, pervadens auram. Facies explicari liquidiſſima manſuetudine: arma efferatis Manduriis unà cum dolore effluere: Lacedæmonii cum Phalante ſuo admirari adeò emollitum rigorem ſui ad inimicitias obſtinati animi: depoſci publico ceterorum ſuſpirio oblatæ pacis felicitas. Philoctetes, multa malorum experientiâ facilior ad motum, lacrimas tenere non potuit. Neſtor in amantiſſimos Mentoris amplexus ibat, ſermone illius mirum in modum affectus. Omnium vox erat quaſi dato emiſſa ſigno: Eripis arma nobis, prudentiſſime ſenex. Pacem, pacem depoſcimus, flagitamus.

Sermonem deinde Neſtor moliebatur. Sed obſtitêre ſocii omnes iam non patientes moræ, veriti, ne futuræ paci minus amica diceret. Unde reditum ad clamorem, quo pacem ſemel iterúmque invocaverant. Neque ſilentium impetrari à concione potuit, niſi Præfectis ducibusque in eaſdem voces conclamantibus. At Neſtor videns, ſibi liberum non eſſe oratione cohærente iunctáque uti, haud cenſuit reluctandum. Unde: Vides Mentor, inquit, oratio probi viri quid poſſit. Omnium æſtus affectionum impetúsque, ſapientiæ & virtutis compeſcit facundia. Noſtra omnium eáque haud iniqua indignatio, obfirmatus item ad pugnandum dolor animi ecce! tranſit in amicitiam æternæque pacis deſiderium. In eas, quas tuliſti, conditiones pacem accipimus. Hæc referente Neſtore copiarum duces aſſenſum porrectis, velut ſtipulaturi, manibûs explicavêre.

Poſt

Poſt hæc Mentor cum feſtinatione ad Salenti portam regreditur, moniturus Idomeneum, ut eâ apertâ procederet ſine metu. Quæ dum fiunt à Mentore, Neſtor inter ſuſpiria Telemachum amplexu petit: Ah viri inter Græcos facilè ſapientiſſimi chara progenies! utinam illi æqualis ſapientiâ, fatô alienus ſis! adhuc dum inutiliter de eo es ſectatus certiora? Memoria patris tui, cuius viva imago es, dolorem noſtrum ſopivit. Phalantes quoque tametſi aſpero difficilíque vir ingenio, & quamquam Ulyſſem numquam viderat, movebatur tamen illius filiíque malis. Et iamiam hæc ex eo ut audirent, rogaverant Telemachum: cùm Mentor ponè Idomeneum revertitur, inſequente univerſo Cretenſium eóque egregiæ iuventutis agmine.

Hìc conſpectô Idomeneô nitebatur recrudeſcere ſopitus dolor. Sed Mentoris vox ſuppreſſit iam erupturos impetus: Quid moramur, exclamat, ſancire fœdus ſanctiſſimum, cuius teſtes & vindices erunt Dii? ulciſcantur iſti, ſi quis infringere improbus ſuſtineat. Salvi ſint & integri, qui perſiſtent in fide. Contra quidquid calamitioſum formidandúmque ferunt bella, incidat in ambitioſum perfidumque caput, quod tam ſolennis religionem pacti profanaverit. Diis & hominibus exoſum ſit, expérſque ſemper fructuum ſacrilegæ defectionis. Ruat in deſperationem, in rabiem, præceps Furiarum imaginibûs, futurîs acutiſſimæ formidini. Cadaver tumulô careat, præda canum volatiliúmque beſtiarum. Ruat infelix umbra in infimas abyſſus Tartari æternis ſuppliciis, illisque Tantali & Ixionis & Danaidum immanioribus ex-

crucianda. Contra Atlantææ rupis, quæ aſtris ſe ſubſtituit, hanc pacem fulciat ſtabilitas. Hanc colat, quæ hìc paciſcuntur, gentium fides: eiusque fructus in alias atque alias propagines transfundat. Volent nomina eorum, qui hoc adiurabunt fœdus, per ora ultimæ atque in ſuam ipſorum charitatem reverentiâmque effuſæ poſteritatis. Eſto hæc pax, cuius fundamentum iuſtitia, robur fides; eſto exemplum, inquam, omnium, quæ deinceps fœdera paciſcetur orbis. Et ſiqua gens ſalutem quærere conſtituit ex reparata amicitia, nulla umquam ſit, quæ Heſperiæ ſibi populos non arbitretur imitandos. Secundùm has Mentoris diras precéſque iuratum in ſuprà memoratas conditiones pacis. Utrinque obſides duodecim dati. Inter illos, quos Idomeneus dabat, Telemachus eſſe voluit; id quod Mentori non permittebatur, petentibûs ſociîs, ut adeſſet Idomeneo, facta eius conſiliáque omnia, dum promiſſa conventáque planè efficerentur, præſtaturus. Locus ſacrificiis inter urbem exercitúmque deſtinatus. Cædebantur centum iuvencæ; iuvenci eodem numero. Victimarum color proximus integerrimæ nivi; auro incruſtata cornua, ornataque floribus in ſpiræ circumeuntibus modum. Penetrabat horribili mugitu in proximo montes, cùm ſacro cultro icebatur, pecus. Paſsímque ſurgebat evolutus vapor manantis exectâ gulâ ſanguinis. Vina non vulgaria, non modica libationibus effuſa. Meditabantur palpitantia etiamdum exta aruſpices, incenſiſque odoribus excitabant nubem, cuius ſuavitas omni circum agro afflabatur.

Interea utriusque partis bellatores] exempta

acer-

acerbitate animi benevolè ſeſe reſpicere, mutuſsque ſermonibus cœperant eventus ſuos referre. Iámque abſterſis belli moleſtiis dulces ex pace fructus præcipiebant. Qui Idomeneum in Troianam expeditionem erant ſecuti, plerique agnoſcebant militem, qui duce Neſtore bellaverat in Phrygia. Ibant ergo in amiciſſimos amplexus, referentes per vicem, quidquid à vaſtata urbe totius Aſiæ facilè ornatiſſima ipſis contigerat. Dehinc effuſi in gramen, coronabantur alterna humanitate floribus, vináque combibebant, quæ grandioribus vaſis apportabant oppidani ad celebranda tam bonæ lucis auſpicia.

Dum hæc apud gregarium; continuò Mentor: Erit deinceps, reges ſociatique duces copiarum, inquit, ut diverſa nomina diverſique Principes unum duntaxat componant populum. Hoc videlicet amor mortalium perſuadet Diis, ut, quos condidêre, eos æterno amicitiæ vinculô cupiant uniri. Familia & ſtirps unica univerſum genus humanum eſt, per totius orbis diffuſa ſuperficiem. Omnes populi fratres ſunt, fraternúmque amorem debent ſibi. Væ ſceleſtis, per fratrum ſuorum ſanguinem, qui tamen ſuus ipſorum eſt, graſſantibus ad crudelem gloriam! Equidem ſubinde bella vitari non poſſunt. At hoc ipſum mortalibus turpe eſt, ſubinde vitari non poſſe. Nolite, reges, nolite aſſerere, acquirendo nomini expetenda bella. Veri nominis dignitas gignitur intra humanæ limites naturæ; cuius ſiquis per ambitum averſatur ductus, monſtrum ſuperbiæ, non homo eſt. Teruntii erit, quamcunque ita conſequitur, gloria. Honorem, qui futilis non ſit, ſola clementia & manſuetudo

 con-

conciliat. Poteſt quidem palpum duci huius vanitati hominis, tam perversè tendentis ad ſublimia. Clam autem & cùm nulla ſubeſt adulatio, ita videlicet de illo exiſtimabitur: Tantò minus commeritus eſt gloriæ, quò prenſavit iniquius. Meritò contemnitur hic contemptor hominum, quorum ſanguinem inſana cupiditate prodigit. At felix me hercle rex eſt, qui populum ſuum amat & amatur; cui nec ſuſpecti accolæ, nec ipſe accolis ſuſpectus eſt, quibúsque adeò nullum excitat armatum diffidium, ut etiam agat cum cura, ne inter ſe ipſi diffideant; qui denique eum ſe præſtat in imperio, cui ſubeſſe ab exteris cenſeatur felicitas. Vos igitur hoc agite, ut ſubinde celebretis conventus; vos, inquam, qui potentiſſimis Heſperiæ urbibus dominamini. Tertio quoque anno habetote comitia, quibus omnes nunc præſentes reges interſunt, ad roborandam novo ſacramento fidem, muniendam amicitiam, ſociandaque patriæ ſalutis conſilia. Concordia vos in opulentis hiſce regnis tranquillos, illuſtres, copioſos; foris reddet invictos. Per ſolam diſcordiam, ad affligendos homines miſſum ab Inferis flagellum, extingui poteſt, quæ vobis parata à Diis felicitas.

Reſpondit ad hoc Neſtor: Dum utraque manu pacem amplectimur, longè utique abeſſe à nobis intelligitis, ut ad capeſſenda arma nos aut gloria bellandi, aut nominis cum finitimorum detrimento illuſtrandi iniqua impellat cupiditas. Verùm enim quid ages, accolam gravem, & violentum nactus, cui vicem legis præſtat una commodi ſui ratio? Qui alienas in poſſeſſiones, quàm poteſt, involat? Abſit, ut hæc de Idomeneo putetis dici. Deſivi iam hanc

hanc in eum conferre ſuſpicionem. Adraſtum puto. Dauniorum is rex eſt, communis omnium, & extrema illaturus hoſtis. Deos habet ludibrio, humanum autem genus eo demum loco, ut perſuaſerit ſibi, natum illud eſſe, ad ſuam ipſius gloriam ſervitute propagandam. Non optat populum, cuius rex & pater ipſe ſit. Cœleſtium honores impendi ſibi iubet, impios conatus eius adiuvante fortuna. Ad Salentum expugnandum eum feſtinatione ideò duntaxat ſumus profecti, ut, ſuperato hoſte minimarum virium, & qui ſuas huc primùm tranſtuliſſet ſedes, potentiori illi obverteremur. Atque is quidem plures iam urbes ſociorum tenet: Crotoniatas prælio bis vicit: Aliter atque aliter famulatur ambitioni ſuæ: perinde habet, ſeu vi hoſtem opprimat ſeu dolo: ingentes opes legit cum avaritiâ: miles, quem ſub ſignis habet, patiens eſt diſciplinæ, & ſciens belli: duces quoque ſatis periti. Ipſi verò regi ſollicitam operam navant ſui; quippe pertinaci cura obſervànti peragentes, quæ ab ipſo præcepta ſunt. Delicta etiam leviora non punit acrius, quàm liberalius remuneratur obſequia. Ut fortis eſt, ita ex vigore eius valentes copiæ. Næ is exemplar imperandi ſit, ſi eorum, quæ agit, rationem à iuſtitia & fidelitate requireret. Atqui nec Deos timet, nec multantem conſcientiam. Ipſa adeò fama boni nominis caſſa nuce ei vilior eſt, nec pulchrior inanî ſpectrô, quo imbelles duntaxat coërceantur animi. Divitiis affluere, timeri, ſtare in cervicibus humani generis vera ſolidâque ipſi bona ſunt. Videbimus propediem militem eius in regnorum noſtrorum viſceribus, & niſi pares nos faciat tot gentium fœdus

 depel-

depellendæ iniuriæ, deſperavimus libertatem. Et noſtrâ & Idomenei intereſt propulſare à cervicibus hunc hominem, vicinorum omnium libertati inimicum. Nobìs acie victìs, idem Salento incidet diſcrimen. Maturemus igitur prævertendo malo remedium. Dum hæc diſputantur à Neſtore, proceſſere ad urbem. Invitaverat enim reges & nobiliſſimos ducum Idomenei humanitas, officiosè rogantis, ut illuc ſecum pernoctaturi concederent.

TELEMACHUS.

LIBER XII.

IAmque tabernacula collocabat fœderatorum exercitus, velâque tum pretio tum colorum varietate conſpicua intendebat, opportunum futuræ poſt moleſtias quietis auxilium. Urbem ingreſſi hoſpites mirabantur haud obiter, tantillo tempore ædificia hoc numero luxûque potuiſſe educi, & ne bellum quidem tanti apparatûs incremento adoleſcentis coloniæ feſtinatôque nitori eius obſtitiſſe.

Cœperat hoſpitibus ſtupori eſſe Idomenei ſollicita ſapientia; auctôrque regni tantæ ſpei & iam ſocius, credebatur augere poſſe, quantum ſatis eſſet, fœderatorum vires, ſi accederet pugnaturis in Daunios. Suadetur itaque Idomeneo, una coiret in fœdus, & ille tam æqua petentibus reluctari non debere ratus, promittit militem. At Mentor ùt non erat rudis eorum, quibus regnorum ortus alerentur, ita facilè intellexit, Idomenei potentiam verò maiorem credi. Ergò ſeductum eum privatim adhibens:

E re tua vides, inquit, fuiſſe, quæ cum cura præſtitimus tibi. Triumphat Salentum ereptum inſtanti periculo. Tuæ nunc opis eſt, decus & laudem huius civitatis cœlo, te Minoi, ex quo nepos es, gubernandîs populîs æquare. Liberè tecum rurſus ago, quoniam pro certo aſſumo, id amari à te, nihîlque præter verum peti. Ego, luxum tuum magnificentiámque demirantibûs regibûs, tuam temerè agentis vecordiam mecum perpendebam.

Mutavit rex vultum, vecordiæ prolatô vocabulô: micabant confuſi oculi: genarum lætitiæ intercedebet importunus rubor. Proximum erat, ut impedito hoſpitis ſermone oſtenderet, dixiſſe, quæ diſplicerent. At Mentor libero vocis ſono, præter importunitatem & contemptionis notam auĉto: Offendit te, ùt video, vecordiæ nomen, quo ſiquis præter Mentorem utatur, culpæ dabo. Reverenter quippe agendum cum regibus, cavendúmque, ne vel reprehenſio moveat eorum delicatum faſtidium; cùm ipſa veritas, etiam non accedente ex verbis pondere, ſat iisdem gravis ſit. Ego verò credidi, à te etiam non lenitîs vocibûs admonentem erroris me fore ſuſtinendum. Propoſueram ſcilicet, aures tuas propriis rerum vocabulis aſſuefacere, tibique perſuadere, cùm de vita & moribus tuis conſulueris alios, te nunquam reſpondentem cogitationi reſponſionem auditurum. Quam ob rem neceſſe eſt, ut, nî velis decipi, ultra reſponſi terminos progreſſus animô, ſemper amplius, quàm ſit de re tibi iniucunda dictum, percipias. Me quod attinet, lenior, ſi ita vis, ero. Ceterùm expedit hominem eſſe, qui ſordidô

didô rerum ſuarum ſtudiô liber perſpectæque benevolentiæ, remotis arbitris tecum agat duriùs. Et tum quidem iſtius hominis génere dicendi præter ipſum utetur nemo: ſed neque aliud præter ſemiſſem veritatis eúmque ſplendidiſſimis diſſimulatum fucîs accipies.

His vocibus, iam compreſſo priore impetu, in ruborem datus rex, quòd vellet adeò cautè & conſideratè ſecum agi, ad Mentorem: Vides, inquit, adulatoribus quid ſit aſſueviſſe. Ego regni mei ſalutem in acceptis tibi refero. Incrementum felicitatis, quoties ex te verum accipio. Sed commiſerare regem, quem veneficium pervertit adulationis, & cuius nec infelicitas reperire potuit audacter veridicum. Non potuit, inquam. Neque enim unquam reperi, cui tanti fuerim, ut offenſam meam, quàm culpam palliatæ veritatis maluerit incurrere.

Hæc quidem rex fluentibus lacrymis, & cum amiciſſimo ſalubria monentis amplexu. Tum Mentor: Quàm velim, rex, inquit, tractare te mitiùs. Sed qui poſſit fieri, ut verum te mala fide Mentor celet? Finge, te eſſe, qui ego ſum; in fraudem ſi es deductus, ipſe præbuiſti manum, averſatus, à quibus dabatur ſimplex conſilium. Num quæſiviſti viros, rebus ſuis nihil iniquæ navantes operæ, & omnino audaces ſententiæ obloqui tuæ? num cohortabaris ad ferendum iudicium homines nihil amicitiæ tuæ, nihil commodi ſtudioſos ſui, nihilque trepidos damnandi, quæ appetebas præter rationis ſuffragium? amoviſtine aut ſuſpectos habuiſti, quorum manifeſta tibi erat virtutis ſimulatio? Aliud agebas ſanè; ne-

que

que illud, quod agunt, quos dignos cognoſcendi veri amor veritatis facit. Age, experiamur, an nunc ſaltem ita in poteſtate habeas animum, ut ſimpliciſſimô veritatis adversùm te iudiciô non moveâre.

Aſſerebam paulò antè, digna vituperiô eſſe, quæ tantam admirationem tibi conciliant ab hoſpitibus. Dum tanti hoſtilium armorum apparatus foris ſtrepunt tibi; dum regno tuo adhùc tenui, inopi, ſterili paratur exitium: tu intra naſcentis oppidi ambitum in condendis ædificiis ad invidiam magnificis totam comburebas operam. Hoc eſt, quod tot implacidas (ùt fatebaris) & inſomnes tibi creavit noctes. Hoc eſt, quod ærarium privavit nummis; quin tu curâris aut propagare tuum populum, aut colere hanc mari adiunctam tantasque opes promittentem glebam. Quæ duæ res numquid totidem baſes & fundamenta tibi debuiſſent eſſe, quibus tota potentiæ tuæ inniteretur moles? Nónne providere debueras, ut bonis abundares ſubditis & bene cultîs agrîs, ex quibus aleres tuos? His autem initiis opus erat diuturna pace, quibus iuvarentur incrementa amplificandi populi. Opus erat præterea, unicè ad ſubigendam glebam, conſtituendâsque optimas leges incumbere. Inſana libido gloriæ te adduxit in extremum periculum; famæque illuſtrandæ pertinacia iam ibat perditum; quidquid veræ habebas famæ. Vide itaque, quamprimum medelam opponas; quod feciſti tibi, vulneri. Moram ædificiis & ſubſtructionibus, quas magnificentiores cogitas, ſtatue: renuntia luxui, peſti futuræ novæ coloniæ: ſine pacis otiô reparari ſubditum: fac opibus polleat, ut

ut facilior ipſi ſit ad crebra connubia aditus. Memento, ex eo te regem eſſe, quòd multis imperas, neque vires tuas cenſendas ex amplitudine regionum, quas occupaturus es, ſed multitudine hominum, quibus in iisdem regionibus dominabêre. Eſto, regnum tuum circumſcribant mediocres termini. Quodſi illud copiâ impleveris hominum, in quibus par ſit induſtria & probitatis & operis: næ tu victorum omnium potentiæ, felicitati & gloriæ poſt quantaslibet regnorum rerúmque publicarum everſiones haud invidebis.

Quo igitur pacto (Idomeneus rogabat) me in ore tot regum geram? Fatebor erráſſe? Utique neglexi agros: prætermiſi, ex oræ huius ſitu quantumvis expedita, commercia. Ædificandæ ſplendor urbis totum occupabat Idomeneum. Meámne igitur laudem, chare hoſpes, ipſe & tot regibus levabo? oſtendam, egiſſe nullo conſilio? Levabo, ſi neceſſe ſit, nulla habita ratione obſiſtentis animi. Nimirum didici ex te, verè regi, quoniam non ſibi ſed populis omninò natus ſit, imperii ſalutem famâ ſua habendam eſſe antiquiorem.

Imô hic animus, ita Mentor affirmat, decet dignitatem eius, qui populorum ſit pater. Hic affectus tuus, non pompa civitatis tuæ oſtendit, habere te animum, quem poſtulat digni regis conditio. Parcendum tamen eſt famæ tuæ, ne quid inde regni tui patiatur ſalus. Ceterùm id mihi committe. Monebo ſine mora reges hoſpites, tibi incumbere, ut Ulyſſi, ſi nondum occiderit, aut certè filio eius imperium Ithacæ, eiectis Penelopes procis, recuperes. Et ſanè intelligent, mediocribus copiis id confici genus belli non poſſe; ſatíſque puta-

putabunt eſſe, ſi à te exiguam manum in Adraſtum accipiant.

Vidiſſes ad hæc verba Idomeneum dempta quaſi mole liberiùs ſpirare. Certe haud aliàs lætiori vultu: Facis, inquit, amice, celandô attenuatas opes, ne hæc cum rege ſuo civitas vileſcàt extraneis. Sed qua ſpecie veri dixerim, ablegatum à me iri, qui Ulyſſem vel certè Ulyſſis filium Ithaciis reſtituant, cum Telemachus ex promiſſo ſe adiunget profecturis in Daunios? Verùm & hac eum cura liberans Mentor: A veritate, inquit, nihil alienum dicam. Quas ad inſtituendum commercium dimittes naves, abibunt in Epirum. Uno eodémque itinere agent duo. Nam & inſtitores exteros allicient ad Salenti portus, parùm frequentatos ob vectigalium avaritiam; & de Ulyſſe captabunt certiora. Qui ſi ſuperſtes ſit, circa freta neceſſe eſt eum verſari, quæ ab Italis dividunt Græciam; quoniam ſunt, qui aſſerant, fuiſſe apud Phœnices viſum. Quodſi verò ſpem illius videndi, quos es miſſurus, non renovent, optimam nihilominus operam navabunt Telemacho. Et filius & genitor creditur periiſſe. Itaque nuntius, Telemachum vivere, Ithaciis pariter atque vicinis gentibus terrorem inferet. Qui Penelopæ obtrudunt inviſas nuptias, trepidabunt, audientes, Telemachum rediturum cum auxiliis. Incolæ non audebunt mutare imperium. Reſpirabit Penelope, novóque ſpiritu reiiciet importunos procos. Hoc modo utilis eris Telemacho, dum ipſe pro te inter fœderatos Heſperioś armis Dauniam gentem petet.

His vocibus provectus rex ad exclamantis ſonum,

num, felicem regem cœpit prædicare, cui numquam deeſſent, qui ſuaderent ſalubria. Fidem & prudentiam amicorum ipſi magis, quàm invictos exercitus expedire. Bis verò beatus, aiebat, ille rex eſt, qui cognito felicitatis ſuæ fundamento, eâdem noverit ex idoneis amicorum conſiliis in rem ſuam uti. Neque enim illud eſt infrequens, regem quidem habere viros ſapientes & ſanctos; ſed quorum probitatem averſatur, movétque ab amicitia & aſpectu ſuo, ut tantò liberius aurium mancipiis & adulatoribus præter metum perfidiæ vacet. Atque hoc peccatum ego quoque peccavi. Neque celabo te, quanta ob inſidioſum amicum mala pertulerim, qui ut in his oculis meis iniquæ cupiditati ſuæ pareret impunè, mearum cupiditatum ſtudioſiſſimus patronus exliterat.

Poſt hæc levis operæ fuit Mentori, ſocios reges docere, Idomeneo res Telemachi agendas fore, dum in eorum caſtris verſaturus ſit iuvenis. Sufficiebat ipſis, Ulyſſis filium eſſe inter auxilia præter centum Cretenſes egregiæ iuventutis, quos Idomeneus ſociabat Ithaco. Hi principes erant iunioris nobilitatis, ex Creta profecti cum rege, à quo intereſſe ſociorum bello iubebantur Mentoris conſilio. Quippe proſpiciendum hic aiebat eſſe, dum per pacem liceret, amplificando populo. Oportere tamen iuniorem nobilitatem ablegari in externam militiam, ne tota natio unà cum belli artibus torpeſcat. Vel ſola hac ratione ardorem gloriæ, armorum exercitationem & ſtudium, ſolertiam, ipſúmque adeò contemptum mortis poſſe in omnium animis excitari.

Diſce-

Diſcedebant fœderati reges Salento tam præclarè ſentientes de Idomeneo, quàm Mentoris addicti ſapientiæ. Neque parùm gratulabantur ſibi, quòd Telemachum ſocium erant habituri. Is verò, cùm amicum ſuum cogebatur relinquere, ne tacitus quidem dolebat. Ergo regibus ultimò conſalutantibus Idomeneum, æternámque fœderis ſocietatem ſacramenti repetentibus fide, Mentor amplexu ſtringit alumnum ſuum, fletúque ita dolentis obruitur: Tantum abeſt, ut parare mihi iam gloriam velim: ut profectionem à te meam duntaxat libeat deflere. Redeunt eheu! luctuoſa tempora, cùm in Ægypto mihi ſine ſpe recuperandi tui eripiebaris.

Mentor leniſſimìs verbìs dolori occurrens: Diſceſſus hic, inquit, longè alius atque ille in Ægypto. Liberè hìc ſeparamur, & ad tempus. Tu etiam in ſpem proficiſceris illuſtris victoriæ. Mentorem, fili, ama fortiter, non molliter. Diſce carere meì, qui non ſemper tuum ſtipabo latus. Sapientia & virtus magis quàm præſens comes, neceſſe eſt, ut agenda te doceant.

Dum hunc in modum Telemachi firmatur animus, Minerva diſſimulata Mentoris habitu iuveni, obiecta Ægide, ſpiritum ſapientiæ & conſilii, intrepidam item fortitudinem moderationémque facillimam, rarò in eodem convenientia bona, impertivit. Si utile erit (Mentor pergebat) non evitare diſcrimina, te in illa vel extrema dare ne dubites. Turpiùs Princeps fugit in bello periculum, quàm abeſt à bello. Imperatoriæ virtutis ea ſit, oportet, fidelitas, in quam cadere mutationis non poſſit ſuſpicio. Ducem regémve conſervare

 opus

opus ſubdito, ſed magìs, ita videre ſe gerentem, ut de virtute eius dubitari non queat. Memento ducem exemplum eſſe, ex quo multitudo petat animos. Contemptor itaque omnis periculi, vitam potiùs redde, quàm ſpeciem dubiæ fortitudinis. A periculo, quod eſt prorſus ſubeundum, ſumma vi plerumque adulatores ſtudebunt avertere; quibus ſi tum facilè acquieſces, iidem ignominiâ anguſti animi te clam notabunt primi. Sed neque inutile velim tibi depoſcas diſcrimen. Fortitudo, niſi rationi conveniat, non virtus ſed ſtolidus vitæ contemptus & inſanus ardor eſt. Periclitatur præter legem & impotenter incitatus animus. Qui in periculis neſcit imperare ſibi, præceps eſt in moroſam ferociam, nec meretur generoſus dici. Altior ſe ipſo debet eſſe, ſi nullo velit pulſari metu, cuius ſemen natura inſperſit animis. Itaque etſi non fugiat; at ille ſaltem turbabitur: deficiet libertas animi, à quo ſuggerenda eſſent ſalubria imperia, ut occaſionum opportuno uſu profligari hoſtis & patriæ promoveri ſalus queat. Eſto, is ardeat, quantum opus militi; at non ſapit, quantum opus Duci. Quid? quòd ne quidem ardet, quantum opus gregario militi. Nam etiam vulgus militiæ ipſo æſtu pugnæ animum debet præſentem habere, idoneúmque imperantis nutum cum moderatione ſequi. Diſcriminis temeritas expultrix eſt militaris diſciplinæ, exemplum agendi ſine conſilio, neque raró totius ruina exercitus. Qui amplius ambitioni, quàm ſaluti dant publicæ, pœnam merentur, non præmium.

Cave igitur, dilecte fili, æquô ſis incitatior ad gloriam; cuius parat tutiſſimum aditum idoneæ

occa-

occaſionis non difficilis expectatio. Virtutis quò maior ſimplicitas, moderatio, & demiſſio; eò maior eſt reverentia. Neceſſitati ſubeundi diſcriminis ſemper coæquanda eſt renovata circumſpectio ardórque pugnandi, quæ duo bona ſemper augenda in militaribus animis. De cetero noli tibi conflare invidiam, aut felicitati invidere alienæ. Laudabis honeſta, non æqualiter, ſed quantum par eſt: bona referes ſine triſtitia: mala vel tacebis vel cum mœrore attinges. Præter veteres duces ſi adhibearis in conſilium, ſuſpende ſententiam. Per ætatem ignoras plurima, quæ longo ipſi didicerunt uſu. Auſcultandi tibi ſunt cum reverentia, conſulendíque; peritiores autem rogandi, te ut inſtituant; optimóſque eventus tuos eorum præceptis ſine rubore adſcribes.

Et ne multìs: noli unquam in aures ſuſurros malignitatis admittere, id agentis, ut ceteros duces aut æmuleris aut metuas. Amicè & candidè cum illis age. Quodſi eos de noxa tibi putes teneri, mentem illis tuam doce, cauſáſque admonendi. Niſi adeò anguſti egeníque erunt animi, ut hanc ingenuam rationem agendi percipiant minùs; tui erunt, nihilque omiſſuri, quod eos poſtulaveris. Contra à bona voluntate tua ſi humilior captus eorum diſſentiet: ipſe, quod delinquere amant, intelliges tibi ferendum eſſe cum patientia. Eum præbebis te, ut, quamdiu militabis cum ipſis, cauſas & alimenta ſubducas controverſiis; atque ita non erit, quod ipſe tibi obiicias. Præprimis autem cave, ne quoddam genus adulatorum, ferendis natum diſcordiis, cognoſcat ex te cauſas querendi, quas adversùs ſocios duces te putas habere.

Ego interea (Mentor ſubiungit) Salenti diverſabor, Idomeneo futurus particeps laboris, quem ſaluti gentis ſuæ impendet, & erroribus omnino emendandis, quibûs auctorum ſuorum malitiâ vitióque adulantium primordia ſui regni implicuit.

Subinde Telemachus ſe continere non poterat, quò minùs oſtenderet Mentori, Idomenei mores ſibi admirationi eſſe, viderique eum gerere ſe non nihil infra dignitatem. At Mentor increpantis vultu ſonóque: Putâsne accidere præter conſuetudinem, ut ſummorum virorum perſonis, quamdiu humani corporis teguntur exuviis, quædam humanæ fragilitatis notæ & reliquiæ inter innumerabiles tricas moleſtiáſque, quæ fruſtra à Purpura ſeparantur, inhæreant? Idomeneum primi adeò anni ad luxus & ſuperbiæ præcepta finxerunt, fictúmque exercuerunt. At quotusquisque ſapientum in ea conditione ſatis reſtitiſſet palpationibus? non contendo, eum, quibus aſſueverat, duntaxat fuiſſe deditum, quantum profuit. Sed & coronata ſapientia, quantumcunque nitatur, numquam ſe præſtabit ab omni fraude immunem. Agendis omnibus unius regis non ſufficit manus, opúsque habet, quibus partem oneris ſéque ipſum committat unà. Qui porro admittendi ſunt ad latus, numquam à regibus noſcuntur, quantum à ſubditis. Profanantur ſcilicet impudentiſſima ſimulatione Principum oculi, cunctíſque machinis fallendi eisdem imponitur.

Hæc ita eſſe, ah! quoties tibi probabit experiéntia! Nec virtutes, nec dotes habent mortalium animi, ab ipſis quas exigis; & quantamlibet dederis iis noſcendis obſervandíſque operam, decipieris

pieris tamen in dies. Sed neque optimi, ſi adhibeantur publicis curis, ſatisfacient tibi. Nam & pertinaces ſunt, & difficillimi ingenii, nec liberi ab invidia. Fruſtra eris, ſi ipſis perſuadere quid velis, aut à more ſuo deflectere. Pro ſubditorum numero augendi ſunt eligendique homines, quorum opere ampliora curis tuis, perficias. At quò frequentior eorum eſt multitudo, qui publicis munebibus ſunt præficiendi, eò in illis legendis frequentior eſt errori locus.

Sunt hodie acerbiſſimi maſtiges regum, qui eodem ſi cras potirentur gradu, haud ſanè minus exiſterent innoxii; quin & eadem & etiam graviora committerent. Privatus quisque vel mediocri cum eloquentià naturæ ſuæ vitia poteſt involvere, tantúmque ementita eius lumina commendare, ut provinciarum omnium, quibus caret, videatur dignus. At poteſtas & authoritas, lapis quidam Lydius dotum animi, quid quantumque deſit, oſtendunt. Vitro ſimilis eſt dignitas, reddenti acceptas rerum ſpecies cum incremento. Amplificatur notabili magnitudine, quidquid peccant honorum faſtigia, ubi ſcintilla excitare incendium poteſt, minimáque afferre graviſſimas moleſtias.

Totus orbis deſudat identidem in obſervando & quam poteſt ſeverè iudicando uno, qui imperat, homine. Ipſi autem, qui iudicant, rudes ſunt ſtatus eius; ignaríque difficultatum, quibus implicatur, quandam in eo divinitatem exigunt, eximiam à fragilitate, quæ innata humano eſt generi. Rex quantumlibet bonus & ſapiens adhuc tamen homo eſt: tam ingenii quam virtutis limitibus circum-

ſcribitur: non ſenſu, non cupiditatibus caret, nec indolis etiam habitudine, quam nequeat rationis freno ſatis perdomare. Circumſtrepit hoc latus eius moleſtiſſima verſipellium hominum induſtria, alterum ſordida temporum calliditas. Arcentur, quæ petit, auxilia; quotidie quædam vel ſua vel perverſa voluntate ſuorum peccat; & errori emendato emendandum nectit. Sic ſapientiſſimi, ſic optimi reges vivunt, quorum vita etſi longiſſima, & conformata probitati, numquam ſufficit corrigendis in fine, quæ præter voluntatem commiſêre initio.

Neceſſaria hæc mala Regum ſunt, quibus perferendis nunquam par humana fragilitas. Miſerandi reges propterea, & accuſandi mitiùs. Aut non miſereamur eorum, qui non tam hominibus quàm miſeriis imperantes, dum bonitate imperandi eas conantur mitigare, in abyſſum abeunt curarum & laborum? ſi fateamur, quod res eſt: infelices homines neceſſe eſt dici, quod gubernari debeant à rege, naturæ non alterius, ſed ſuæ duntaxat ipſorum participe. Profectò divina opus manu erigendo hominum ita profligato generi. Sed & infelices ipſi, qui regnant; quippe qui ex natura ſua fragiles & imperfecti, præeſſe tamen coguntur innumerabili depravatæque fraudulentorum hominum multitudini.

Hìc Telemachus alacrî reſponsô: Poſt amiſſum ſuâ culpâ patris in Creta Imperium Idomeneus amiſiſſet & hoc alterum Salenti, niſi tu ſubveniſſes conſiliô. Fatebatur Mentor vehementer utique peccâſſe Idomeneum. Sed da mihi, inquit porrò, regem etiam ex optimè moratis Græciæ ceterarúmque

rúmque gentium Imperiis, qui ſemper deliquerit intra excuſationem. Nec ſummorum quidem virorum natura habituſque animi ſine vitiis eſt, quæ non libeat ſequi; veriſſiméque omnium laudantur, qui, quæ commiſerunt perperam, nec agnoſcere, nec emendatione verentur diluere.

Ulyſſem Genitorem tuum, Heroëm unum, ad cuius exemplum effingenda Græcia, credis nulla parte fuiſſe infirmum? quoties fortunæ caſibus implicitus incertusque, fuit collapſurus, niſi ſingula eius Minerva præſens diſpenſâſſet veſtigia? quoties repreſſus, quoties confirmatus ab hac Diva eſt, ne unquam tramitem deſereret virtutis ac gloriæ? Sed neque, cùm videbis in Ithacæ ſolio clareſcere, illum puta futurum innoxium. Erit citra controverſiam, quod in eo notent delicatiores oculi. Fuit nihilominus Græciæ, Aſiæ, inſulíſque Oceani admirationi. Alia atque alia ornamenta, quibus abundat, retundunt videlicet minùs ab eo rectè factorum memoriam. Tu verò felicitatem tuam abſolves, ſi eum intueri oculis, moribus velut exemplar tuum præter ceſſationem valeas imitari.

Cura, mi Telemache, ne aſſueſcas ab excellentiſſimis etiam heroibus requirere, quàm quod cadit in humanas vires. Arrogat ſibi rudis omnium rerum adoleſcentia cenſoriam quandam inſolentiam, quæ facit, ut contemptîs ideîs, ex quibus virtutis petenda eſſent exempla, ad omnes ſtimulos imitationis ſuperbè arrogantérque occalleſcat. Itaque non unus pater (quamquam nec ille prorſus innoxiæ virtutis) amore tibi erit cultúque ac imi-

tatione proſequendus; ſed & ſingulari obſervantia ſupráque vulgus colendus Idomeneus.

Tametſi enim multa corrigenda, monendáque attulerit; at candidus eſt & amans æquitatis. Liberalitatem ſectatur; colit beneficentiam. Fortitudini eius nihil addiderim. Siquam cognoſcit fraudem, niſi ſuæ ipſius propenſioni animi refragetur, damnat. Quæ in eo apparent, magna & imperatoria ſunt. Erroris fatendi ſimplicitas, manſuetudo, admonitionum etiam aſperrimarum patientia, ſui ipſius victoria, qua ſe erroribûs admiſſìs palàm evacuare, dignitatem verò ſuam ab infeſtis hominum iudiciis contendit eximere; virum profectò loquuntur non ſimulatè magnanimum. Multi errores ſunt, à quibus animus vel mediocriter bonus præſervari aut fortuna poteſt, aut alieno conſilio. At Principem innutritum aſſentationibus ad pœnitentiam errati adducere non niſi ordinariâ maior virtus poteſt. Ita emendari laudis plus habet, quàm numquam, quod emendes, committere.

Omnium ferè regum ſunt, Idomeneus quæ geſſit perperam. At quotusquisque agit illorum, ut emendetur, quod agit Idomeneus? Mihi certè neque tunc deſierat eſſe venerabilis, cùm permiſit, ut quæ ſentiret, corrigerem. Itaque & tibi venerabilis ſit, mi Telemache. Atqui iſtuc dum tibi ſuadeo, non tam Idomenei famæ quàm utilitati tuæ conſultum eo.

Hac diſputatione Mentor docebat Iuvenem, quàm periculoſum & iniquum ſit, cenſoria ſeveritate alienos mores perſtringere, illorum maximè, quibus ambiguum pérque difficile imperandi in-

eum-

cumbit opus. Monebat deinde Mentor, tempus maturum eſſe itineri. Itaque, vale, inquit. Salenti reditus tuos expectabo. Fac memineris: Timenti Deos nihil timendum ab hominibus. Manent te extrema diſcrimina. At certus eſto, ſemper tibi præſtò fore ab Minerva auxilium.

Sub hæc verba admonebat Telemachum animus, adeſſe ipſam Deam. Et ſanè cogniturus fuit, hanc eandem eſſe, quæ propterea cum ipſo haberet ſermonem, ut ſpe ac fiducia roboraret; niſi iuvenis memoriæ imaginem Mentoris reſtituiſſet his verbis: Nunquam, mi fili, dimitte ex animo, quam infantiæ tuæ impendi curam, ut ne Ulyſſis virtus & ſapientia orbi periret in filio. Cave, agas, quod ſit à tantorum Heroum exemplis præceptíſque, quæ ego tradidi tibi, disiunctum.

Iámque ſuprema montium cœperant à primo ſole colluſtrari: cùm reges hoſpites abeuntes Salentô, ad copias ſuas inſtituunt reditum. Atque hæ, ùt tendebant extra urbem, acceptô ſignô exordiebantur iter. Promicabant ab omni exercitu ferreæ cuſpides, in quas deſinebant haſtilia: frangebant oculum fulgure paulò mitiùs coruſcantes clypei: ſubvectíque ad cœlum pulveres innoxiam primæ diei inferebant nubem. Egreſſi quoque ex urbe Idomeneus & Mentor officiô comitandi in caſtra fœderatos Principes, cùm iam moram recuſâſſent itineris. Inter mutua denique argumenta non fictæ amicitiæ diſceſſum. Nec dubitavêre ſocii, ſtabilem pacem fore, perſpecto Idomenei candore, quem longè alium nuper criminabantur ſiniſtri nuntii. Cuius quidem rei cauſa erat, quòd, qui de Idomeneo nuntiabant, non dotes

animi eius, ſed quibus ſe permiſerat, iniqua aſſentatorum conſilia intuebantur.

Profecto exercitu, Mentor, ut totam urbem inſpiceret, ab Idomeneo deducitur. Tum quidem ille regi: Age, inquit, numeremus, quot tibi in urbe, quot in agro homines; miſſóſque in numerum deſcribamus. Videamus deinde, quot ex illis colendæ terræ idonei; quantúmque frumenti, vini, olei, rerúmque aliàs utilium illa reddat annis mediocriter fertilibus. Hac ratione cognoſcemus, quantum alendis incolis opus, an agri ferant? & num præter populi alimenta gignantur, quorum copia quæſtuoſum cum extraneis promittat commercium? navium quoque nautarúmque, quos habes, numerus ad æſtimandas vires tuas recenſendus. Itaque portum vidit: naves ſingulas ipſe inſcendit: ſciſcitabatur de regionibus, in quas navigarent mercatum; quas illuc merces aveherent, reveherént que? qui faciendi ſumptus, dum peregrinaretur, in navem? ecquæ mutuationes mercatorum? ſocietatum item, quas coniungerent, ecqua & num ſancta ratio, integráque fides? neque volebat ignorare, quænam eſſent pericula damnaque timenda ex naufragiis aliíſque eventibus, ut detrimento inſtitorum atque inopiæ poſſet præveniri, nimio lucri deſiderio ſæpe viribus ſuis tentantium ampliora.

Iubebat ſeverè animadverti & ſine diſcrimine in decoctóres æris alieni, quoniam etiam illi, qui mala fide non agunt, raró vacant temeritate. Rationes quoque præfinivit damnis creditorum prævertendis idoneas. Quippe magiſtratus creabat, qui ab mercatoribus rationem mercium, lucri, impen-

impenſarum, negotiationúmque acciperent. Prohibebantur aliena exponere perdendi periculo; ſua verò mediam duntaxat partem licebat in diſcrimen dare. Porro negotia, quæ unius è ſocietate facultatem ſuperabant, iam agebantur communi ſociorum facultate. Integritas conſtitutionum, quæ memoratis adiectæ ſocietatibus erant, pœnarum muniebatur rigore, graviſſimè videlicet luituris, qui feciſſent fraudem. Fuêre præterea liberrima commercia, miniméque moleſta ex vectigalibus, imo oppetenda ex donis, quæ relaturus erat, qui negotiationem novæ gentis Salentum convertiſſet.

Ergo populis undique & continuò confluentibus, huius urbis commercium Euripum quendam referens, incolis alias atque alias opes velut ſuccedentes ſibi fluctus aggerebat. Tributis non advenientium non proficiſcentium mercium ingraveſcebant pretia. Quidquid advehebatur, per ſe proderat oppidanis; avecta relinquebant, quod erat profuturum. Portum verò ipſum ſacrarium dixiſſes iuſtitiæ tot tamque diverſis gentibus inter ſe actitantibus æquiſſimo iure; viſáque ex altiſſimis Salenti ſpeculis ſinceritas, candor, & fides è longinquo populos ad innoxia negotia invitare. Mercatores huc Oceanô vecti, ſeu qui ſolem reddit orbi, ſeu qui ſubtrahit, non quietiùs, non ſecuriùs agebant domi, quam Salenti.

Sed neque interiora urbis Mentor omittebat. Ille luſtrare publica horrea, promptuariáque mercium; ille opificum tabernas, foráque communia obire. Vetabat ab externis vendi apta inducendo luxui molliendíſque animis. Quæ in veſtibus, ali-

mentis,

mentis, ſupellectilibus obſervanda, quæque in extruendis ornandíſque ædibus pro conditione incolentium, præſcribebat. Interdictis denique ornamentis omnibus, quæ auro argentóque fiunt: Res una, inquit, rex, quæ populo tuo ſanam modeſtâmque impenſarum continentiam perſuadeat, exemplum eſt, quod à te prodendum, ab ipſis imitandum erit.

Ecquidem quæ in te cadunt ſub oculos, maieſtatis dignitate quadam carere haud debent. Ceterùm hanc egregia cuſtodia corporis, hanc nobiliſſimi proceres, lateribus ſe applicantes tuis, ſatis ſuperque prodent. Contentus eſto veſte ex lana primæ notæ, & imbuta murice. Optimates idem genus texti ferant. Itaque habitus tuus eorum ſimilis erit, colore duntaxat faciente diſcrimen, & quòd oram tunicæ tuæ Phrygium opus ex auro præter luxum diſtinguet. Hæc ipſa varietas colorum diſtinguendis diverſis hominum ordinibus ſerviet; neque auro argentóve eam in rem aut gemmis habebis opus. Ceterùm ordines populi tui ex naſcendi conditione divides. Muneribus ampliſſimis præficiendi, quorum antiquiſſimum & nobiliſſimum genus. Qui muneris aliquid gradúſque conſequuntur meritorum ſuffragiô, ſine invidia conquieſcent in ſecundis ſubſelliis poſt eos, quibus primas aſſerit diuturna poſſeſſio. Sed neque his invidebit inferior nobilitas, ſi illos dedoceas ex immaturè collatis dignitatibus priſtinæ conditionis oblivíſci, & moderatè ſeſe modeſtéque gerentibus, quas par eſt, laudes adhibeas. Illud verò diſcrimen maximè extra invidiæ verſatur iactum, quod ex maiorum præcellenti ſerie gignitur.

Qui

Qui à rege ſunt proximi, primíque ordinis, candidas veſtes, gerent circumeuntibus fimbriis ex auro; ex qua item materia annulum digito, collo torquem cum imagine tua impreſſa nummo inſerent. Altera claſſis velabitur cæruleâ tunicâ, in argenteos deſitura limbos, neque nummum ſed annulum tantùm illi permittes. Viridis color eorum erit, qui ſequuntur proximè. His & annulo carendum & fimbriis; nummum addes. Quarti ordinis amicula crocea induent; roſea quinti. Violacea ſexto dabuntur. Ultimus, qui plebem infimam complectitur, album flavo colori miſcebit. Hæc in liberis & ingenuis veſtiendi ratio. At ex cineris forma in nigrorem declinabunt mancipiorum indumenta. Ita gratuita erit & expedita cuivis diſtinguendæ conditionis ſuæ copia: ita luxûs nutriculæ artes exulabunt Salentô; quarum magiſtri impoſterum aut neceſſariis tantùm artibus opificiisque ſe dabunt, quæ perpauca ſunt ob ingenitam naturæ humanæ parſimoniam, aut exercendis commerciis, aut agris. Sed neque materia textilium, nec forma veſtium libera ſit obnoxiáque eorum, qui perficiunt, arbitrio. Neque enim permitti viris debet, quos ad vitæ genus ſerium egregiúmque colendum natura deſtinavit, ut inveniendis parandíſque reclamante nativo ſanóque decore cultibus veſtium tempus aut comburant ipſi, aut ipſis ſinentibûs feminæ, licet ex hac ſollicitudine vaniſſimæ occupationis mitiùs viris obiurgandæ.

Itaque Mentor ſumptuum luxuriam, ingens publicis moribus malum, caſtigabat non ſecus, atque olitoris demitur manu, quidquid in arborum

ferti-

fertilitatem peccat. Redibat eiecto faſtu ingenua & frugalis ſimplicitas. Civium quoque ſervorúmque alimentis conſtituta ratio. Vah probrum, exclamabat ille, viros ſummos & nobiliſſimos documenta amplitudinis ſuæ in lautitiis ciborum reponere, qui vigorem animis, qui ſanitatem furtim eripiunt corporibus! cùm verè credere ſe debeant fortunatos, ſi ſobrii, ſi ab auctoritate & potentia ſufficientes in alienum ſubſidium, ſi laudabiles denique ſint à probitate facinorum. Sobrietas optimum cibi etiam viliſſimi condimentum. Hæc ſanitatem in annos quàm plurimos roborat: hæc non honeſtiùs quàm conſtantius oblectat animum. Itaque tu quidem rex vulgò paſcêris meliùs, ſed à iuſculis non exquiſitiùs ad gulam. Ars quippe ultra veram neceſſitatem humanum irritandi palatum diſciplina quædam eſt veriſſimi veneficii.

Idomeneus non aliàs meliùs agnoſcebat, iniquam ſuam indulgentiam fuiſſe, quæ novellæ colonos civitatis in mollitiem & corruptelam morum dediſſet, neglectis ſcilicet nullis non legibus, quibus à Minoë ſobrietati fuerat cautum. At Mentor ſatìs gnarus leges etiam inſtauratas frugis haud eſſe, niſi vim & robur ab regis exemplo acciperent; quippe ex quo uno legum penderet auctoritas: id quidem haud obſcurè declaravit Idomeneo. Qui ſine cunctatione ſecutus monentis conſilium, inſtituta regalis menſæ ratione, nihil deinceps in eam curabat inferri præter panes plurimi alimenti, modicum vini vernaculi iucundo ſapore, cibóſque vulgatos uſu, qualibus veſcebantur ad Troiam. Igitur prodiga mollities, cui paulatim epulantes aſſueverant, exolevit, nemine ſalubre inſtitutum

tutùm auſo aſpernari, cui ipſe adeò rex volebat eſſe obnoxius.

Molliores deinde moduli etiam remoti, qui ad fœmineam teneritudinem iuvenum animos ſubmitterent. Nec mitiùs actum crudis comeſſantium vociferationibus veriùs quàm cantibus; quoniam capiti haud paulò æquiores quàm vinum, mores optimos ad importunitatem & impudentiam proveherent. Modus quoque numeris imperatus, quibus Deorum laudes Heroûmque præclariſſima exempla in templis ſolenniores referrent dies. Rurſus columnæ, eminentiæ rariores (proiecturas vocant) xyſti ſeu porticus, ampliora architecturæ ornamenta, Deorum tantùm ædibus permiſſæ. Exempla etiam tradidit bellè, citra pompam tamen luxûmque, architectandi; ex quibus mediocri ſpatio terræ imponi poſſint diverſoria iucunda & ſuffectura numeroſæ familiæ, tum pervia ſalubri auræ opportunâque diſcretis ad manendum locis, tum compoſitionem munditiámque facilè recipientia, & leviſſimis impendiis à vitio ruinæ detrimentíſque vindicanda.

Iubebat interiora ædium, quæ illuſtriores eſſent, laxari in atrium, procurrente modica porticu cum columnis; fieríque minora cubilia accipiendis ingenuis hominibus. Copia conclavium, quibus carere patiebatur neceſſitas, apparatúsque cumprimis interdicti.

Atque hæc ædificiorum ſingulis familiis congruentium varietas citra notabile impendium egregiam & ad artis præſcriptum exactam tribuebat ſpeciem. Contra verò pars altera oppidi, quam incolæ pro inſolentia elati arbitrii ſui iam tum abſol-

abſolverant, magnifica quidem, ceterùm minùs amœna erat opportunâque uſui incolentium. Toti operi exiguô temporis intervallô ultima acceſſit manus. Quippe ex finitima Græcia frequentes adfuêre architecti; accitíque ex Epiro & aliunde magno numero ſtructuræ muralis opifices, ea conditione, ut, Salentô condito, fas ipſis eſſet fixîs in agro eius domiciliis manere tam ad ſubigendam partem rudis & inculti ſoli, quàm habitatoribûs celebrandam regionem.

Pictoria ſtatuariáque etſi meliores videbantur Mentori, quàm quas oporteret abrogari, peritos tamen earum artium ad modicum cenſebat numerum reducendos. Aperiebat ſcholam: datíque limato & exquiſito ingenio viri, qui tyronum ſuorum facultatem ad diſcendas artes periclitabantur haud obiter. Hac ſuper re ita diſputabat Mentor: Ad artes, quibus ſimpliciter opus non eſt, inepti ſunt languentes & hebetes animi. Proinde ad eas admovendi ex adoleſcentibus ſoli, quorum habile ingenium ipſo mediocritatis faſtidio promittat in arte excellentiam. Ceteri artibus nati minùs ingenuis, ad quotidianas reipublicæ neceſſitates transferendi. Pictorùm ſculptorúmve proprium officium & unicum nobis ſit, illuſtres viros factáque illuſtria propagare ad poſterorum memoriam. Aut enim in ædificiis publicis, aut maiorum monumentis ſtatuendæ imagines ſunt earum rerum, quas pro patria præter ordinem civium virtus geſſit. Ceterùm Mentor etſi vehementer propoſuerit temperantiæ, ſumptuúmque mediocritati conſulere: equorum nihilominus curricula, ſeu hippodromos, palæſtráſque, ingentes ſtructurarum

rum

rum moles, laudavit, aliosque locos certaminum, quæ habilitatem corporibus & robur darent.

Reiecta præterea fuit incredibilis multitudo mercatorum, pannos artificioſè textos, acu pretioſè picta, vaſa aurea argenteáque, Deorum, hominum, & animalium expreſſa imaginibus, liquores arte mixtos odoréſque vendentium. Pro his imperata ſupellex ſine cultu, & difficulter atterenda uſu. Itaque Salentini poſt publicas nuper de paupertate querelas nunc abundare opibus cœpêre. Sed & has ipſas auſi contemnere (ùt quæ non carerent fallacia, magíſque exhaurirent quàm ditarent) eò ſolidioribus verioribusque fortunis augebantur. Diteſcimus enimvero, inquiebant, ſpernendo divitias, quæ patriam ſpoliant. Egere deſinimus, egendi neceſſitatem attenuando & accommodando ad veram frugalis naturæ indigentiam.

Maturiùs deinde ad armamentaria & horrea ſe vertit inſpicienda, viſurus, an bello opportuna inſtrumenta, ceteríque militiæ adeſſent apparatus. Aiebat enim, promptam eſſe oportere gerendi belli facultatem, ne gerendi eius offerri poſſit neceſſitas. Sine mora igitur collecti, qui ex ferro, chalybe, æreáque opera facerent. Exaudiri tum ardentium fornacum ſibilantes crepitus: volvi ſurſum fumi flammarúmque turbines, quales in vaſtiſſimum terrorem Ætnæ eiaculantur ſpecus: aures obtundere incudum geminata ſupplicia, quæ montium vicinarumque crepidinum repercuſſa obiectu quandam eius inſulæ faciebant ſpeciem, in qua Cyclopes Vulcani laudibûs ad maturanda Deorum patri fulmina incaleſcunt. Videre erat, prudentiſſimi ſenis conſilio omnia gerendis bellis

neceſſaria præter noxam integerrimæ pacis præparari.

Subinde Mentor cum Idomeneo egreſſus eſt rus. Iacebant ingentes tractus ſoli, opulenti, niſi defuiſſent, qui colerent. Agri pleriquе mediam duntaxat partem ſubacti. Cauſa deſidia, & paupertas erat agreſtium, utpote deſtitutorum operis, ideóque & animo ac viribus, terram, quantum par erat, exercendi. Mentor aſpiciens inerti ſitu ſquallentes campos: Iſti quidem, rex, inquit, ditare incolas deſiderant. Sed deſunt manus, quæ, quod offertur, accipiant. Age! educamus ex urbe opifices, quorum opera adeò uſum non habent, ut etiam officiant moribus. His iſtas planities, iſtos colles conſerendos trade. Habet (quod fateor) non nihil difficultatis iſtud conſilium, quòd id hominum genus, quippe exercens opera; quæ à ſedentibus fiunt, rude ſit agriculturæ: at ecce tibi aliquid huic malo remedii! Diſpertiendum inter ipſos eſt poſſeſſore vacuum ſolum; evocandíque ex finitimis auxilio, qui aſperiora pro ipſis opera ſuſcipiant. Nec recuſabunt, opinor, venire affines; ſi iuſtam mercedem paciſcare de ipſis frugibus, ad quas ferendas novitium inſtituent ſolum. Quid? quod attributa poſtea eius parte, quam poſſideant, populo tuo aliàs minùs adhuc frequenti ipſos potes adiicere. Quodſi patientes laboris legúmque obſervantes ſint, meliores profectò ſubditos ne optabis quidem; habebíſque, unde vires tuæ augeſcant. At rus traducti opifices liberos ſuos erudiendo ad laborem agreſti vitæ aſſuefacient. Iterum cæmentitii operis ſtructores, aliunde ad condendam urbem tuam profecti, promiſsò teneantur partem ruris

ruris colere, trullámque commutare buri. Hos, ubi primùm ultimam oppido addiderint manum, ſubditis tuis adſcribe. Gaudebunt ſibi in poteſtatem tranſire tam boni nunc domini. Utque ob firmam corporis habitudinem ſunt paratioris induſtriæ: ita collocatis in agros opificibus ſtimulos laboris exemplo ſubiicient. Hac ratione agri tui lapſu temporis paulatim robuſtis ſummíque laboris cultoribus abundabunt.

Neque eſt, quod incremento huius populi metuas. Imò proximè numerare vix poteris, modò facultatem nuptiarum difficilem ne reddas. Hanc in rem cape ſis hoc ſimpliciſſimum conſilium. Quotusquisque mortalium non aſpirat ad nuptias? à quibus quod arceat, nihil eſt præter miſeriam. Iam tolerabilia tributa ſi exigas, cum uxoribus liberíſque vitam tui agent expertem gravioris moleſtiæ. Numquam enim ſine beneficio terram quis colit, quæ alimenta reddit ſollicitæ induſtriæ, nec bona ſua negat niſi averſantibus labore adipiſci. Augentur autem, niſi Principis obſtet avaritia, pro numero ſobolis agreſtium opes. A primis enim unguiculis adminiſtros ſe præſtant genitoribus liberi. Minimi natu vervecum greges, armenta adultiores ducunt; &, quibus ætas iam firmior, cum parentibus vacant ruri. Interea matres cum reliquis, qui domi ſecum agunt, viro charæque ſoboli ab diurno opere languidulum corpus retracturis parat cænulam: admovet alternas manus pecudi, beatámque lactis copiam ab uberibus elicit: ſarmenta congerit diffuſis ignibus, quibus ceu ſpectaculo in orbem appoſita, ſceleris pura, fugitánsque litium familia veſpertinis cantiunculis

tiunculis præludit futuræ ex ſomno dulcedini: effingit caſeos: caſtaneas nuces ceteráque poma agreſti arte ita præmunit ad vitium, ut ætatem ſine detrimento iuſtæ maturitatis ferant.

Revertuntur rure magiſtri pecorum ad humeros hærente tibia; temeréque coëuntes ad veſpertinum otium domeſticos oble&tant numerîs, quos ex finitimis viculis curſim aurium arripuêre magiſteriô. Imperata vacatione ruri tergum arator obvertit; ſuſpenſúmque boves aratrum referunt, languori permittentes ſe, laxatis laſſitudine cervicibûs, fracto & inerti gradu, nec tum corrigendo ſubiectis ſtimulîs. Cadit cum ſole labor, & quidquid languorem artibus creat. Stringunt univerſam naturam dulci faſcino ſparſa Deorum iuſſu per orbem papavera, opportunum ad anxias curas remedium. Obdormitur: non ſudor, non moleſtia futuræ lucis proſpicitur. Fortunata gens, quam nec impellit ambitus, nec turbat ſuſpicio, nec infelix collidit aſtutia! fortunata, inquam, ſi tamen regis bonitas, ab Aſtris donum, patiatur eſſe innoxiam. At quæ crudelitas, ſi, quæ natura ſudori tribuit præmia, terræ fruges ſcilicet, auferuntur ambitioſo conſilio? ſufficeret profectò uberrimus naturæ ſinus alendo infinito populo, tenui victu operéque delectanti. At quorundam mortalium inſolens lautitia magnam partem humani generis ad extremæ paupertatis deducit inediam.

Scitanti abhinc Idomeneo: Quid ageret, populo negligente incumbere in cultum opulenti ſoli, quod ipſi attributum? ſuaſit Mentor, ut tunc omiſſo communi tritóque dominorum more rationem prorſus obverſam teneret. Hoc, inquit, potiſſimum

tiſſimum agit inconſulta regum avaritia, ut diligentiſſimos quosque in excolendo fundo ſubditos graviſſimis tributis & cenſibus vexet, iniqua ſcilicet ſpe, ex hîs fontibûs non aliàs leviori negotio obtenturam, quæ exigit, æquior incitas ſibimet procuranti deſidiæ. Tu proſcribe hunc morem, tam probitati infenſum, tam facilem ſceleri, cauſâmque, tum regi tum regno peſtiferæ inertiæ. Conſtitue pretia, decerne mulctas, additis, opus ſi erit, inſignioribus pœnis in eos, qui agri ſui curam abiecerint; non ſecus ac in deſertorem ſtationis ſuæ militem animadverteres. Contra qui augeſcente familia augent & induſtriam agreſtis operæ, præmiis affice, immunitatibus dona. Tunc enimvero ſtrenuè propagabitur ſoboles: labor amabitur, & inter honeſta incipiet reputari. Emerget ex vilitate ſua agreſtium conditio; utpote exempta plerisque moleſtiis: extinctâ contumeliâ reparabitur aratri dignitas, cùm occupabit, quæ patriam modò defendêre, victrices manus. Neque enim minus erit honeſtum acceptos à Maioribus agros tranquillis temporibus excolere, quàm exorto bello defendere. Florentiſſimum Imperii decus renovabitur: flavebit Cereale caput circumeuntibus ſpicis: ſub pede Liberi Patris uvæ diſſilient, ex quibus collecti liquores laudem Nectari præripientes rivos per prona montium devolvent. Et quos ſecundùm perennium aquarum ripas & margines paſtoritia plebs vocibus admetitur numeros, depreſſa vallium acceptos reiicient, gregibus interea carpentibus pabulum, & luporum ſecuritate inter floſculos herbeſcentis ſoli lepidè graſſantibus ad ſaliendi laſciviam.

Tu vero, Idomeneu, ſcatebra ſi fueris tam multiplicis boni: ſi tot populi ſuaviter acquieſcent ſub umbra tuæ manſuetudinis: nonne facultatem ſortis etiam optimæ ſuperabis? numquid maior hæc ad animi voluptatem gloria, quàm vaſtare regna, terrarum ſuarum angulos omnes haud paulò, quàm deviƈtarum gentium, minùs obſerere cædibus, implere tumultu, formidine, ſuſpiriis, terrore, inedia, deſperatione?

Fortunatum ſanè regem, ſiquêm Deorum favor animo tam excelſo inſtrueret, ut hunc in modum ipſe velit eſſe populi voluptas, regnique ſui amœnum idque perenne ſpeƈtaculum! Enimvero univerſus terrarum orbis tantum abeſt ut poteſtatem eius propulſaret armis, ut etiam ſupplex eandem ſibi depoſceret.

Obiiciente Idomeneo, tam opulenta pace ſi fruerentur, fore demum, ut labefaƈtatis voluptate moribus fortunas ſuas in auƈtorem earum regem arment; falsò id timeri à regibus Mentor aſſerebat; tâmque ſpeciosô titulô ſubditum cenſibus atterenti regum luxuriæ plerumque patrôcinari adulationis mendacium. Sed en! quam facile ſit hunc metum eximere regibus. Quas modò condidimus agrarias leges, ipſæ induſtriam vivendi rationem ab iis exigunt. Namque remotis opificiis & artibus, quibus parari amant opes ſuperfluæ, præter neceſſarium viƈtum nihil quantumlibet divites poſſidebunt. Sed & divitiis haud parùm demet, quod prono ad nuptias aditu plurimùm augebuntur familiæ. Quæ ſi prolibus, non fundis abundent; cogentur rem ruſticam, ne alimenta deficiant, continuatâ induſtriâ obire. Voluptas & otium

otium inſolentiam ac ſeditiones cient. Tui verò panem quidem liberalem, at tum primùm habebunt, cùm glebæ, quam exercent, eorum ſudorem labor miſcuerit.

Ab hac ergo tam ſalubri continentia ne gens tua deſciſcat, iam nunc in portiones, quas ſingulæ familiæ poſſideant, rura deſcribes. In ſeptem claſſes (quod nôſti) ſeu ordines gentem omnem diviſimus. Cuilibet familiæ ſui ordinis haud amplius permittendum glebæ, quàm ad alendam ſe habebit opus. Quod ſi obſervaveris inſtitutum, fas non erit nobili venire fundos pauperum. Aliquid ruris, quod colant, habebunt ſingulæ, permodicum tamen: at eo ipſo ex capite amplius fervebit huius permodici colendi induſtria. Quodſi autem longa ætate agri deeſſent auctæ incolarum multitudini, deducendæ forent coloniæ incremento huius Imperii profuturæ.

Præterea utiliſſimè mea ipſius opinione curaveris, ne vina in regno tuo nimiùm vulgentur uſu. Deſtruendæ igitur, ſi abundent, vineæ. Magnorum enim malorum ſemen vinum. Morbos, lites, ſeditiones, otium, laboris faſtidia, turbas domeſticas gignit. Aut igitur reſervandum ad remedium unius valetudinis, aut (quoniam ſingularis eſt illius inter liquores præſtantia) ad libationes tantùm, quas in celebritatibus præter ordinem Dii accipiunt. Verùm huic inſtituto, quod refert tanti, niſi tu eius præibis exemplum, ne putes fore, qui ſe accommodent. Proximum, quod agas, eſt, ut Minois legibus de inſtituenda ſobole perpetuam obſervantiam afferas. Aperiendi litterarii ludi, qui ad Deorum timorem, ad amorem

patriæ, ad legum reverentiam, ad honorem, præ voluptate præque ipſa vita æſtimandum, initia ætatis erudiant.

Magiſtratus faciendi rectè obſervandis familiarum tum omnium tum ſingularum moribus. Sed & tu partem huius curæ tibi putes ſuſcipiendam, utpote ob id maximè rex ſeu paſtor populi, ut gregi tuo dies noctésque invigiles. Ita vim magnam perverſitatum criminumque prævertes. Quæ verò prævertere non poſſis, illicò & quibus par eſt, ſuppliciis accipe. Beneficium eſt, maturata animadverſione curſum iniquitatis reprimere. Hominis unius morte ingentes redimuntur clades, efficitúrque, ut poſtea rariùs quoque adhibita timeatur ſeveritas. At verò quàm ad deteſtationem perverſum iudicium eſt perſuadentium ſibi, ſecuritatem non dari, niſi populos opprimant: erudiri & inſtitui non curent; ad ſemitam virtutis adducere ſibíque conciliare negligant: minis & terroribus in deſperationem extremâſque anguſtias ita impellant, ut numquam poſſint aut liberè reſpirare à miſeriis, aut tyrannidis iugum à feſſis cervicibus abiicere. Hæccine ratio imperii pacifici? hæccine ratio enitendi ad gloriam?

Scito, minimum reges poſſe, ubi exercent imperioſiſſimum imperium. Rapiunt, deſtruunt omnia; ſolum omne poſſident. Sed & iſtud languet; & in deſertum iacet incultus ager. Attenuantur in dies oppida; exareſcit opum ſcatebra, commercium. Rex, qui nec ſolus regere poteſt omnia, nec rex eſſe niſi per ſuos, ipſe paullatim facit, ut pereat, dum ſenſim ſubtractis opibus perire cogit ſuos, per quos & dives & potens eſt.

Exui-

Exuitur regnum copiâ fortunarum & hominum; quod quidem damnum maximum eſt miniméque reparabile. Quod habet ſubditos, tot facit limitum non patiens poteſtas eius mancipia. Vallatur obſequioſis adulatorum cumulis. Fingitur illi cultus, quem debemus Cœleſtibus: ad palpebræ trepidatur motum. At ſubeat vel tantilla mutatio: deſiderabit auxilium tam portentoſa, tam extra ordinem proiecta potentia. Alienati tum à domino ſunt populorum animi, feſſiſque à tyrannide & acerbatis cunctis Imperii ſtatibûs, nulla eidem relinquitur fiducia præſtandi à ſuis auxilii. Violenter imperando cogit membra huius corporis omnia uno ardore mutationem anhelare. Primus quisque ictus, qui in vanum non labitur, idolum tantæ crudelitatis præcipitat, & calcium ſupponit ludibrio. Contemptus, odium, metus, exulcerati dolor animi, diffidentia, omnes denique motus, quibus in diverſa ſolet humana mens trahi, iunctis viribus ſe opponunt tam inviſæ potentiæ. Rex, cui rebûs inaniter florentibûs nemo audebat, quæ vera eſſent, exponere, illîs mutatis, reperiet neminem, cui aut excuſatione aut defenſione videatur dignus.

Adeò non potuit his argumentis occurrere Idomeneus, ut deinceps nihil cunctaretur, vacuum ſolum in certos modos ſeu portiones digerere, tum ut eas inutilium artium hominibûs & operariis frequentaret, tum ut omnia, quæ deſtinaverat animô, maturaret in opus. Ceterùm hinc exceptos agros voluit, quos vacantibus cæmentitio operi aſſignaverat; quoniam niſi perfectô oppidô agri curam poſſeſſorum ſuorum manûmque non poterant accipere.

TELEMACHUS.

LIBER XIII.

IAmque diſſipati de moderato placidóque Idomenei imperio rumores adeò nonnullarum gentium excitabant fiduciam, ut turmatim concurſantes, in civitatem eius peterent adſcribi, fortunam ſuam experturi tam bono domino. Iam illa quoque ſpinarum pervetuſta ſeminaria ſpem opimæ meſſis faciebant, frugúmque, quas tum primò didicerunt gignere. Parabat vomere diſfracta tellus pingue labori præmium. Bona non minus quam illuſtria futuri argumenta ubique advertebant oculos. Quippe & per valles editósque colles diffuſi ovium quà adulti quà iuniores greges, qui frequenti per herbas ſaltu dabant agreſte ſpectaculum; & in præaltis montibus armenta, quorum ſua quæque voce iugíſque repercuſſo ſono nova ſibi paſcua gratulabantur.

Ceterum bonitas agrorum promota ex ipſo, quod paſcebant, pecore; cuius quidem comparandi rationem Mentor invenit. Suadebat ſcilicet Idomeneo, ut quæ Salenti redundarent ob interdictum eorum uſum, traderet vicinæ Peucetiorum genti pro pecoribus, quorum inopia Salentini laborabant.

Urbs item & quæ ad eam pertinebat vicinia, egregia iuventute cœpit abundare. Hæc quippe diuturna calamitate maioríſque metu incommodi huc usque abſterrebatur ab ineundis connubiis. Sed cùm videret Idomeneum poſita ſeveritate novo ritu miteſcere, neque tam agere regem, quàm pa-

patrem; nihil deinceps formidinis aut à fame aut ab iis erat malis, quibus ira Deorum ſolet in mortales animadvertere. Itaque hinc clamor lætantium, hinc paſtorum ruricolarúmque hymenæi complebant feliciter mutatum imperium; ſpeciéſque erat Panem cum Faunis & Satyrorum choro Nymphas ad tibiæ numeros umbratilem in orbem ducere. Nihil hìc turbulentum, nihil alienum à lætitia, quæ per omnes ordines ea moderatione vagabatur, ut non diſſolvendis animis, ſed relaxandis à diuturno labore videretur conceſſa. Unde non ſtrenuior, quàm purior fuit.

Qui graviores iam annos agebant, ùt in extremum vitæ ſuæ viderunt incidere, quæ longa ipſorum ætas ne tenui quidem ſpe libare umquam ſuſtinuerat: admiratione & ſtupore defixi ibant in tenerrimas lacrymas, tendentéſque ex ſenio vacillantes manus precabantur: Propitius eſto, magne Iupiter, regi, qui ſimilis tui eſt, maximúmque ex tuis in nos donum. Datus eſt ſaluti hominum. Proſit igitur ipſi, quantum ipſe prodeſt nobis. Naſcituri ex toris noſtris, quibus ipſe favit, nepotuli pio huic regi debeant omnia, & ipſum adeò naſcendi beneficium, ita quidem, ut is re ipſa omnium ſuorum futurus ſit pater. Hæc ſenes. Iuniores autem regio favore promoti ad thalamum, perpetuo cantu (quippe unico monſtrandi gaudii ſubſidio) auctorem huius voluptatis ſuæ celebrabant. Numquam paſſi ex ore abeſſe illius nomen, tantum abeſt, ut umquam dimitterent ex animo. Pars felicitatis reputabatur eum aſpicere, & caput, ſummáque metuendorum, ne periret. Eo nempe ſublato non domus, non

non familia erat ab extremo ſquallore vacatura.

Tum quidem Idomeneus haud temperavit ſibi, quo minùs fateretur Mentori; numquam perinde ſe in voluptate fuiſſe, atque nunc, cùm populis amori eſſet, & ſaluber tot ſubditis. Numquam inquit, hoc perſuadebam mihi. Credidi, fruſtra regem dici, qui ſe non redderet terribilem; vivere̍que regis cauſa, quisquis non eſſet rex. Ridebam cum anilibus gerris, quidquid laudabatur de regibus, qui amori, qui voluptati fuiſſent ſuis. Alia & veriora nunc credo. Ceterùm haud ignorare te decet, qua ratione inde ab unguiculis perverſa regiæ Maieſtatis opinione, unde omnium malorum meorum origo, animus meus ſit depravatus. Hæc præfatus, rex, ita cœpit diſſerere.

Proteſilaus erat, ætate mihi paulò ſuperior, quem omnium maximè diligebam. Arridebat vigor animi audaciáque eius. Conſors oblectationum mearum & palpator cupiditatum, Philoclem quendam, annis & favore meo parem ſibi, obiecit ſuſpicioni. Is vero timore reverebatur Deos, animíque magnitudinem ſui multa prudentia modeſtiáque commendabat. Magnum cenſebat, non qui dignitate efferretur ſupra ceteros, ſed ipſe ſe vinceret; nec ageret, quod indignum & inferius ſê. De erroribus vitiíſque liberè me compellabat; & ſi quando id minùs eſt auſus, ipſum ſilentium eius, & quam præferebat ore, triſtitia loquebantur, quæ peccaveram.

Et initio quidem mihi candor eius non diſplicuit; crebróque receperam ipſi, ut ab adulationibus abeſſem, ſemper vacuas aures meas integerri-

máſque

máſque inventurum. Docebat fideliſſimè, quæ agenda volenti premere Minois veſtigia, & meditanti ſalubria imperio. Sapientia eius ùt decedebat tuæ: ita præcepta (id quod nunc primùm agnoſco) erant ſimpliciter bona. Atat ea fuit Proteſilai & æmuli & ambitioſi hominis calliditas, ut noverit Philoclis tædium ſenſim animo meo ſubiicere. Is nihil inde motus in inferiori amicitiæ meæ gradu, in quem retrudebatur Proteſilai invidiâ, ſe moderatè continuit; ſatíſque ipſi fuit, quod verum erat, paratis auribus non in commodum ſuum, ſed ſalutem regis continuò occinere. Proteſilaus non advertenti mihi perſuaſerat, Philoclem laborare moroſâ ſuperbiâ; inde licentiùs obſervare, quæ agerem, nihílque à me exigere favoris, ut crederetur homo eſſe, ad quem honorum cupido non pertingeret. Adiecítque, hunc iuvenem eadem libertate, qua me commoneret errorum, iîs etiam palam commemoratîs regiam exiſtimationem offendere, quam in animò eius exoleviſſe ſatis manifeſtum eſſe; attritaque hunc in modum Principis fámâ, ſimulatione auſteræ virtutis iter ad coronam meditari.

Difficile mihi erat initiô credere, Philoclem aſpirare ad regium decus. Eſt enim hoc non ſimulatæ virtutis privilegium, ut candorem ſuum nec ſimulatione patiatur æquari, nec ritè ipſum obſervantibus imponere. Ceterùm & conſtantia, qua poſt delicta oppugnabar à Philocle, gravis mihi cœpit eſſe, & Proteſilai indulgentia ſolertiaque, infinitis oblectationibus, quæ regium animum allicerent, inveniendis abunde ſufficiens, placere

usque

usque adeò, ut in comparatione huius auſterum hominem vehementiùs averſarer.

Inter hæc Proteſilaus iniquiſſimè ferens, me delectu aliquo & ſapientiâ ea credere, quibûs criminabatur æmulum; de illo dehinc ſilere conſtituit, mihíque admovere arietem ſuada Attica potentiorem. Itaque hanc ille mihi ſplendidiſſimam fraudem. Suadebat, Philoclem præficerem claſſi, quam in Carpathios deſtinaveram. Id ut perſuaderet: Laudem, inquit, quam ipſi tribuo, nôſti carere dolô. Fateor intrepidum eum eſſe, & aptum bello; tibíque ante alios profuturum. Atque iſtud movet, ut omnibus inſuper habitis, quam in eum concepi, miſſam iram faciam.

Cumulabar inſolenti gaudio, cùm in Proteſilao, maximarum rerum mearum adminiſtro, animum tam ſincerum, tam æquum (quod credebam) deprehenderem. Involabam in collum eius, geſtiente lætitia, reputans, meritô amplius à me deberi fortunæ, quòd maximam fidem ante alios tam egregio (ùt viſum) cupiditatum rerumque ſuarum victori habuiſſem. At o miſeros Principes! homini illi quàm mihi meum ipſius ingenium plùs erat perſpectum. Non ignorabat, reges plerumque & ſuſpicionibûs, & incuriâ rerum ſuarum teneri; ſuſpicionibûs, quòd ſciunt adeſſe lateri, qui decipiant; incuriâ, quòd voluptatibus impares onera ſua alienos in humeros devolvunt iurati fiduciâ obſequii; neque publicis fatigari rebus volunt. Itaque ominabatur ille, facillimum ſibi fore, apud me in invidiam rapere hominem, maxima moliturum; neque dubitabat ex adverſarii abſentia ſibi occaſionem premendi eius futuram.

Phi-

Philocles, cùm ingrederetur viam, ſatìs certus eorum, quæ ſibi poſſent evenire: Memineris, rex, inquit, me deinceps accuſatum iri nemine advocato. Qui me odit, audietur unus. Dúmque forìs pro te periclitabor vitâ, mercedis loco timere debeo, ne domi tuâ pericliter gratiâ. Ego verò: Deciperis, mi bone, aiebam. Alia atque tu exiſtimas & meliora Proteſilaus de te. Probat te! admiratur, dignúmque cenſet, quem rebus ſummis præficiam. Suſpectus mihi erit, ſi quando obtrectator tuus. Pone metum: proficiſcere, duntaxat ſollicitus, ut cum fide ſervias mihi. His dictis ille proficiſci, ego mirabili perverſitate rerum implicari.

Equidem perſpicuum mihi erat, amice, haud paucis opus eſſe; quos conſulerem, peſtémque tum gloriæ meæ tum rerum mearum fore, ſi fidei unius duntaxat hominis me crederem. Uſu etiam ipſo didici, me Philoclis conſilio multa defugiſſe errandi pericula, quæ eram incurſurus faſtu. Neque me illud latebat, Philoclem tam candore animi, quam æquitate præceptorum Proteſilao longè antehabendum. Proteſilaus meâ indulgentiâ iam iam aſſueverat mecum æquò liberiùs, adeóque loqui cum imperio, ut tantùm non cogeret obſequi. Permoleſtum mihi erat continuò pati à latere duos, quorum ſenſus coniungere non poteram. His itaque turbis cùm exemptum vellem hunc animum, malui fragilitati meæ concedere, agere que, quod rebus quidem meis damnum; locum tamen unà mihi faceret liberè tantiſper reſpirandi. Fateor, tam infandam cauſam fuiſſe ſuſcepti conſilii, ut eam ipſe mihi occulerem, neque ſerio unquam animo auderem penſare. At quod cognoſcere puduit

puduit animum, non puduit ſequi. Hoc quippe omnino ad omnia, quæ deſtinaveram, impulit.

Philocles ad internecionem cæſis hoſtibus, ut maligna Proteſilai conſilia celeritate præverteret, maturabat adornare reditum: Cùm ab æmulo, cui nondum aptum ſe tempus præbuerat me decipiendi, litteras accipit, nunciantes, petere regem, ut facta exſcenſione in Carpathia, utiliorem redderet victoriam. Et ſanè perſuaſit mihi Proteſilaus, inſulam nullo ferè negotio poſſe obtineri. Interim eum tenuit modum agendæ rei, ut Philocles magnâ rerum neceſſariarum laboraret inopiâ. Mandatis item onerabat eius generis, quibus magna bello difficultas afferebatur. Interea erat ex meis domeſticis, cuius operam conduxerat, homo perverſiſſimi animi, nihil non Argi ex more obſervans, perſcrutansque, ut perferret ad eum, cui fidem ſuam vendiderat; etſi ambo hi homines rariùs loco, animîs nunquam viderentur convenire.

Timocratem appellabant. Fortè monebar ab eo ſecretiùs, quàm (quod aiebat) ab ullo amicorum; formidoloſa eſſe, quæ cognoviſſet. Philocles, inquit, claſſe tua utetur, Carpathiæ ut imperet. Duces copiarum in partes ſuas traxit: gregarios ſibi devinxit donis & indulgentia vitiorum. Tumet victoria. Ecce tibi litteras (nam & has tum proferebat) quibus amicum docet, animô deſtinâſſe ſibi imperium. Manifeſtum perfidiæ argumentum eſt. Dubitare non licet.

Legebam litteras; & videbatur Philoclis manus. Sed eam Proteſilaus & Timocrates adulteraverant, ſimilitudinem eius penitus aſſecuti. Quibus ego monſtris incredibiliter perturbari: iterum ite-

rumque

rumque recurrere ad epiſtolam. Imperare mihi non potui, ut crederem, Philoclem ſcripſiſſe, recolente turbulento animo inſignes notas, quibus à ſordido & ancipiti ingenio teſtabatur ſe abeſſe. Sed quid tunc ego conſilii? quî reſiſterem litteris, quas à Philocle non dubitabam veniſſe? At Timocrates, ùt vidit tutò latere ſtrophæ ſuæ initia, liberúmque iam eſſe graſſari fraudibus, maiores fallaciæ offuſurus tenebras, præmiſſa ſpecie animum in diverſa agentis: Si pateris rex, inquit, indicabo nonnihil, cuius hæc pagina admonet. Scribit amico Philocles, poſſe illum cum Proteſilao de re ſecretò agere, quam incognitis notis texiſſet. Quis dubitat Proteſilaum cum Philocle eſſe in eodem conſilio, amicitiámque inſtauràſſe tuo ipſius detrimento? illum non ignoras omnem moviſſe lapidem, ut Philocles mitteretur in Carpathios. Interea temporis ſuæ in eum temperavit dicacitati, qua alioqui oneraverat aures tuas. Quin oblata opportunitate in laudes eius excuſatiunculáſque perſtudioſè excurrit. Aliquamdiu nihil humanius utriusque congreſſu, officioſiùs nihil. Occultè inter ſe (quid dubitas?) conſtituerunt dividere occupatæ Carpathiæ Imperium. Ecquid vides, dum voluit non abiri ab hoc propoſito, totius rationis diſciplinæ quantumlibet inimico, claſſem tuam exponere præſentiſſimo diſcrimini, ne quid ambitionis ſuæ interciperet curſum. Niſi inter eos eſſent ſublata odia, Proteſilaum credis famulari velle impio Philoclis deſiderio? Omitte, quæſo, & noli porro dubitare, ambos eo conſilio rediiſſe in amicitiam, ut ad vires, quas etiam potentior metuat, & neſcio, an non etiam in ſolium hoc tuum eluctentur. Scio,

niſi candor hic meus te moverit, ut viribus & poteſtate tua exutos reiicias, eorum vindictæ me obiici: ſed porro ad me iſtud non pertinet. Satis mihi eſt, id, quod res erat, dixiſſe.

Magnam vim ultima Timocratis verba habuerunt. Deſinebam timere, proditionis damnare Philoclem, cœpíque Proteſilaum ſuſpectum habere, addictumque proditori meo. Interea monere Timocrates non deſtitit: occupata Carpathia non eſſe, quæ Philoclis iniici conſiliis poſſit, moram. Iuberem comprehendi, dum facultatis adhuc eſſet meæ. Tota cogitatione averſabar tantæ ſimulationis ſcelus, fruſtraque apud animum meum exquirebam, quem in arcanorum meorum ſocietatem deinceps adlegerem. Quippe proditore Philocle, audebam de fide univerſi humani generis dubitare. Statutum erat, primo quoque tempore locóque ab uſura lucis amoliri monſtrum tantæ perfidiæ. Sed eâ conſtantiâ ſuſceptum conſilium ipſe à Proteſilao timor ſuſpendit. Verebar tam ut inſons eſſet flagitii, quàm dignus, cui vel apicem arcanorum meorum deinceps aperirem.

Vicit tandem perturbatio conſilium, effecítque ut ſignificarem eidem ipſi, eſſe, cuius Philocles mereatur notari. Tum ille demonſtrare eius mores tam bonos, tam expertes pravi deſiderii: celebrare obſequia: nihil demum omittere, quod mihi ſuam amborum perſuaderet concordiam. Neque Timocrates diſtulit, me pluribus argumentis de conſenſu eorum convincere, hortaríque, dum liceret per tempus, Philoclem privarem vitâ. Hem miſeros reges, qui ubi contremiſcunt eorum pedibus advoluti populi, vel tum trepidare ſortem

debent

debent & vereri, ne populorum ludibriis obiectentur.

Haud ambigebam, fore illuſtriſſimum ex politici moris ratione facinus, ingénſque momentum ad infringendos Proteſilai conatus, ſi Timocrati ad claſſem occultè ablegato negotium darem occidendi Philoclis. At Proteſilaus, quantum poteſt humanum ingenium, fallebat; & me quidem eò faciliùs, quòd credebam, non niſi inconditè, præpoſterè, monſtroſéque poſſe iudicari eum hominem eſſe, qui ignorare non valeret ſe decipi. Iámque Timocrates ſe dederat in viam; & fortè Philoclem æſtuantem negotiis turbiſque offendit, dum exſcenſionem molitur in inſulam. Omnia quippe & ſingula deerant tanto negotio. Proteſilaus enim adhuc incertus, fictæne litteræ inimico ſuo eſſent allaturæ exitium; huius promovendi aliam præterea rationem putavit tentandam, ſitámque in eo, ut quod ipſe tanta ſpe auxerat, malè cederet maritimæ expeditionis conſilium; quo facto æmulus non poſſet offenſam meam ſubterfugere. Ceterùm tantæ molis bellum Philocles tum invicta animi magnitudine, tum viribus acerrimi ingenii, tum eximia, qua milites eum complectebantur, charitate ſtrenuè fortitérque geſſit. Et quamquam manifeſtum erat militi, claſſem ad inſulam ſine inſigni temeritate periculóque Cretenſium non poſſe admoveri: tamen non ſecus, ac de vita reque ſingulorum ageretur, ab omni exercitu eſt allaboratum, ut ſecundis rebus tentaretur exſcenſio. Iucundum cuique videbatur prompto paratoque ſemper animo ſubire diſcrimina duce tam provido, támque ſollicitæ humanitatis in ſingulos.

Ultima profectò metuere Timocrates debuerat, cùm tantæ multitudini caput tantopere dilectum ſatagebat eripere. Sed cæca eſt, furere cùm cœpit, ambitio. Nihil Timocrati grave, nihil moleſtum nimis, ut Proteſilao placeret, quocum ſibi, ut crediderat, ſupremam poteſtatem meî pollicebatur extincto æmulo. Proteſilaus certè ferre non potuit virum adeò integrum, qui ſceleratam conſcientiam eius vel ſolo caſtigabat aſpectu, omniáque conſilia poterat me ſalubriter admonendô perturbare.

Erant Præfecti duo, perpetuò agentes cum Philocle. Horum operam ſibi Timocrates obſtrinxerat, donísque ingentibus à me tribuendis pellexit in ſcelus. Tum Philoclem moneri curat, afferre ſe arcana à rege, quæ ipſi oporteret ſignificari: arbitrum præter iſtos Præfectos rei magnitudinem non pati. Quibuscum ubi eſt ad interiora diverſorii receſſum: ecce Timocrates haſtam infligit Philocli; at leviori, quam deſtinaverat, vulnere, in vanum lapſo ferro. Ille nihil his perterritus ſimul arma extorquet proditoris manu, præſens adverſus auctorem ſociósque ſceleris, auxilium; ſimul edito clamore accurritur: perfringuntur aditus: Philocles liberatur, in quem unum tres illi ſegniori ob conſternationem impetu irruerant. Comprehenduntur, diſcerpendi protinus (quæ erat multitudinis indignatio) niſi efferatum militem imperator ipſe repreſſiſſet. Timocratem deinde ſeorſim acceptum modeſtiſſimè cauſam interrogat, quæ eum impuliſſet, hæc ut pertentaret nefanda? protinúsque ille, metuens, ne ſilentio afferret ſibi exitium, tabulas exhibet, quibus imperabatur, ut Philoclem cæderet. Neque tunc (ùt

pro-

proditioni ſemper propria trepidatio) aliud cogitabat animo, niſi ut ſimpliciter prolatis, quæ à Proteſilao intendebantur, vitæ ſuæ conſuleret.

Cohorruit Philocles, cùm intelligeret, quantam malitiam humanæ mentis receſſus & latebræ occulerent. Moderatione tamen in hoc articulo rerum cenſebat utendum. Timocratem itaque non modò in concione pronunciat innoxium, & ne mali quid pateretur, curavit in Cretam referri; ſed & Polimeni tradidit imperium, quem occiſo Philocli in epiſtola ſubſtitueram; admonitíſque copiis fidei, quam deberent mihi, leviorem ſcapham de nocte conſcendit, à qua in inſula Samo expoſitus vitam tenuem, ſolitariámque, ceterùm remotam à turbis, nunc agit. Quippe ex ſtatuaria alitur, omnémque de exemplis perfidiæ mentionem & de regibus longè maximè aſpernatur, utpote quos & patiendi miſeria, & cæcutiendi voluntate putat ex omnium mortalium genere deterrimos.

Amplius dicturo Idomeneo hìc Mentor interpoſuit: Num ignorâſſet diu, ſibi imponi? Negabat Idomeneus; &: Paullatim, inquit, utriusque fraudes ſenſi. Ipſi turbabant ſeſe. Quippe gravis eſt pravitati concordia. Amborum denique ſimultas omnino aperuit, inquam detruſerant me, abyſſum. Eho! improperat Mentor! negligebas igitur & hunc & alterum tua dimovere domo? Túne verò (Idomeneus regerit cum gemitu) ignoras languere, trepidare Principes? actum de libertate regum eſt, cùm ſe tradidêre perverſis & audentioribus hominibus, qui nôrunt fraudulenter efficere, ut eorum operâ neceſſe ſit uti. Ex omnibus illos hu-

maniſſimè fovent, benigniſſimè accipiunt, cumulant gratiis, quibus omnium maximè viluerunt. Abominabar Proteſilaum: permittebam tamen perſeverare in imperio, priſtinæque graſſari dignitatis loco. Imò (quod ſtupendum) gratulabar mihi, noſſe artes hominis, neque tamen eram abrogandæ poteſtati eius, quam ipſe olim tribuebam. Accedit, quòd commodis erat moribûs, & obſequioſâ induſtriâ lenocinandi anhelanti ad illicita, acerrimus denique utilitatis meæ. Et ut paucis omnia: reperiebam in eo, quod moverat, ut meæ ipſius fragilitati patrocinarer. Nimirum exulabat à me veræ virtutis cognitio; quippe qui ignorabam rebus meis peragendis operam bonorum hominum eligere; ratus neque bonos ullibi terrarum, neque fidem, niſi in monſtrorum artifici cerebro reperiri. Unde ipſe non ſemel obloquebar mihi: quid iuvat rem grandem moliri, ut liberêre corrupti præſentia hominis, quo amoto neceſſe eſt tradere te in alterius manus eadem cupiditate, fraudulentia, dolo? Inter hæc claſſis reducta à Polimene. Neque ego obtinendæ Carpathiæ vel deſiderio vel cogitatione occupabar impoſterum. Proteſilaus autem nulla ſimulandi diſciplinâ adeò celare dolorem potuit, quem nuncii de incolumi Philoclis in Samon fuga illi inuſſerant, ut notas eius deprehendere non debuerim.

Iterum interpolato ſermone rogabat Mentor, comperto crimine num perſeverâſſet Proteſilao eundem in morem uti? Graviorum rerum, inquit rex, peracerbus hoſtis, liberique captator temporis, nolebam ab hoc homine expediri. Mutandus ordo fuiſſet, quem commoditati vitæ meæ aptaveram,

ram, inſtruendúsque alius negotiorum meorum adminiſter. Id autem ut agerem, numquam inducere in animum potui. Libuit ergo cæcutire, ut ne viderem quidem, quæ à Proteſilao gerebantur cum fraude. In eo duntaxat ſumma verſabatur mei ſolatii, ut ſignificarem quibusdam amicis, non ignarum à Proteſilao me falli.

Credebam altero tanto minus me decipi, quòd decipiebar ſciens. Per intervalla quoque faciebam Proteſilaum intelligere, ſe mihi gravem eſſe. Non raro volupe mihi erat, diſſentire ab eo: quæ egiſſet, caſtigare palàm: pluribus de rebús aliud atque ille ferre iudicium. At ſatis gnarum inertiæ meæ adeò Principis offenſa non deterruit, ut pertinaciùs etiam mihi inſiſteret. Aliàs ſeveritatis fervore importunior, aliàs præferens modeſtiam, lenitudinemque captare gratiam adnitentis. Sed longè acerrima cogitatione tum, quando amariorem me advertebat ſibi, novas temporis mihi fallendi ſcrutabatur artes, easque præcipuè, ex quibus neceſſe erat me aut deteriùs molleſcere, aut eo implicari incommodo, quod locum ipſi faceret, operam mihi navandi, quam alius præſtare haud poſſet, quantúmque rerum mearum ſatageret, multa prædicatione efferendi.

Quamquam autem magnopere ab homine nefario mihi cavebam, abripiebar tamen identidem mirabili eius modo cupiditatibus meis blandiendi. Ille me ſolari, cùm turbabar. Ille maieſtatem, ille potentiam meam, qua malè in rem ſuam utebatur, omnibus reddere terribilem. Paucis: animum inducere non potui, ut ab aula eum relegarem. Id ipſum autem, quòd foveretur à me, effecit, ut, quæ

ad ſalutem meam omnino pertinebant, de iis nemo bonus auderet loqui. Ex eo itaque momento torpebat liberè ſentiendi facultas in curiis. Arcebatur à me veritas. Occupatum erroribus iudicium, quod ruinam parat Principibus, ulciſcebatur in animo meo immolatum nefariæ Proteſilai ambitioni Philoclem. Qui hactenus tum imperio tum mihi ſtuduerunt præ cæteris, arbitrabantur, per ultimum nefas tanto viro extincto, à ſe deinceps exigi non poſſe, ut ſaniora ſuaderent regi. Quid? quòd ipſe timui, ne diſcuſſis fraudum nebulis per adulatorum cuneos, fruſtra renitentes, ſe veritas in oculos meos ingereret. Timui, inquam: quoniam odio mihi erat lux veritatis, quam ſequi haud amplius poteram; prævidíque vulnera, quæ illatura fuit conſcio animo, quin tamen integrum erat futurum exire, quibus tenebar, nefandis vinculis. Genus quoddam deſperationis omnino renuntiantis libertati erat, quo involvebar à voluptate ereptáque poteſtate mei, in quam ſenſim Proteſilaus irrepſerat. Tantam ergo miſeriam meam nec ipſe volebam ſcire, nec ſciri ab aliis. Nôſti, perdilecte hoſpes, quam putida perverſáque æſtimatione dignitatis ſuæ imbuantur etiamnum tenelli regum animi. Nolunt umquam erràſſe. Peccant iterum centies, ne credantur peccàſſe ſemel. Malunt circumveniri ſemper, quàm fateri, eſſe, quod ſemel iudicaverint perperam. Satius denique credunt, in errore perſeverare, quàm ſe ab eodem expedire. Atque hæc eſt conditio ſine vigore, ſine cura vitam agentium Principum, & ipſius quoque Idomenei, cùm ſolvendum erat in Phrygiam.

In-

Ingreſſurus iter, Proteſilao tradidi imperium; quod ille poſt diſceſſum meum arbitrio ſuo ſuperbè & avarè exercuit. Perferebat Creta tyrannicos mores eius cum gemitu. Quàm malè haberentur mei, ſcribere nemo ſuſtinuit. Palàm omnibus erat, me timere reddi de vero certiorem, permitteréque crudelitati ipſius Proteſilai, qui auderent de eo deterius loqui. Augebatur itaque ſignificandi metu ſubditorum calamitas. Cogebar inſuper eo ſuadente proſcribere Marionem, illuſtre caput, ingénsque mihi ad Pergama auxilium; ex quo ipſo in Proteſilao flamma invidiæ, qua concitabatur in omnes ſcilicet, quos ob argumenta non nullius virtutis diligebam.

Fuit hæc (quod credere te, amice, velim) omnium meorum caſuum origo. Neque enim in me concitavit Cretenſes mors filii, ſed Deorum potiùs ultio, ſceleribus meis indignantium, iráque populi, quam in regem conſciverat adminiſtri crudelitas. Ceterùm iugulato filio, imperandi ſævitia aliàs fatigati Cretenſes omnino abrupêre patientiam, dolórque ex poſtremo facinore vulnus prodidit, quod iam diu celabatur in animis.

Timocrates comitabatur in Phrygiam, Proteſilao diligentiſſimus proditor omnium, quæ ſecretò potuit reperire. Equidem captivum me ſenſi. Sed cùm deſperarem libertati, omittebam penſare id animo. Iam Cretenſibus reditum meum armis excipientibus, primi Proteſilaus & Timocrates ſpectabant fugam, deſerturi profectò regem, niſi eadem ferè, qua ipſis, celeritate mihi fuiſſet diſcedendum. Et nonne, ſodes, inſoleſcens ex ſecundis rebus ſuperbia, vertentibûs iîs, in pavorem deſinit?

Hæret, trepidat demptô, quod exercebat, imperio. Tantè ſerpit abiectior, quantò anteà inſolentior. Non citiùs attollas oculos, quàm illa ex aſtris ad inferos abripitur.

Ex his rogavit Mentor, quamobrem hæc duo monſtra hominum, quorum mores omnino pernoſceret, adhuc ſecum pateretur vivere? Non miror, inquit, ſecutos tuam fugam eſſe. Melior quippe rebus ſuis conſulendi non patebat via. Satis quoque intelligo, nihil egiſſe te à magnanimitatis inſtituto alienum, utroque eo, cùm auſpicabare novum Imperium, accepto in fidem. At quid illud eſt, quod poſt tam atrocia facinora cognita in eorum adhuc poteſtate ſis?

Ecquid neſcis (Idomeneus reſpondebat) experientiam nullam utilem eſſe Principibus molliter, ſine cura, ſine conſilio viventibus? habent, quod arguant, in omnibus; at non habent, arguenda qui corrigat, animum. Tam diuturna multorum annorum conſuetudo, quo implicabar his viris, catena quædam fuit, qua adſtrictus iiſdem iungebar continuô. Illi, ex quo hìc ago loci, perſuaſerunt, ut (quod vides) in ædificia pecuniam tantam coniicerem. Illi exhauſêre vires orientis Imperii. Illi finitimorum odia, armáque concitârunt in me, oppreſſura tuo deſtitutum opportunè advenientis auxilio. Illi denique idem maturâſſent in caput meum Salenti, quod in Creta, diſcrimen. At verò tuo nunc demum illuſtratus conſilio, eò proceſſi audaciæ (quo carebam hactenus) ut indignam ſervitutem à cervicibus meis eam depulſum. Et verò, quod in animo meo effeciſti, ipſe haud capio.

ſapio. Sentio inde à tuo in hanc inſulam adventu me in alium hominem abiiſſe.

His dictis interrogatur à Mentore, qualem hac rerum mutatione Proteſilaus ſe daret? Qualem, rex inquit, ipſa ſe dediſſet poſt adventum tuum aſtutia. Continuò ad ea ſingula progreſſus tentanda, quibus credebat poſſe mihi de te ſuſpicionem occultè iniici; nihil coram loquebatur damno tuo. Venêre autem ad me crebrò, monentes cum induſtria, cavendum à duobus hiſce advenis eſſe. Alter, inquiebant, proditoris (Ulyſſis) eſt filius; alter diſſimulator ſuî, & acerrimo ingenio, conſueti ambo aliud atque aliud regnum pervagari. Quid? ſi cogitant de regni tui exitio. Saltem præfractè audaces ſunt, & (quod affirmant) in regionibus, quas peragrarunt, auctores magnorum motuum. Hoc verò Imperium nondum adultum, nondum ſtabilitum, minimus quisque motus conficiat. Hæc alii.

At Proteſilaus illud agebat, ut futura ex rebus tuô conſiliô mutatis diſcrimina utcunque aſſequerer animo. Itaque propriæ ſalutis me admonere non deſtitit. Nempe populi tui, inquit, per te ſi nummati magis, rerúmque abundantes erunt, ad otium, ad faſtum, ad mentis hebetudinem, ad novarum rerum cupidos impigrósque deflectent mores. Debilitate virium unâ, ſoláque miſeria franguntur, imparésque fiunt laceſſendæ regiæ poteſtati. Contendebat præterea itérum atque iterum recuperare priſtinam auctoritatem, facilemque nuper meæ obſequentiam voluntatis elicere; quod propoſitum rerum mearum ſtudio, & commendatione meritorum ſuorum diſſimulabat.

Leva-

Levatis oneribûs populi docebat neceſſe eſſe vires meas levari. Atque inde ſubditis irreparabile damnum extiturum; ùt quos oporteret adverſùm noxias ipſis turbas ſervitute præmuniri.

Hæc prolixè diſſerenti ſimpliciter repoſui: Manſurum in officio ſubditum, ſi efficerem, amari ut debeam; nihilque præter onera remitterem ex iis, quæ ad auctoritatem meam referrentur: ſi item tenax ſuppliciorum futurus ſim, quæ deberentur ſceleri, neque ſtrenuus modò in accuranda prolis educandæ diligentia, ſed & acer coërcendi omnem populum, ne impune abeat à ſimplice, frugali, & laboribus diſtricta vita.

Aut reges, credo (ita diſputabam ulterius) continere ſubditum non poſſunt, niſi inedia perimant. Quàm inſana hæc civilis prudentiæ præceptio? quot gentes cernimus moderatè leniterque regi, quibus nihil Principi ſuo fidelius? ambitio & crudelitas Procerum, agendíque licentia, quam in ipſos prodigimus; immoderatio cupiditatum, quibus exporrigendis metam modumque à nobis non accipiunt; hæ profectò cauſæ ſunt tantorum in Imperiis tumultuum. Quibus adde, ſi aut maxima pars nobilium, inferiorúmque conditione molliter, delicatè, otiosè degit; aut indigenæ, cùm ab armis eſt vacatio, miſſis laboribus negotiíſque neceſſariis, numero quàm deceat maiori ſequuntur militiam. Verbô: capita defectionum ſunt populorum deſperatio, cùm ſuperbè avaréque ipſis imperitatur; ſævitia regum & intolerabilis elatio præter vivendi mollitudinem, qua impares redduntur obſervandis membris ſingulis Imperii, ut tumultibus poſſint antevertere. Hæc, inquam, capita ſunt de-

defectionum; non alimenta, quibus tranquillo ſubdito concedimus veſci, poſtquam ex agrorum cultu ea cum ſudore vultus ſibi comparavit.

Ab his ergo præceptis Proteſilaus intelligens me dimoveri non poſſe, ſtatuit præteritæ vitæ rationi aliam, eámque maximè adverſam inducere. Cœpit nimirum ex meæ diſciplinæ inſtituto agere, quam damnare non patiebatur ratio. Fingebat ſe illi aſſentiri; non poſſe repugnare; gratias etiam debere mihi, ex quo ſaniora didiciſſet.

Superat ille nunc vota mea deſideriaque. Quippe primus pauperum advocatus ante alios eorum calamitates nunciat: de immodicis Aulæ ſumptibus velut de re ſua conqueritur: te ipſum (quod noſti) probat: apertè innititur tuæ fiduciæ, & ſuperſtitioſa ſollicitudine officii ſe offert tuæ eiusdem gratiæ. Timocrates verò Proteſilai amicitiam minus iam colit. Imò fuit, ne parere deinceps illi debeat, cùm tentaret efficere. Unde Proteſilai offenſio, & utriusque ſimultas, quæ mihi ad cognoſcendam eorum iniquitatem non otioſum ſuppeditavit adminiculum.

Ad hæc ſubridens Mentor: Tam incredibiliter ergo delumbatîs viribûs eras, ut tot annorum tyrannidem, etiam ſciens, quorum exerceretur perfidia, tuleris? At ingemiſcens Idomeneus: Neſcis, inquit, quantas vires in regem deſidioſum & inertem habeat fraudulentorum hominum, cùm eidem ſe permiſit, aſtutia. Accedit, quòd (ùt dixi) ratio nulla ſit, qua tu ad ſalutem publicam uteris promovendam, quacum Proteſilaus modò non conſpiret.

Tum

Tum Mentor ad ſeveritatem compoſito vultu ſermonem revocans: Manifeſtum eſt, inquit, malitiam probitati à regibus anteponi. Argumentum ex te peto tragicum nimis. Equidem, quod ais, meo es illuſtratus conſilio, ut rectè Proteſilaum noſceres. At non es illuſtratus, quoniam adhuc imperare ſinis, quem nefas eſt vivere. Malos pares etiam eſſe faciendo bono, quis ignorat? Malum agunt utique ſine moleſtia; neque enim aut ſtimulos habent ipſi, quibus nos ad meliora impellimur, aut dogma ullum virtutis, quo revocamur ab illicitis. Sed tamen & bonum quandoque agunt non inviti, quoniam ad id moventur pravitate, tum ut ſpeciem conſequantur virtutis, tum adiumentum minimè ſuſpectum imponendi mortalibus ceteris. Et ut dicam, quod res eſt: capaces non ſunt virtutis, tametſi videantur exercere virtutem. Noverunt autem ſceleribus ſuis adiungere ſcelerum longè omnium ſceleſtiſſimum, hypocriſin. Quodſi boni aliquid ſimpliciter & perſeveranter decreveris: Proteſilaus, ne ſpolietur ornamentis ſuis, in ſocietatem eius non recuſabit venire. Quodſi autem vel umbra eum adverterit ſuſpicionis, te poſſe à melioribus facilè conſiliis dimoveri: næ ille curioſiſſimus erit, in antiquam te ſylvam ut retrahat, priſtinamque fallendi ſæviendíque licentiam recuperet. Potésne igitur honeſtum & tranquillum ſpiritum ducere, dum hæc peſtis in ore tuo dies noctésque pendet; dum fides, dum Sapientia Philoclis in Samo te ſciente profanatur tanta egeſtatis iniuriâ.

Nôſti, ô Rex, homines fraudulentos audacéſque, cùm præſentes ſunt, facilè in animos influere

vitiis

vitiis obnoxiorum Principum; contra verò (quæ altera nec levior miſeria regum) ex animis eorum non difficiliùs effluere virtutes & merita virorum abſentium. Multitudo hominum, quæ circumfluit Principes, non ſinit eos firmiter reminiſci ſingulorum. Illa duntaxat imprimunt animo, quæ & præſtò & iucunda ſunt. Ceteris haud onerant memoriam. Quæ autem virtutis ſunt, vel minimè vel raró inſidere mentem ſinunt, cùm ea non modò palpi nil afferant, ſed mores etiam eorum redarguant. Cui igitur mirum ſit non diligi Principes, cùm amplitudini ſuæ uni applaudentes præter illa, quibus delectantur ipſi, nihil ſibi putent diligendum?

TELEMACHUS.

LIBER XIV.

HIs dictis Mentor Idomeneo ſuadebat, ut Proteſilao & Timocrate dimiſſis Philoclem revocaret è Samo. Quòd ut ageret rex, nihil morabatur præter metum, quem ex Philoclis ſeveritate conceperat. Fateor, inquiebat, quamquam mihi & charus & plurimi ſit, aliquantum certè timorem ob reditum eius non poſſum abiicere. A teneris aſſuevi audiendis laudibus, ſummis ad gratiam amicitiámque meam aſpirantium contentionibus, placendi denique largiſſimo ſtudio; quæ quidem fruſtra ab homine illo expecto. Simul peccabam, ſimul triſti oris habitu conſueverat me peragere reum. Solitarius congreſſus eius à reverentia modeſtiáque commendandus; at ieiunus, remiſſioris ſtudii, & penè frigidus fuit.

Ecquid

Ecquid intelligis, Mentor his addidit, qui libero apertóque ſunt animo, aſſentatione depravatis Principum ingeniis quaſi ieiunos & difficiles deſipere? Quid? quòd demum etiam credunt languidos officii eſſe, ſuæque infeſtos potentiæ, cùm primùm eos vident abeſſe à ſervilibus moribus, nec paratos adulari ſcelera poteſtate ſua turpiſſimè àbutentium Principum. Quodlibet verbum ſine timore vel prolatum cum conſtantia, faſtum, dicacitatem, perduellionem ipſis ſpirat. Prolabuntur denique in exquiſitum adeò delicatúmque faſtidium animi, ut niſi adulationem perferre haud queant. Sed pergamus. Philocles ſeverus & aridus affatu eſt. Sit ita. Severitatem ergo poſtpones peſtiferis amicorum tuorum blanditiis? Quis ſine nævo? Imò ut verum & ego ſine timore dicam: Nónne is nævus eſt, quem minimè in amicis permetuas? Nónne is nævus, quo carere amicum haud decet, ut & emendentur tui nævi, & deſinas veritatem averſari, cuius nauſeæ te innutrivit adulatio? Homine opus habes, qui præter te & veritatem nihil amet: qui te plus amet, quàm tu ipſe intelligas, quantum amare te debeas: qui verum dicat tibi, etiamſi graviter id feras, omnémque excuſatiunculis, ad quas te verteris, præripiat locum. Atqui Philocles is homo eſt. Crede ſis, fortunæ ipſi anteire Principes, quorum tempora natalibus illuſtrantur tam magnanimi viri; gemma quippe Imperii eſt. Unde illud longè graviſſimum ſupplicium, quo à Diis rex vapulat, quòd virum talem amittet, quo niſi ſciat uti, meretur carere. Virorum bonorum quidem ſcire debes qua ratione cognoſcenda ſint vitia, neque tamen

ex

ex eo abdicare, quam dare poſſint, operam. Fac eos reducas ad frugem. Noli cæcos eorum impetus ſequi. Benignas tamen aures præbe dicentibus: virtutem, qua pollent, honora; & oſtende palàm, noſſe te efferre bonos, quem merentur, gradu. Præprimis autem prorogare ſtatum cave, in quo verſatus eras hactenus. Credunt depravati reges, tuíque ſimiles, ſufficere, ſe offenſos eſſe, à fide qui deflectunt, ſervis; tametſi pergant iisdem committere negotia etiam cum fide. Contra honeſtum ſibi ducunt bonos viros nôſſe: at præter nudas ſterileſque laudes nec aliud tribuunt, nec audent illis aut aliquid demandare negotii, aut aliquid impertiri vel amicitiæ vel gratiæ.

Cœpit dehinc Idomeneus affirmare, pigere dedecoris, quòd adeò cunctatus eſſet ſuccurrere oppreſſæ innocentiæ, pœníſque ulciſci perfidiam. Unde facilè Mentori erat, inducere regis animum, ut ſtatueret loco movere hominem, cuius tanta apud eum exiſtebat gratia. Quippe ubi Principibus aliquando perſuaſeris, ut gratos ſibi homines ſuſpicionibus acerbáque cogitatione perſtringant, diuturnæ moleſtiæ feſſi id moliuntur unum, ut liberum ab ipſis ſibi latus præſtent. Oboleſcit amicitia: veteraſcunt merita: & modò oculos liberent, gemitu caret amiciſſimorum calamitas.

Protinus ergo Hegeſippo, inter nobiliſſimos purpuratorum non ultimo, clam imperatum à rege, ut Proteſilaum, & Timocratem comprehenſos transportaret in Samon, iíſque in ea inſula depoſitis, inde Philoclem ab exilio reduceret. Hac

ſuper re Hegeſippo primum vehemens admiratio, deinde ſuperante lætitia etiam lacrymæ obortæ ſunt; atque: Nunc tandem, rex, inquit, facis, ut ſubditi tui eximia charitate amplectantur te, divum caput! Hæc illa peſtis gemina, quæ intulit, quidquid malorum pertulêre tui: quæ vicenos non minus graſſata annos bonis omnibus tot expreſſit gemitus, & (ô inaudita crudelitas!) ne iſtos quidem, prorſus liberos. Hæc opprimit, necat, quisquis ad te viam audet tentare, quam ipſa non ſtraverit.

Sigillatim deinde Hegeſippus regi permulta recenſuit, quæ nefariè crudelitérque ab iis erant geſta; Idomeneo autem tum primùm cognita, cùm nemini animus eſſet, eorum auctores accuſare. Retulit etiam, quæ de conſpiratione quadam in Mentoris caput detexerat, rege ſingulis nunciis non tam attonito, quàm in terrorem adducto.

Iam Hegeſippus ad excipiendum domi ſuæ Proteſilaum ſtrenuè contendit. Inferior hæc erat regio palatio magnitudine, commodior tamen iucundiórque opere & ſitu. Quippe & minus in architecturæ peccabat inſtituta; & ex ſanguine oppreſſæ egeſtatis maiora ornamenta dominus adiecerat. Is tum fortè morabatur in ſpatioſa aula ex marmore, & balneis appoſita; rerúmque omiſſior incompoſitum corpus abiecerat in lectum, ex purpura aureóque acus opere oſtentantem ingens pretium. Feſſum curis & exhauſtum negotiis exterior prodebat habitus. Oculi ſuperciliáque notas præferebant inquieti animi; quippe ancipites, parùm læti, aſpectúque, terrorem qui incuteret. Cingebatur à magnatibus & principibus Imperii.

Stra-

Stratis ſuo quisque ordine inſidebant, oculis in Proteſilai vultu defixis, & ſollicitè aucupantibus nutus, ceteráque eius. Acclamabatur vix orſo idoneas integro vocabulo ſyllabas, eæque omnibus oraculis præferebantur retrò ſæculorum.

Quidam ex primoribus multitudinis, quid quantúmque regis commodo & gratia Proteſilaus geſſerit, commemorabant oratione exaggerata ad riſum. Alius afferebat Iovem amatorio furto illius genitrici iunctum, unde ipſe ſpiritum, ortúmque ex Deorum Patre haberet. Fuit poëta quidam, qui progreſſus in medium, recitabat carmen, quo Proteſilaum contendebat magiſtras Muſas habuiſſe, & Apollinei ingenii adæquare miracula. Ab alio haud paullò impudentiori inventor bonarum artium, & pater populorum, ſuam ei debentium felicitatem, appellabatur, iis attributis affictísque, ut crediſſes Cornucopiæ eius ſeſe manibus devinxiſſe.

Atqui hæc linguæ obſequia Proteſilaus arido otioſóque vultu accipiebat, & contemnentis ſpecie, veluti qui nôrit maiores laudes ſe mereri, & æquô indulgere nimium, ſi laudes ſuas patiatur uſurpari. Aſſiſtebat inter alios, qui moris adulandi egregiè ſciens, ad cavillanda inſtituta, quæ Mentor Imperii bono cogitabat, liberè quædam Proteſilao iocabatur in aurem. Edidítque is modicum riſum, qui ab univerſo cœtu adſtantium, quamquam cauſa huius à plerisque necdum intelligi potuit, pari vultus hilaritate eſt exceptus. At illo conſuetam oris difficultatem arrogantiâmque revocante, ad ſilendi reverentiam magna cum cura paritérque eſt reditum. Multi nobiles

ſtabant ſuſpenſi expectatione momenti, quo fortè à Proteſilao eſſent reſpiciendi audiendíque, & præ ſe ferentes ſollicitudinem ex eo turbari animi, quòd ad efflagitandam gratiam erant acceſſuri. Supplicum habitus, quo ſuum quisque corpus compoſuerat, iîs etiam tacentibûs explicabat, quid vellent. Tantâque omnium videbatur demiſſio, quanta matres, ad infima altarium trepidantes, ſalutem hæredis unici à cœleſtibus ſollicitant. Credere fas erat, Proteſilaum omnibus plurimum probari, eximiè diligi, ob merita parem Deo cenſeri; quamquam æternum eius odium fovebant ſinu.

Tunc Hegeſippus intravit. Arma à Proteſilao repetit: indicat regis nomine, in Samon inſulam à ſe ducendum modò. Ad hæc verba faſtus, regio favore potentiſſimi, hominis non ſecus ac revulſum à præruptis ſcopulis fragmentum ruit. Ille trepidare: advolvi pedibus internuntii. Inundari fletu: hæſitare linguâ: præcipitare verba: palpitare: amplecti Hegeſippi genua, cuius paulò ante vultum dedignabatur. Egregii autem buccinatores laudum eius cum vidiſſent, non dignitate tantùm eſſe, ſed ſpe etiam ſalutis privatum, adulationi ſubſtituerunt ludibria, recenti miſeriæ, quantum poterant, inſultantes.

Hegeſippus ne moram quidem ei indulgendam ratus aut ſalutationis ultimæ ſuorum, aut ex interioribus & reconditis litteris nonnullas ſurripiendi; colligi omnia atque ad regem curavit deportari. Protinus & ipſe Timocrates vinctus eſt cum incredibili ſcilicet eius perturbatione. Nam quòd à Proteſilai amicitia abſceſſerat, haud putabat

bat fieri poſſe, ut cogeretur eiusdem caſum ſequi.

Parata navis utrumque avexit. Venitur Samon: deponuntur ab Hegeſippo uno eodémque loco; quæ res miſeriam eorum explet omnibus numerîs. Quippe mutua acerbáque commemoratione criminum ſeſe vellicant, quæ tanto damno ſuo perpetrârunt. Spes reditionis domum ſublata penitus; decretúmque, ut exilium procul ab uxoribus & liberîs ferant. Non addo: procul ab amicis, quippe quos non habent. Deportati ſunt in ignotam terram, ne aliunde quàm ex ſtipe operis diurni alimenta poſſint conquirere, qui diuturnæ luxuriæ apparatu abdomen ſaginârunt. Ferarum impetu ad mutuas cædes continenter aſpirant.

Interea Hegeſippus percontatur, qua parte inſulæ Philoclem reperiret. Nuntiatumque eſt, longiùs ab urbe & in monte eſſe: antrum incolere. Qui in mentionem eius cum Hegeſippo inciderant, paſſim mores hominis commendabant: Nemini, ex quo eſſet in inſula, gravem fuiſſe; imò ob patientiam, induſtriam & æquitatem animi magnopere indigenis placere. Nihil habenti nihil deeſſe: à rebus publicis quantumlibet remotum, vacuúmque tum fortunîs tum officiîs, haud omittere pro viribus adiuvare non indignos auxilii: numerari non poſſe, quibus modis curaret vicinis opitulari.

Pergit itaque Hegeſippus. Vacuam antri ſedem videt, liberoque aditu. Eâ quippe rerum inopiâ erat & morum ſimplicitate Philocles, ut prodeunti opus non eſſet peſſuli fidem invaſuris opponere. Culcitra ex duriore iunco. Solitus nihil cocti cibi

veſci ignem ferè abſtinebat ſpecu. Recentibus pomis per æſtatem conſulebat fami: hyemen aridis dactylis ficubúsque tolerabat. Sitim perennes aquæ reſtinguebant, quæ labentes è petra ſibi parabant receptaculum, quali aquas excipimus, idoneas ad potum. Inſtrumenta ad ſculpendas imagines ſupellex erat, librique non multi, quos ſtatis horis lectitabat, ut inde vacuis temporibûs documenta traheret probitatis, non ornamenta ingènio accerſeret, aut pabulum novitatis cupidini. Collocabat in fabricandis ſignis operam, ne otio corporis vires obtorpeſcerent, & ne deficiente, unde victitaret, alienum fatigandum eſſet auxilium.

Hegeſippus ingreſſus ſpecum, admirabatur opera, quæ tunc primam acceperant manum. Simulacrum Iovis vidit, cuius faciem ea maieſtas animabat, ut vel inde potuerit Deorum hominúmque Pater noſci. Alia ex parte minas ſuas ferociùs, quàm expectares ab imagine, aſpirabat Mars. Quæ autem oculos animosque feriebat præ ceteris, Minervæ effigies erat, urgentis Muſarum induſtriam. Oris generoſa ſuavitas, corporíſque ùt procerus habitus, ita non diverſus ab eo, in quem artus conſuevit natura componere. Motuum denique tam vehemens imitatio, ut videretur gradum non fingere, ſed moliri. In horum contemplatione aliquamdiu & periucundè verſatus, loco egreditur: Philoclem è longinquo aſpicit ſub inſigni arbore, in lætiori humo depoſitum, & vacantem libro. Appropinquat Hegeſippus. Viſóque eo, quid crederet, incertus Philocles: Fallor, inquit cum animo ſuo, an Hegeſippus huc ſe, ille, quocum in Creta tam mihi diuturna conſuetudo?

ſci-

Scilicet ille tam procul in deſertum hunc locum? imò manes eius à Stygiis huc commearunt vadis.

Hæſitanti Hegeſippus ſupervenit adeò, ut, quis eſſet, ignorare Philocli deinceps non licuerit. Ergo impetu inſolentis gaudii in collum eius ruit, &: Téne, inquit, intueor, diu mihi & verè amicum caput? quis te caſus, quæ procella in hoc littus? Cretam eccur deſeris? exemplo meo téne offenſa Principis eripuit Patriæ?

At Hegeſippus: Superûm me huc favor, non offenſa Principis duxit. Plurima deinde ab eo nunciata: ùt diuturna Proteſilai crudelitas, clandeſtina cum Timocrate peſtiferáque commercia; Idomeneo importata eo auctore mala; caſus & fuga Principis in oras Italiæ, Salenti origo. His de Mentore & Telemacho quædam adiecta: adventus eorum, præceptáque, quibus Mentor perſanâſſet regis animum. Nec de regis ira ſiluit, quam uterque proditor ſubiiſſet. Subiunxit, à ſe perductos in Samon, ut ipſi, quod Philocli per nefas peperiſſent, tolerarent exilium. Ad ultimum, regem ait velle, Salentum unà ſecum rediret. Scire regem, eum vacâſſe culpâ. Summis Aulæ negotiis præfectum iri, & cumulandum beneficiîs.

Ad hæc: Vidésne hoc antrum, Philocles inquit? feris quàm hominibus aptius receptaculum eſt. At in eo Philocles per tot annorum ſpatia iucundiùs quàm in Cretæ palatiis acquievit. Multum abeſt, ab hominibus ut iterum decipiar. Pridem hominibus hos oculos, pridem has aures peſtiferis eorum blanditiis clauſi. Scio carere utriſque. Occalluêre ad laborem hæ manus: facilè, quibus indigeo, ſimplicibus alimentis ſufficient. Lautis nil

opus. Præter tenuem veſtitum, quo tegor, nihil, ùt vides, requiro. Egenus omnium omnibûs abundo: turbarum vacuus, liber & beatus ſum; quibus bonis rectè uti me hi magiſtri, libri, docent. Quid ſupereſt igitur, ab invida, fraudulenta, mutabili mortalitate quod exigam? hanc mihi ſortem, Hegeſippe, cave invideas. Enim vero Proteſilaus dum regem fallere, me in exitium dare conſtituit, ipſe fraudi ſibi fuit. Neque enim ab eo volente mihi noxa illata, ſed à nolente ingens datum beneficium. Exemit me turbis: negotiis ſervilibus liberavit: in hanc ſolitudinem, in has oblectationes innoxias miſit. Revertere, Hegeſippe, ad regem, revertere! ſuſtenta cum eo unà maieſtatis miſeriam, & quod à me præſtari petis, tûte ipſi præſta. Mentorem nominâſti, ſapientem virum, qui vero caligantes oculos regis emendaverit. Hunc ergo iubeat ſecum eſſe. Me verò haud decet relinquere portum meo tam opportunum naufragio, & novis procellis exponi. Infelices ſunt, miſeri ſunt, qui ſerviunt regibus. Qui ſi mali ſint, quanta tormenta ſubditis, quanta in Inferis parant ſibi! & ſi boni, in quantas incurrunt moleſtias? quis enumeret laqueos, quibus poſſunt indui, mala, quibus opprimi? Repeto: hanc mihi ſortem, Hegeſippe, cave invideas.

Hæc tanta contentione dicente Philocle Hegeſippus vehementer obſtupuit. Occurrebat etiam, Philoclem cùm olim vacaret graviſſimis negotiis, macilento corpore tenuiſſimæque valetudinis fuiſſe. Ardor quippe numquam remiſſi animi exedebat eius vires: urebat ſcelerum impunitas: quæ rariſſima eſt, accuratam exquiſitamque operam agen-

agendis poſtulabat impendi. Atque ex hac rerum ſuarum induſtria vitium patiebatur aliàs non firmæ valetudinis eius affectio. Contrà habitiorem in Samo, & valentem viribus Hegeſippus offendit, Tam gravi ætate vultus receperat, quidquid amamus in florente adoleſcentia. Sobriáque & tranquilla vita, alienáque otii, aliam naturam expulſa deteriore videbatur ſubſtituiſſe.

Ad hæc Philocles lætiori ſpecie: Miraris, amice, alium me tibi reddi. Et formæ & valetudinis meæ damna ſolitudo reparavit. Per inimicos poſſideo, quantum à fortuna etiam nimium indulgente nunquam licebat expectare. Omiſſo igitur auro, ſequar ſcoriam, miſeriámque, quam damnavi pridem? Eſto, Hegeſippe, aut Proteſilao non immitior, aut certè non infeſtus, quod per Proteſilaum ſum adeptus, bono.

Neque Hegeſippus ſegniter etſi fruſtra protulit, quæ ad mutandum Philoclis animum videbantur idonea. Inter alia: Nihil ergo illud movebit te, quòd affines poſſis, quòd amicos dulciſſimos intueri, qui diſcruciantur expectatione reditus & amplexus tui? Deos times: officium amas. Et ſine religione negligis ſervire regi? miniſtrare facturo, quod optimum? beare tot populos? Placétne Diis inhumana ſapientia, quæ docet ſe unum præferre univerſo mortalium generi, & ſuæ unius tranquillitati conſulere poſthabita ſalute civium? quid? quòd videberis te ulciſci velle, ſi regem nolis aſpicere; qui, ſi eo unquam fuit animo, ut tibi malefaceret, ideò fuit, quia minùs rectè te noverat. Philoclem ſi quem deſtinavit ſupplicio, non is verus erat & bonus & iuſtus

S 5 Phi-

Philocles; ſed alius ab illo planéque diverſus fuit. Nunc certè, ex quo noſſe te didicit, & qui omnino es, intelligere, ſentit priſtinum Philoclis amorem in animo ſuo renaſci. Expectat te. Parat venturo amplexus: cum moleſtia & tui ingenti deſiderio dies dierúmque momenta numerat. Scilicet & precibus regis tui, & obteſtationibus omnium charorum reluctabere?

Philocles ſimul atque Hegeſippum agnoverat, ad teneritudinem demiſerat animum. Tunc autem referebat ſe ad priſtinam auſteritatem agendíque perſeverantiam, nec gratia nec precibus amici movendus graviſſimáque argumenta rationum facilè tolerans; nec impar ſcopulo, cuius conſtantiam inutiliter procellæ tentant, fractóque inter atroces ſonitus impetu relinquunt quaſi obſtrepentes victoriæ. At dum boni deſperatione eventus Hegeſippus torpet; dum futurum ſine amico reditum proſequitur gemitu: ecce Philocles Deos conſulit. Ex volatu avium, extíſque & ominum frequentia intelligit, Deos velle, ut Hegeſippo acquieſceret.

Prætermiſſis igitur recuſationibus ſe accingit itineri; etſi parùm lætus, quòd deſerenda ſolitudo erat, tam diuturnum habitanti ſolatium. Patiárne (antrum alloquebatur) eripi me tibi, amica ſedes, quæ tam dulces noctes mihi? tam bona diurnos poſt labores otia? tam aureas meæ horas inopiæ? Manantibus deinde lacrymis procumbens Naiadem adorabat, quæ perennes fontes ſitienti tanto tempore miniſtraverat, ceteráque Numina vicinos montes incolentium Nympharum. Excepit Eccho ſupremos luctus, eóſque ad omnes Dryades non multipliciùs quàm flebilius pertulit.

Inde

Inde Philocles cum Hegeſippo in urbem pervenit, profecturus navi. Haud aliud ſibi magìs perſuaſerat, quàm nunquam fore, ut Proteſilaus hoc pudore, hac indignatione velit aſpectum eius intueri. Fefellit tamen ea opinione ſe. Nihil enim tam vile, ad quod profanato ſemel pudore depravati fraudulentique homines non deſcendant. Philocles quidem (quæ erat eius modeſtia) latere volebat, ne conſpiceretur ab infelici hoc exule; veritus, ne viſo inimico, qui ex caſu ipſius erat ſublimior futurus, ſe magìs reputaret calamitoſum. At Proteſilaus, quàm licuit Philoclis captabat copiam; miſerabiliorem ipſi futurum ſe credens ex præſentia, ídque aſſecuturum ab eo, ut Salentum redeundi veniam ſibi deprecaretur à rege. Id verò ut Philocles ſe polliceretur facturum, aperti animi, quo erat, integritas non ſivit; abunde videlicet gnarum, quæ mutato Proteſilai exilio eſſent mala extitura. Contrà moderatiſſimè compellato impertiebatur miſericordiam; adhibitoque magnopere ſolatio, monuit, uti Deos integritate morum placaret modeſtiáque patiendi in difficillimis rebus. Cúmque intellexiſſet, bonis omnibus per nefas corraſis multatum à rege, duo ſe facturum eidem recepit, fide poſtea integerrimè ſervata: primò curaturum de uxore eius, liberíſque Salenti in egentiſſima egeſtate odióque publico relictis, deinde re pecuniaria miſerias ſublevaturum longinqui exilii.

Inter hæc ſerenum cœlum velis ſecundas auras immiſerat. Quas Hegeſippus impatiens moræ, ut maturaret abitum Philoclis, avidè ſequébatur. Conſcenditur navigium, ſpectante Proteſilao. Videbatur

debatur is littori immobiles oculos affixiſſe, adeò nunquam removit à navigantibus, quos per opportunos fluctus meliores venti ſtrenuè longiùsque auferebant à portu. Provecta navi, ut ad eam viſu haud amplius valeret pertingere, adhuc tamen inanes navigantium formas ſibi repræſentabat. Ad ultimum turbari, furere, crines vellicare deſperantium ritu, volutare abiectum corpus ſterilî ſolô, arguere inclementes Deos, mortem ferociter, ſed nequicquam depoſcere auxilio; utpote quam tantorum finem malorum nec merebatur habère, nec manu ſua audebat ſtatuere.

Neptuni aërîſque favor navem breviſſimo curſu Salentum devexerat. Nuntiatur regi intrare portum. Ergo cum Mentore properat in Philoclis occurſum. Amplectitur. Dolet palàm & vehementer illatam ipſi iniuriam. Quæ quidem doloris profeſſio regi à Salentinis non dabatùr culpæ, ſed inter magni excelſique argumenta referebatur animi, vitia ſua ſtrenuè perdomantis, eúmque confitentis in finem, ut ab iis reſipiſcat faciliùs. Manabant omnibus præ gaudio lacrymæ, tum quòd intuebantur virum re planè vera honeſtum, qui amâſſet cives, quôdque regem audiebant tam ſapienter, tam benigne loqui.

Philocles teſtimonia regiæ charitatis non reverenter minùs, quàm modeſtè accipiebat; magnopere deſiderans, ut fas eſſet, ſe civium iterum iterúmque acclamantium vocibus eripere. Perductus à rege in arcem eſt; eâque inter ipſum Mentoremque illico nata amicitia, ut quamquam tunc primùm loco iuncti, viderentur primis ab annis fuiſſe unà. Dii nimirum improborum hominum mentes,

mentes, ne nôrint bonos, obtundunt; bonorum, ut inter ſe noſcant, acuunt. Qui enim, quod virtutis eſt, ſapiunt; ubi primùm conveneſe, virtutis, quam amant, neceſſitudine coniunguntur. Cæterùm Philocles facultatem petebat à rege, ſeparandi ſe à conſuetudine hominum, & concedendi in locum Salento vicinum, purum ab humano cultu, turbiſque vacuum; ubi inopem vitæ rationem, quam in Samo tenuerat, proſequebatur. Rex ergò cum Mentore ventitabat eò fermè in dies: ibi conſultabatur de modo, quo leges poſſint ſtabiliri, & civilis diſciplina ſalutari ordine roborari.

Conſultationum porro duo capita erant, quæ præprimis examinabantur; educatio ſcilicet prolium, & quæ ratio morum tenenda vacuîs à bello temporibus? Et proles quidem, Mentor inquiebat, ad rempublicam videntur magis quàm parentes pertinere. Pignora quippe ſunt gentis ſuæ, ſpes, robur; quæ corrupta ſemel nullo pacto valent emendari. Neque idoneum, ſed nimis profectò infirmum eſt malæ educationis remedium, arcere illas à dignitatibus & officiis, poſtquam meruerunt arceri. Satiùs eſt prævenire malum, quàm cogi ad puniendum malum. Deinde rex pater eſt populi, magìs ergo (quæ flos eſt populi) Iuventutis. In flore curandum de fructu. Itaque numquam infra ſe rex ducet operam educandæ proli tum dare, tum ab aliis exigere. Numquam patietur negligi Minois leges, quibus ſancitum, ut liberi ab ineunte ætate doceantur dolores & mortem contemnere: gloriam in fuga voluptatis & divitiarum ponere: mendacia & ingratum, mollémque animum collocare in nefandis criminibus: laudes

laudes item concinere Heroum, qui Diis accepti, inſigniúmque pro patria factorum extitêre auctores, quíque ſpecimina fortitudinis ediderunt in acie: deinde non aſpernari dulces concentionum modulos, ut eruditas abſtergatur novellis moribus: faciles ſe præſtare amicis, fideles ſociis, æquos omnibus & ipſis adeò, qui acerbiſſimè oderunt; mortem denique tormentáque minus curare, quàm vel leviſſimè arguentem conſcientiam. Quodſi tam præclaris morum inſtitutis maturè admodum impleantur pueriles animi, eáque fideliter inſideant ſuavitate concentûs admota, pauci mehercle erunt, qui ad mirum virtutis deſiderium gloriæquæ non aſſurgant.

Addebat his Mentor: præcipuum eſſe, ut ſcholæ aperiantur, tum ut difficillimis exercitationibus corporis aſſuefiat adoleſcentia, tum ne mollitie otióque, peſte ſcilicet optimarum mentium, debilitetur. Requirebat inſuper acriori totius populi incitamento maximam varietatem in ſpectaculis; in illis utique, quibus corporibus aptitudo, agilitáſque & robur paratur. Statuta propterea præmia movendæ æmulationi ingenuis animis. Bonorum morum emolumento deſiderabat præprimis maturari iuniorum matrimonia, permittíque à parentibus & cognatis poſthabito rerum ſtudio, ut in tori ſocietatem legant ex corporis animíque dotibus placituras.

Dum autem de adiumentis agitur ad puritatem innocentiæ, induſtriámque unà cum diſcendi habilitate ac deſiderio gloriæ conſervandam in iuventute: armorum ſtudioſior Philocles Mentori obiicit: Fruſtra ſumus in inveniendis imperandíſque exer-

exercitiis adoleſcentiæ, ſi eam permiſeris perpetuo ab armis otio fatigari, ita videlicet, ut nec inſtituatur bellandi peritiâ, nec iubeatur virtutem ſuam mutua periclitatione experiri. Infirmabitur paullatim tota natio: emollientur acriores animi: ſerpet in mores voluptatis contagium: nec difficulter aut ægrè fiet, ut vincatur ab aliis populis, qui armis aſſuevêre. Atque ita vitando belli mala, malorum peſſimum; ſervitutem in caput gentis noſtræ advocabis.

Imò belli mala, Mentor reponit, longè ſunt, atque tu exiſtimas, horridiora. Exhaurit bellum Imperia: nec tum patitur umquam periculum abeſſe extremarum populationum, cùm nobiliſſimis victoriis geritur. Dent ſeſe quantumvis præclarè belli initia: an ideo vereri non debes, ne (quæ ſortis eſt varietas) ab illis perniciosiſſimè abludat finis? Præſtiteris numero longè multúmque adverſarios, cum quibus res tibi: at leviſſimo errore, temerario inaníque & de umbra metu extorqueri poteſt manibus tuis iam inſerta palma. Quin ſit in caſtris tuis poteſtati tuæ obnoxia victoria: perde hoſtes; & te ipſum peſſum ibis. Nudatur incolis regio: ſine cultu ferè obſoleſcit ager: turbantur commercia: mulctantur optimæ (id quod longè peius) leges; aliæ ex aliis clades afferuntur moribus: langueſcunt in iuvenibus litterarum ſtudia: patrocinatur neceſſitas militari licentiæ: affligitur iuſtitia, civilis inſtitutio; & quid non? Qui verò tantum ſanguinis effundit rex, tantúmque apportat miſeriarum, ut valeat aut pauxillum adiicere gloriæ, aut limitibus Imperii: is meretur

non

non tantùm prohiberi quæſitâ gloriâ, ſed & ùt ambitioſus raptor alieni amittere ſua.

Vacantibûs autem armîs qua exerceri ratione ingenita animis virtus queat, nunc habe. Vidiſti, quæ inſtituimus exercendo corpori. Regulas item accepiſti ex me virtutis & gloriæ, quibûs curabimus pueriles animos ab ipſis fere incunabulis informari cum concentu memoratîs frequentatîsque Heroum laudibûs, His adde, quæ de ſobria induſtriâque vita decrevimus. Sed nondum hæc omnia. Simul atque bellum cuidam ex ſociis inciderit, eò florem mittes iuventutis, habito delectu eorum, quos deprehenderis armis delectari, idoneósque præ ceteris, ut è rerum, quas experientur, uſu proficiant. Inde non mediocriter ſuſpicieris à ſociis. Captabitur tua amicitia, ab eaque inita haud facilè quis audebit deſciſcere. Ita non bellabitur quidem aut in terris aut ſumptibus tuis. Neque tamen umquam carebis perita iuventute, audacéque belli. Quamquam autem utaris pacatô Imperiô, non omittes tamen capaces militaris gloriæ præferre multitudini. Etenim tunc arcebis bella, & diuturnum tueberis otium, ſi ceſſari non ſinas ab armorum exercitio: ſi honos habeatur id genus vitæ cum laude profitentibus: ſi ſemper præſtò ſint, qui militantes extra patriam, & robur & diſciplinam didicêre, artésque, quarum in bello uſus finitimis: ſi bella nec impetu velis gerere ambitionis, nec delicato pavore incommodorum refugere. Tum demum, ſi numquam recuſes bellum aperta cauſâ vel inferre vel propulſare, efficies, ut plerumque vacare ab armis poſſis.

Quod

Quod ad fœderatos, rebûs ad arma pronîs, ſequeſtrum te dabis. Atque ita verior erit tua, certiórque gloria, quàm qua regnorum expugnatores adaugentur. Comparabis tibi amorem & admirationem exterorum, quippe quibus neceſſaria eſt tua opera. Imperabis ipſis per fiduciam non ſecus, atque ſubditis per auctoritatem regiam. Eris arcanorum omnium particeps, arbiter cauſarum civilium, magnésque animorum. Adorabunt famam tuam remotiſſimæ gentes, non abſimilem odoribus, qui per alias atque alias fuſi terras extremis mundi partibus delicias ſuas partiuntur. Iam offerat tibi iniuſtum bellum vicina natio: offendet te pugnare & doctum & paratum. Sed longè movebitur ampliùs, cùm videbit, te amicitia & auxilio plurimarum gentium niti; quæ tuâ cauſâ armabuntur, credentes, te minùs ſalvo ſalutem omnium periclitari. Atque hoc eſt munimentum longè tutius, quàm quæ ſeu murorum definiuntur ambitu, ſeu aliàs humana induſtria excitantur: hoc fundamentum veræ gloriæ. At quotus regum quisque eſt, qui inſtrumenta obtinendæ eius norit; & ſi norit, amplectatur? inanes umbras captant ſcilicet: verum decus, quoniam ignorant, prætereunt.

His dictis Philocles Mentorem intuetur vehementi admiratione affectus. In regem deinde converſo vultu advertit magna cum cura intimísque animi receſſibus ab Idomeneo recondi, quæ non copioſiùs quàm ſapientiùs alienigena proferebat.

Itaque Minerva, uſurpans Mentoris habitum, optimas leges ſaluberrimáque inſtituta tradebat, cùm ut effloreſceret Idomenei Imperium, tum maximè, ut luculentum exemplum obiiceret redi-

turo Telemacho, quantum & ad felicitatem populorum & ad boni Principis laudem ſtabiliendam regnandi prudentia afferat.

TELEMACHUS.

LIBER XV.

INterea Telemachi fortitudo in belli diſcriminibus enituit. Salentô profectus diligenter ſe dabat quærendæ eorum benevolentiæ, qui ſub galea canuerant, quóſque perfecta ſcientia pugnarum ad apicem evexerat militaris gloriæ. Neſtor perpetuam amicitiam cum Ulyſſe coluerat. Itaque non ſecus atque ipſe genuiſſet, Telemachum habuit. Tradebat ipſi præcepta, adiectiſque exemplis roborabat. Nec qui in iuventutem ſuam incidiſſent caſus, omiſit, ceteráque, quæ ad poſterorum memoriam vidit ab Heroibus ſuperiorum ætatum geri; quarum quidem omnino tres vixerat; adeò nihil inde eius offenſâ memoriâ, ut nec æra, nec marmora maiorem fidem antiquorum monumentis præſtiterint.

At Philoctetes à Neſtoris benevolentia in Ithacum initiò longè abierat. Clam Ulyſſem fuit, diúque averſatus. Igitur nihil amicior filio, permoleſtè tulit, quidquid videbantur Dii propenſiùs moliri, ut hunc iuvenem in gradu virorum, quos decus vaſtatæ Troiæ iamiam immortalitati initiaverat, collocarent. At ceſſit tandem modeſtiæ Telemachi Philoctetis invidia. Non poterat non amare tam manſuetum, tam moderatum in iuvene animum. Sæpe illo ſeorſim abſtracto: Equidem fili, inquit (id namque nominis tibi haud tribuo

invi-

invitus) diuturnum mihi fuit cum genitore tuo diſſidium. Gliſcebant vel extinctis iam Pergamis ſcintillæ fatalis odii; cúmque in conſpectum meum veniebas, grave mihi erat virtutem amare in Ulyſſis filio; neque ſemel caſtigabam meum hunc animum. At vincit denique tranquilla, ſimplex, moderata virtus, quidquid ei adverſatur. Solitarii ſubinde congreſſus Philoctetem ad funeſtæ diſſenſionis cum parente cauſam commemorandam peullatim deduxerunt.

A capite, inquit, exordienda ſunt, quæ mihi contigêre. Adhærebam ubique locorum comes magno Herculi, tot monſtrorum domitori; cuius magnitudini non magìs Heroes comparantur univerſi, quàm arundo quercui, aut trochilus aquilæ. Ut omnium tragicorum caſuum, ità & noſtrorum origo amor fuit. Hercules tot monſtris ſuperior, ſuccubuit turpiſſimæ voluptati. Sævi Cupidinis ludibrium, erubeſcebat ſcilicet, quoties reminiſcebatur, ſe usque adeò profanâſſe gloriam ſuam, ut aſſidens Lydiæ Omphalæ, ritu ſordidatiſſimi mancipii & omnium, qui amavêre, poſtremiſſimi, ancillarum penſa ductis ex colu filis obiêrit; tam impotenter ſcilicet amabat. Et ſanè haud aliàs quidquam apud me deflebat frequentiùs, quàm hoc facinus virtuti ſuæ multum, plurimum illuſtriſſimis laboribus dempſiſſe. Vos autem, Dii, noſtis, id eſſe humanæ inconſtantiæ, quæ duus blanditur firmitati ſuæ, infirmatur ad minima. Vah! magnus Hercules repetebat amoris iugum eiuratum toties. Amabat Deianiram. Beatum palnè hominem, amare ſi hanc perſeverâſſet conſortem thori. At Iole, cuius adoleſcentiam forma-

verant Gratiæ, depravabat Herois animum. Amatur. De quo cùm Deianira dolet acerbiùs: meminit prodigioſæ tunicæ, quam Neſſus, Centaurorum unus, ipſi iam moriturus relinquebat præſentiſſimum remedium ad amores Herculis reſuſcitandos, quoties ſuſpicaretur, ſê relictâ implicandum alienæ. Ceterùm hæc tunica ſanguine Centauri tincta venenum imbiberat, quale ſagittis, quibus hoc monſtrum perierat, vim inferendæ necis inſeruit. Noſti autem, ſagittas Herculis, quæ Centauri perfidiam multârunt, ſanguini Lernææ hydræ immerſas eam traxiſſe peſtem, ut vulnera, quæ inflixiſſet, medicandi opem reſpuerent.

Hercules ergo ſimul tunicam induit miſſam, ſimul ignem viſcera ipſàsque medullas pervadentem ſenſit. Unde doloris impatiens erumpit in horrendos eiulatus, ab Oetæ ſcopulis valliúmque profundis repercuſſos. Credidiſſes illìs concitari pelagus; neque enim mitiores ſunt, quos in arena tauri mugitus edunt. Lycas tunicam à Deianira attulerat, qui cùm auſus eſſet furibundum accedere, ab eo, efferato doloribûs, corripitur, nec difficiliùs, quam à funditore deſtinatus ad longiorem iactum lapis, in aëre libratur. Ruit infelix Lycas de montis cacumine, eliſus valida Herois manu; præcépsque in mare, commutatur in petram, humanæ formæ ad hoc tempus retinentem, & à vehementia fluctuum, quibûs aſſiduè percutitur, rei nauticæ peritioribus etiam longinquos facientem metus.

Cautior ex Lycæ interitu cavendum mihi Herculem duxi; quærebámque occultiſſimas latebras. Vidi ego his oculis, eum altera manu correptas altiſ-

altiſſimas abietes, & multorum retro ſæculorum iniuriâ ſuperiores, evellere non maiore negotio, quàm nos evellimus ſtipulas; altera infelicem illam peſtem, tunicam, ab humeris necquicquam amoliri. Quippe tam pertinaciter inhærentem, ut videretur accreviſſe corpori, diſcerpens, magis ac magis ipſe vulnerabatur, cute carnibúsque ſequentibus avulſas partes tegumenti. Manabat ex dilaniatis artubus cruor, eoque profluente ſquallebat humus. Tandem ſtrenuè collecto ex doloribus animo: Tormenta, exclamat, quibus me exanimari Dii ſinunt, Philoctete, vides. At ipſi iuſti; ego vero iniquus & reus ſum. Neglexi fidem, quam debebam coniugi. Tantus victor victas dedi (prô dedecus!) alienæ pulchritudini manus. Morior; & libet: iraſci ut deſinant offenſi Superi. At tu quò, amice, fugis? Dolorum magnitudo fuit, ut in Lycam crudelis exiſterem; & huius nunc pœnitet. Neſciebat miſer, quam ille peſtem mihi. Indignum fuit, quod intuli. Tu verò obliviſci me credis poſſe neceſſitudinis, & inſidiari tibi? Ah numquam erit, ut Philoctetem non amem! ille hunc ſpiritum trahat ex labiis, in quibus iam hæret: ille legat cinerum, in quos nunc abibo, triſtes reliquias. Ubinam ergo tu loci? huc ades amice, huc Philoctetes, ſpes unica, ſolatium unicum, quod nondum Aſtra mihi!

Movebant hæc lamenta, ut procurrerem in furentis auxilium. Aptare ille in amplexum brachia. At veritus, ne, qua ipſe deflagrabat, luem ex nexu attraherem corporum, hoc repreſſit ſe gemitu: Ah neciſtud iam licet ſolatii! Atque inter hæc verba ſolô paulò ante extractas arbores comportat: in

apice montis aggerit: in iis ſe collocat æquiſſimo animo: Leonis Nemæi exuvias explicat, diuturnum humeris tegumentum, cùm extremas terras monſtrorum excidio, ſaluti miſerorum peragraret. Tum applicans clavæ innixum corpus, ſuccendere me ligna iubet.

Palpitabant pavidæ manus in crudele obſequium; ſed neque negare id poteram tam calamitoſum ſpiritum trahenti, ut nihil iam eſſet, quod vitam ſuam gratularetur Diis. Verebar etiam, ob incredibiles anguſtias, ne quid ageret admiratione, quam rerum geſtarum gloria orbi extorſerat, indignum.

Ut autem vidit ignem concipi lignîs, auctiore ſono vocis: Nunc, Philoctetes, inquit, manifeſtè amas, quia mavis florere in poſteris Herculem, quàm vivere. Referant Dii. Ego verò tibi, quod in terris habeo pretioſiſſimum, has ſagittas tranſcribo. Lernææ hydræ cruorem biberunt: unde noſti ſanari non poſſe, quod lædunt. Quàm me, non minùs invictum terribilemque univerſo mortalium generi te reddent. Memento Herculem in fide mori, & quantum amaverit te, recordari ſemper. At ſi te miſeria amici verè movet, & iniquam ſortem eius doles, hoc, quæſo, ſolatium ultimum morituro adhibe. Promitte mihi, te nec mortem meam, nec ubi cineres meos depoſueris, ulli mortalium, dum vixeris, indicaturum. Promiſi, & prô dolor! cum deteſtatione quidem, ingenti lacrymarum vi effuſa in rogum, quo erat periturus. Emicabat tum ex vultu eius acrior lætitia; cùm ſubitò involvitur erumpente flamma, vocéque intercepta ferè oculis ſubducitur. Videbam eum aliqua adhuc

ex

ex parte, mediis ſcilicet flammis permittentibus aſpectum; erátque tum vultu ita ſtrenuo, ita exporrecta fronte, ut inter ſolennia gaudia in corona amicorum ſertis odoribúsque cinctum putâſſes exultare.

Quæ perire in Hercule poterant, celeriter flamma abſumpſit, nihil relinquens eorum, quæ naſcens ex Alcmena acceperat. Ceterùm volente Iove ſubtilem naturam illam & immortalem retinuit, illúmque de cœlo igniculum, qui vera origo eſt vitæ, & unius opus omnipotentis. Hunc ergo unà Olympo ſubvexit, epoto Nectare initiandus immortalium cœtui; accepítque à Diis Heben nuptui, mira venuſtate & iuventutis Deam, ac inter epulas olim ante Ganymedem Iovis, cùm biberet, miniſtram.

Deinceps ab Herculis obitu perpetuos dolores mihi creârunt ſagittæ, quas ut omnium Heroum decus ſuperarem, ille tradiderat. Factum haud multò poſt, ut icto fœdere nefandum Helenæ raptum vindicare reges decreverint, Priamſque regnum exſcindere. Verùm edita ſors ab Apollinis oraculo, niſi in caſtris Herculis ſagittæ fuiſſent, ſiniſtrum bellum futurum.

Ergo Ulyſſes genitor tuus, ùt erat conſilio ſummus, induſtria maximus, negotium ſuſcipit me inducendi, ut expeditioni intereſſe ſtatuerem, ſagittáſque eò perferrem, quas, quod ſciret, haberem ego. Diu erat, cùm Hercules nusquam apparebat terrarum. Nihil de eo celebrabatur novi facinoris: impunè proſiliebant ex latebris monſtra, & monſtris deterior hominum improbitas. Hærebat rei incerta Græcia, aliis affirmantibus vixiſſe, aliis

 con-

contendentibus, ad frigidam Arcton verſum, bellúmque Scythis moliri. At Ulyſſes haud dubius, abiiſſe è vivis, ex me, quod verum eſſet, obtinere conſtituit. Nondum dolor reſederat ex Herculis interitu, cùm ille pervenit ad me. Sine vexatione adiri non poteram. Gravius enim mihi erat, quàm ut Oetæ ſolitudines buſtúmque amici facilè deſererem. Damnatis omnibus occupabar duntaxat in depingenda animo imagine tanti Herois, provocandíſque lacrymis ex locorum aſpectu, quos conſcios tam triſtis fati cœlum voluerat eſſe. At vis & dulcedo ſuadæ, quanta demum cunque eſt, in ore genitoris tui habitabant. Videbatur dolere dolorem tantùm non meum. Flebat. Inveniebat denique viam, paullatim influendi in hunc animum, meamque in ſe accendendi fiduciam. Incipiebant ſermone eius mihi miſerabiles eſſe Græciæ Principes, quos aiebat pium, at me ſine funeſtum bellum ſuſcipere. Mortem Herculis autem à me fruſtra ſollicitavit, quippe quam tegere iubebat iuratum ſilentium. Ceterùm de ea nihil porro ambigebat; cœpítque perimpensè rogare, ubi Herois urnam depoſuiſſem.

Eheu! averſabar periurium: manifeſtabam tamen, quod prodere non poteram ſine periurio. Quod affirmaveram Deorum interpoſita fide, cùm violare non auderem, inſidiosè conabar eludere; rectè ab iisdem vindicatum. Pede ſcilicet tetigi locum, ubi combuſti reliquias cadaveris poſueram. Hoc facto ducor ad fœderatos reges. Nec ipſum Herculem excepiſſent lætiores. Traiicimus in Lemnon inſulam; ubi quanta ſagittis meis ineſſet virtus, oſtenſurus in exercitu, damam, ſucceſſuram

in

In nemus, ferire aggredior: cùm ecce telum per incuriam ab arcu defluit, perſtrictóque crure vulnus infligit, cuius adhuc perſeverant reliquiæ. Protinus ea percutiebar acerbitate ſenſus, cui ferendæ Alcides non fuit. Complebam diurnis nocturníſque clamoribus inſulam. Afflicta pars corporis manabat atro cruore & tranſeunte in saniem; infectóque aëre tam gravem odorem Græcorum inferebat caſtris, qui robuſtiſſimum quemque prohiberet ſpiritu. Ingens ergo fuit omnium militum conſternatio, cùm extrema me viderent pati: credebantque à iuſtis Diis hanc mihi plagam immiſſam.

Tam iniquîs rebûs Ulyſſes, auctor itineris mei, me primus omnium deſtituit. Atqui id mihi poſtea manifeſtum erat egiſſe, quòd publicam Græciæ ſalutem victoriamque omnibus amicitiæ commodíque ſui momentis antepoſuerat. Vacabant enim aræ: ceſſabant ſacrificia: horror vulneris mei indéque trahendi veneni, clamandi item acerbitas militem turbaverat. Deſtituebar ergo ſuadente Ulyſſe ab omni Græcorum exercitu; quæ quidem ratio civilis prudentiæ plena crudelitatis & petulantiſſimæ fraudis mihi viſa. At ô miſeram Philoctetis cæcitatem, qui tunc non viderim, iure humanam ſapientiam cum iratis Diis mihi reluctari!

Sub Troianam obſidionem ferme totam ſolitarius fui, nudatus auxilio, deſtitutus ſpe, egenus omnium, quibus vel delectari vel levari conſuevit humana calamitas. Dolores etiam ultimi præter ſquallorem loci, qui nihil admittebat ad hanc aurem, niſi concitati maris offenſíque ſcopulîs fremitum. Antrum inveni media hac ſolitudine, vacuum

T 5 huma-

humano cultu, & recedens ſub ſaxo, quod inde atque inde cornua erigebat capitis in modum. Carebant vitio perennes aquæ, quæ ex eo manabant. Ipſam verò ſpecum feræ occupaverant, à quibus perpetui in me allapſi metus. Congerebam folia molliendo ſomno. Reliquiæ fortunarum mearum erant poculum ex ligno rudi opere, & veſtes quædam, ex longiori uſu ineptæ ritè tegendo corpori; quas ad reprimendum ſanguinem, obligata multata parte, atque ad tergendum vulnus adhibebam. Itaque proiectus extra opem hominum & favorem Deorum, tempus ſtrage palumbium conſumpſi, earúmque volucrum, quarum frequens circum illam petram volatus erat. At ſi forte deieci ex aëre, quod eſſet in prandium, ſubeundus dolor erat, cùm inclinarem corpus ad tollendam humo prædam. Ita, unde viverem, tum paraverunt hæ manus.

Cibaria quædam prius, quàm abirent è Lemno, Græci mihi reliquerant; ceterum non poteram diu ex iis ali. Ignes conflictu tritúque ſilicum elicui. Hoc vivendi genus, quantumvis horridum, niſi pertinax dolor aggravâſſet, & pertinacior miſeræ conditionis meæ memoria, tantum abeſt, ut fuiſſem averſatus, ut duxiſſem etiam oblectationi, quoniam mortales à me removebat tam inanes recordatione beneficiorum, quàm plenos fraudibus. Sæpe indignatus animo: Itane, aiebam, itàne oportuit Philoctetem deſerere? Philoctetem ereptum patriæ velut eius vindicandæ inſtrumentum unicum, deſtituere in hoc exilio, & deſtituere, cùm artus ſopore reſolveret? Somno enim vacabam, cùm Græci claſſem auferrent ab inſula. Unde intel-

intelligis, qua perturbatione fuerim, quo fletu oppreſſus, cùm viderem è ſomno mihi redditus, patrias naves deſerta ſtatione in altum rapi. Graſſabar per inſulam: ſcrutabar locos immanes deterrimóſque aſpectu; at in meas duntaxat ærumnas incurrebam.

Hæc inſula non portu naves, non peregrinos mercium cauſâ accipit, nec ex iure, quod hoſpitibus commune, tuetur; ipſúmque littus nemo attingit hominum propoſito itinere. Ibi niſi ab inclementioribus undis eiectos haud repereris; nec alia atque naufragantium ſocietate potiêre. Sed neque huc appulſi audebant me admittere in navem & referre ad meos partim Deorum, partim Græcorum metu. Decem ipſos annos & ludibria, & anguſtiæ & fames mihi perferenda erant, aliàs inſanabili vulnere ipſâque inutilitate ſperandi penitus exhauſto, atque confecto.

Fortè à colligendis ad mitigandum vulneris dolorem herbis redibam: cùm inſignis ſpeciei iuvenem in antro meo intueor. Præferebat herois habitum. Achillem loquebatur lineamentorum conformatio, forma, inceſſus; niſi quòd levior ætas contradiceret. Deprehendi in ore eius notas miſerantis & perturbati animi. Vehementer dolebat, tam moleſtè, tam lentè à me ægrum corpus trahi. Acutúſque & miſerabilis eiulatus meus, ab univerſo littore reiectus multiplicî ſonô, eum adducebat in gemitum.

Ego nondum illi vicinus: Quæ te ſors, exclamabam, in hunc incultum locum? Novi & adhuc amo Græcum habitum. Ut iuvat audire vocem tuam, & ex ore tuo illos ſonos, ad quos linguam meam

meam accommodavi à teneris, hac autem in ſolitudine, tam diſtractus diu ab uſu hominum, verba conformare non potui! Meus hominis infeliciſſimi aſpectus, quæſo, horrori ne ſit, ſed incitamento miſerendi.

Neoptolemus erat; qui ſimul Græcum ſe profitebatur, ſimul ego: O dulce verbum, quod tot annorum ſilentio & numquam levatis doloribus meis interſeris! Quæ fors, mi fili, quæ iniquitas, imò quæ aëris clementiæ huc te mihi, calamitatis meæ, quam vides, allaturum finem? Ille: in Scyro natus, Scyron redeo. Filius Achillis habeor. Ecce tibi, quæcunque nôſſe ex me potes.

Avebat plura cognoſcere tam diu ſuſpenſa curioſitas. Itaque: tu verò (aiebam) fili parentis tam magni, tam mihi, tam Lycomedi altori ſuo dilecti! quomodo huc ad me? ain! Ille aſſerebat ſe ex caſtris Græcorum venire; méque obiiciente, ipſum in exercitu, cum primò tenderetur in Aſiam, non fuiſſe, quærebat, ubi tunc ergo egiſſem? Tu verò, reſpondebam, Philoctetis & nomen & adverſas res videris ignorare. Heu miſerum me! cuius fortunam inimici crudeliter onerant. Neſcit Græcia me pati. Heu gliſcit dolor! per Atridas (quod referant Dii!) per Atridas ſum miſer.

Subiunxi deinde furtivum diſceſſum claſſis noſtræ, additis querelis; quas ubi deſieram, ille pertexens ex ſuis: Poſt mortem Achillis, inquit; — interpellans ego: poſt mortem Achillis? patere, fili, turbari ſermonem tuum his lacrymis, Achilli quas debeo. Quin meo turbabis ſolatio; ita Neoptolemus. Quàm volupe Philoctetem intueri Genitoris illacrymantem funeri!

Tum

Tum regreſſus adoleſcens ad initia narrationis: Poſt mortem Achillis Ulyſſes cum Phœnice me venit conquiſitum, aſſeverans, me abſente Troiam numquam futuram Græcorum. Facile ſequebar monentes, quippe impulſus & dolore paternæ cædis, & ne tam celebri bello nihil de tanti Herois gloria in hæreditatis vicem mihi veniret. Attigi Sigæum. Illico circumfuſus advenienti miles iurat in me Achillem revixiſſe. At (prô dolor?) haudquaquam revixerat. Tyro eram non ætate modò, ſed uſu quoque rerum; neque dubitabam tamen omnia mihi polliceri ab iis, qui adventum meum tanto opere celebrabant. Genitoris arma ab Atridis poſtulo: cùm ferox reſponſum ab his: habiturum, quæ reliquiſſet Genitor; ceterùm arma Ulyſſi deſtinata eſſe.

Non tenui doloris impetu lacrymas; quibus tamen nihil motus Ithacus: Diſcriminum, inquit, diuturni belli exſors & puer, non eris particeps tam illuſtris ſpolii. Æquo maiora iactas, & grandiora poſtulas meritîs. Obtinebis numquam. Ergo multatus optima hæreditatis parte Ulyſſis iniuriâ, in Scyrum redeo maiore in Atridas, quàm Ulyſſem conceptâ ira. Dii ament, iſtos qui oderit! Hæc ſunt, quæ ſcire ex me potes.

Scitabar poſtea, cur tantam iniuriam Aiax Telamonis non averterit. Vixit, inquiebat Neoptolemus. Et ego cum clamore vociferans: Vixit? & adhuc Ulyſſes vivit? Imò, adoleſcens pergit, floret in exercitu. Ad varias deinde quæſtiones prolapſus ſciendi cupiditate, peto, quid Antilocho ageretur Neſtoris filio? Quî ſe haberet ab Achille quondam dilectus Patroclus? Et utrumque obiiſſe audiens,

audiens, reſumpto planctu: Quid? aiebam cum gemitu! obierunt? funeſtum eheu nuntium! Itane mors deſævit in bonos, parcit improbis? Ulyſſe ſalvo, quod ais, & Therſites utique adhuc fuerit incolumis. Hæc agunt Dii; & laudari à nobis volunt?

Protrahenti indignationem in parentem tuum, pergit Neoptolemus imponere, addens dolentis ſpecie: Dii me procul à Græcorum exercitu, in quo parere improbitati iubetur integritas. Melius erit mihi in peſſimis Scyri locis. Vale. Abeo. Sanent te Dii!

Ad hæc ego concitatiori voce: Per ego te genitoris manes, per dulciſſimam parentem adiuro, per quidquid chariſſimum in orbe tibi; in hoc exilio, his in ærumnis, quas pati me vides, ne Philocteten deſtitue. Equidem intelligo, quanto futurus ſim oneri. Sed & miſerum deſerere Græcis habetur dedecori. In proram, in puppim, in ipſam adeò carinam, aut ubi minimè tibi tuíſque moleſtus erit, Philocteten mitte, abiice, deprime. Præter magnanimos, quàm glorioſa clementia, nemo intelligit. Eripe me hoc ſterili ſolo, ubi nec cultûs humani veſtigium. Fac ſeu inſulæ, in qua es genitus, ſeu Eubææ adire littus queam, quod non procul ab Oetæ iugis Trachinéque, Sperchii fluminis riparúmque oblectat ſpectaculum. Redde me parenti meo, quem heu! quàm vereor, mortuum lugere ne debeam. Moneri curabam, navem ut mitteret. Aut occubuit; aut fefellêre, qui promiſerant, ſe monituros. Unus iam ſuperes, fili, derelicti Philoctetis Aſylum. Memento, quæ rerum humanarum mobilitas. Felix es. Ne miſer eſſe

eſſe merearis felicitatis abuſu, time; & ſuccurre alienæ miſeriæ.

Hæc doloris magnitudo expreſſerat. Promiſſô locô in navi, qua erat abiturus; redii, ſed lætiore vultu, ad gemitus: O lux, ter fauſta lux! & tu flos vernantis adoleſcentiæ, dulcis Neoptolome! Aſſurge, quod mereris, aſſurge in paternæ gloriæ faſtigium. Sinite, quæſo, qui liberatorem hunc meum comitamini, valere nunc iubeam exilii mei has triſtes ſedes. Aſpicite, qui me adhuc retinuerint loci. Inde quid perpeſſus, cogitate. Tuli, quæ nemo potuiſſet alius. Ferre ſcilicet neceſſitas docuit, magiſtra eorum, quæ aliàs perpetuò ignoraret mortalitas. Rudes ſunt, quos numquam ſiniſtra fortuna exercuit. Bona & mala in eodem ponunt gradu. Laborant vera cognitione & ſui & aliorum. *His* dictis ſagittas meas cum arcu ſumpſi.

Continuò Neoptolemus precibus à me eblandiri copiam earum oſculandi, quoniam tam eſſent illuſtres & ſacræ ex invicta Herculis manu. Ego verò: Quæ libent, age. Per te, fili, per te lumen, patriam, paternos canos, propinquos, méque ipſum recipio. Tange arma, quæ ego à fortitudinis miraculo; tange, & ex eo gloriare totius Græciæ unus. Neque cunctatus iuvenis antrum ſubiit, acturus quæ permittebam.

Interea præceps & acutus dolor primò rationis tentavit uſum, deinde eripuit. Poſtulabam ferrum decutiendo cruri. Fremebam cum eiulatu: Quousque torquebis inania deſideria mors provocata toties? Admove mihi, quas ego Herculi, faces, iuvenis! dehiſce tellus! abſorbe mortis ligatam victi-

victimam. Lapſus ab his anguſtiis ſum in conſueta deliquia animi. At ſudoris ingens vis relaxabat malum. E vulnere profluebat atro colore & depravatus cruor. Quid erat Neoptolemo facilius, quàm, me alienato à ſenſibus & colluctante cum deliquiis, auferre tela, avehere? ſed Achilles mendacem non generat.

Redditis ſenſibus adverti eum in magna perturbatione eſſe. Gemitus ferè edebat, quales ſolent, qui, quæ ſimulant, celare non poſſunt. Túne Philoctetem decipere? quid agis? Hæc præcipitanti mihi: In caſtra, inquit, mecum ibis. Et ego: Quid eſt, quod dicebas, fili? Arcum redde. Proditus ſum! ne tu vitam mihi! Ille tacere, leniter aſpicere, moveri nihil. Vos, littora, vos, qui inſulam hanc præcingitis ſcopuli! vos infelici mihi tamdiu contubernales beſtiæ! vos montium cacumina, quæ humanos greſſus non admittitis, ah! quæſtus meos admittite; quoniam vos præter non eſt, iniurias deplorantem Philocteten qui audiat. Domeſtica vobis iam ſunt mea ſuſpiria. Itáne ludar Achillis filio? prædo Divini ab Alcide ſpolii Troiam me abripit ſuccubiturum ſibi; non memor, victorem meî parem eſſe congredienti in pugnam cum cadavere, umbra, ſimulacro. Provocâſſet utinam Philocteten adhuc integrum! quamquam ne nunc quidem vi, ſed dolô aggreditur. Quid faciam? redde, fili, redde. Æqualem genitori te exhibe, æqualem tibi. Quid dicis? taces? Cautes Marpeſia! hæccine tu nudo, egeno, derelicto, famelico? tumulabit me hæc caverna. Direptus cœleſtî telô, feras quo perimam; perimendus ipſe paſcam ferinam rabiem. At tu, chare, melior

melior videris mihi, quàm ut agas dolô: mali nil cogitas. Redde, quæ mèa: apage!

Tum Neoptolemus voce paulò demiſſiori, uberrimôque fletu: Scyron, inquit, utinam deſeruerim, numquam! Nondum inane votum finierat: cùm ego clamore, qualem attoniti edimus: Vah! quid video? Ulyſſem? Et hic notæ vocis ſono reſpondit: Ulyſſem. Ipſe avernalis horror quantumlibet Diis intolerabilis viſu; minùs terruiſſet, quàm Ulyſſis aſpectus. Aucto igitur fremitu inclamabam: Teſtis tu, Lemne, mihi, infelix ſolum! Et vos, Phœbei ignes conſcii! hæc pati? His nihil offenſus ille: Iovis, inquit, imperium eſt. Iovi pareo. Túne tritâ mendaciis linguâ (ita confutans ego) Iovis profanare vocabulum? Viden' hunc iuvenem, cuius ineptum ad inveniendos dolos torques imperatîs fraudibûs animum. At Ithacus: adventus noſter nec fraudi erit, nec noxæ tibi. Adſumus, ut per nos liber, ſanus, particeps futuræ ex vaſtato Ilio gloriæ, atque tuâ deinceps in patria ſis. Ut non Ulyſſes, ſed Philoctetes Philocteti eſt hoſtis!

Tum verò tantis in genitorem tuum contumeliis probríſque debacchabar, quantum erat irritati ſtomachi & furoris ingenium. Quid me turbas, aiebam, Philoctetis deſertor, & deſertorum caput? I, labora, ſudâ, alge non modò ut vincas heroum decora, ſed & illecebrâ vivendi Paridem. I, fruere, quidquid cum Atridis fortuna tibi dabit; miſerias, dolores relinque mihi. Ecquid me cogitas abducere, umbram, mortuum, occiſiſſimum? Cur aliud hodie, atque ante tuum ex Lemno credebas abitum: me ſcilicet niſi cum religionis &

altarium interitu hinc vobiſcum abire non poſſe? Vah Ithace! vah malorum meorum origo fœcunda nimis! Quàm te Dii, velim! --- At Diis non audior, qui augent hoſtis rabiem mei. Ah dulce ſolum patriæ, qua perpetuò carebo miſer! Tu, ſi quod es, quod fata reliquerunt Philoctєti, æquum Numen! tu Ulyſſen plecte. Tunc enimvero me ſalvum quamquam miſerrimus reputabo.

Hac graſſantem maledicendi libidine pater tuus adeò non tulit iniquo animo, ut miſerentis etiam habitu aſpexerit; imitatus ſive morem eorum, qui, liberi ultionis induſtriâ, moderatè tolerant levántque efferatam adverſis licentiam, ſive rupem præcelſam, quæ altitudini conſiſa ſuæ ridet, invictâque ſuſtinet inſaniam ventorum, dum fatigati conquieſcant. Ulyſſes certè nec voculam repoſuit, ſed expectabat, dum concitatæ menti rediret tranquillitas; ſatis prudens, impetus animi, ſi coërcere ſit libitum, niſi conſumptis paulatim viribus langueſcant, necquidquam cohiberi. At verò ubi primum ſenſit mentem paulo æquiorem eſſe, decedente ira; hunc cœpit in modum: Quò tua ſe, Philoctetes, ratio, quò virtus abripuit? utràque, niſi cares, nunc utere. Recuſas ſequi, inſuper habito, à Iove te conſtitutum miniſtrum magni conſilii? Recuſa: mane. Atqui te ſic indignum efficies, cui libertatem debeat patria, ruinam infeſtæ ſibi urbis Græcia. Manebis ergo. Ego verò cum his armis ibo ad capeſſendam gloriam, quam fata deſtinaverant tibi. Age, Neoptoleme, eamus. Perdidimus operam: lapidi loquimur. Sævitia ſit ita miſereri unius capitis, ut Græciam totam ſinamus periclitari.

Tum

Tum enimverò me quàm Leænæ inceſſit haud levior rabies, ereptis catulis rugitu opplentis ſaltus. Tu plena horroris caverna (ita antrum invocabam) tu ſedes vivo, tu & tumulus eris conſumpto Philocteti! Tu doloris mei receptaculum; quod pro alimenti facultate ſpes meas alit. Huc cultros, quibus hoc pectus fodiam! huc milvi, accipitres, & me, me, inquam, abripite! parcet vobis in poſterum hæc manus. O arcus! ô pretioſum, ô ex Iove nati ſacratum pignus manu! Si tibi quis ſupereſt, Alcide, ſenſus, non iraſceris? En fideli amico erepta tela! in Ithaci fraudulentas & impuras tranſierunt manus. Huc in poſterum, ad antrum iſthoc meum, viventes rapto aves! huc indomitam rabiem numquam poſituræ beſtiæ! Nihil iam timoris, iam nihil noxæ habet hæc inermis manus. Adeſte! veſtrum en me pabulum! imò ignibus en tuis obvium hoc caput, Deorum hominumque immitis Pater!

At genitor tuus poſtquam diligenter adhibuiſſet, quæcunque perſuadendo humanum ingenium poterat invenire: optimum denique ratus, arma, quæ auferre cogitabat, reddere, Neoptolemum monuit. Qui cùm illico paruiſſet; armîs traditîs, quibus tam prolixè metuebam, permovit, ut in hæc verba gratias agerem: O qui & mereris & probas eſſe te Achillis filium! Sine inimicum meum percutiam. Et iam ibam in ſagittæ iactum: cùm ab interveniente Neoptolemo his acerrimè dictis reprimor: Furor tibi abſtulit animum, abſtulit conſilium. Non vides, quantum moliare nefas.

Ceterùm tam non movi Ulyſſem armatus fatalibus telis, quàm probrîs. Quid? quòd tactus ipſe

ipſe conſtantia & longanimitate eius, erubui inſanum impetum, quo arma expediebam in illum, qui reddiderat. At, perſeverante iracundia, hoc ipſum urebat me, quod arma deberem viro, quem acerbiſſimè oderam. Interea Neoptolemus: Scito, inquit, divinum Helenum de Priami ſanguine, poſtquam Deorum imperio monitúque Troiam deſeruit, nobis futura ſignificâſſe, Iliúmque deſiturum tum primùm, cùm invaderetur ab eo, cui Hercules arma ſua credidiſſet; quem ipſum non niſi ad Troiam & ab Æſculapii filiis ſanandum fore.

Hæc verba, ſimul ùt erant prolata, mentem meam vehementer diſtrinxerunt. Trahebat Neoptolemi candor, reſtituentis, quæ in Oeta acceperam. Contra libuit pertinaciter neſcire, cederémne Ulyſſis deſiderio; inconſulto pudore implicante animum & ſuggerente: méne cum Ulyſſe, cum Atridis eſſe? quid homines tum de me?

Ambiguum conſilii vox humanâ maior advertit. Hercules aderat, illuſtri vectus nube, ambientibus radiis; vultus mediocriter auſterus, artus robuſti, moréſque & geſtus nulla adſciti arte: quæ quidem facilè à circumfuſa luce diſcrevi. Auguſtiorem tamen formam, quàm cùm domaret monſtra, præ ſe tulit. Ille prior locutus: Herculem & audis, inquit, & vides. Deſerto Olympo huc veni, ut Iovis ex me intelligas effatum. Quanti Alciden immortalitas ſteterit, ignorare non potes. Sequendus tibi Achillis filius, & perſequenda mea ad gloriam veſtigia. Sanaberis. His ſagittis auctorem tantorum malorum, Paridem, feries. Expugnata urbe, Pæanti genitori tuo pretioſa ſpolia mittes in

in Oetam montem, futurum ad buſta mea inſigne partæ armis meis victoriæ monumentum. Tibi verò, Neoptoleme, denuncio, nec te ſine Philoctete, nec illum ſine te victorem futurum. Agite! ite, & Leones gemini eſtote, qui unà inveſtigant prædam. Erit, quod faciam, in Troade Æſculapius, Philocteten qui ſanet. Siquid aliud, religionem ama, obſerva, Græcia! Tranſeunt cetera; perennat religio.

His auditis exultabam ovantis in morem: O felix, o amœna lux, quam tot annorum diſcuſſis tenebris meliorem recipio. Habes obſequentem me. Supremùm ſalutatis hìs ſedibûs abeo. Vale chara ſpecus! valete, per irrigua hæc prata ludentes Nymphæ. Non accipient hæ deinceps aures, quos innoxiæ maris iræ vobis admurmurant, ſuſurros. Valete littora, quæ doluiſtis toties Philocteten ſeverioribus auræ incommodis premi. Valete vos in altum procurrentes ſcopuli, fidele, ſonô multiplicandis gemitibus meis auxilium. Valete dulces ſcatebræ, ſitis tam amarum adiumentum meæ! Et tu deniquè Mulcibero amata tellus, vale! Dimitte ſine noxa diuturnum tuum, Deorum amicorúmque voluntati obſequentem, incolam.

Sic diſceſſum ab inſula, ventúmque ad obſeſſam urbem. Divinis Podalirii & Machaonis artibus, quas ab genitore Æſculapio didicêre, aut ſanitatem debeo, aut certè hanc reparati corporis conditionem, in qua me nunc vides. Vulneris nec extat dolor, nec aliud, ex integro receptîs viribûs, veſtigium, niſi quòd leviter in inceſſu peccat tibia. Paridem ſtravi eum ferè in modum, quo hinnuli in ſylvis licentiam telum plectit, emiſſum venato-

ris manu. Arſit paulò poſt meum adventum Ilion. Reliqua nôſti. At verò calamitatis meæ memoria in animo meo vel tum alebat Ulyſſis tam acerbum odium, ut omnis virtus eius extinguere nōn valuerit. Ceterùm aſpectu filii, tam æqualis genitori, tam amandi mihi, emollior, ut & patrem amare incipiam.

TELEMACHUS.

LIBER XVI.

DUm caſus ſuos Philoctetes commemorat, videbantur omnes ſenſus Telemachi ſuſpendi. Certè ne minimo corporis motu dicenti obſtrepuit. Hærebat totus in tam illuſtri perſona Herois. Diſſimillimos animorum ſenſus, qui iam Herculem, iam Philocteten invaſerant; & aliàs Ulyſſem, aliàs Neoptolemum turbabant, omnes & ſingulos eo, quo in narrationis ſeriem incidebant, ordine in vultum Telemachi candor ingenuæ indolis induxit. Aliàs immemor ſui, ignarúsque quid ageret, vocem non integram interiecit loquenti. Aliàs videbatur toto animo cogitans ùt fere, qui ſtudiosè graviſſima penſitant. Credi potuiſſet, cùm Philoctetes Neoptolemum rudem ad ſimulationem, ideóque perplexum, commodiùs exprimeret, Telemachum eadem ambiguitate intricari, ipſúmque Neoptolemum rurſus pudefieri in Telemacho.

At Adraſtum Deorum fideíque, qua commercia humana conflantur, contemptori, fœderatæ copiæ petebant cum induſtria. Difficillimum Telemacho erat, tot regibûs mutua æmulatione ferventibus,

ſatis

ſatis ad omnia prudentem eſſe. Oportebat enim & illorum omnium ſuſpiciones, & cauſas offenſionum prævertere. Ingenium eius minùs blandum, quàm rectum atque integrum, ferè aſpernabatur, quæ cæteri ambiunt hominum. Torpebat ad divitias. Sed nec artes inveſtigabat, quibus ditaret alienos loculos. Nobilitas animi eius commendabatur, quod propenderet ad honeſtatem. Argui tamen poſſe videbatur languentis in alios officii, credíque ſecura amicitiarum; nec amica largiendi, nec ſtudioſa referendæ vicis cultoribus ſuis, nec attenta ad merita diſtinguenda hominum. Deſtinata ſemel non penſabat ampliùs. Ad hunc faſtum arrogantiámque mores eius invito Mentore Penelope mater detorſerat, unde etiam illis rebus, quæ maximè in iuvene debebant amari, afferebatur obſcuritas. Tantus erat æſtimator ſui, ut crederet ſe prævalere univerſis bonitate naturæ: genúsque hominum ideò duntaxat in orbe collocatum à Diis, ut in iis voluntatis ſuæ haberet mancipia, quorum eſſet, cupiditates domini ſolerter præſentire, ſtudioſè adiuvare, in eúmque velut præſentem Deum omnia referre: ſatis denique à ſe compenſari obſequia, ſi admitteret. Debebant poſſe fieri, quæ libebant ipſi. Minimáque in iſtis mora impetum efferveſcentis eius ingenii movebat.

Has naturæ affectiones conſideranti cenſendus fuiſſet, nec niſi ſe amare ipſum poſſe, nec niſi gloria ſuâ delectari, & quibus adiuvetur impotens cupiditas. Ceterùm quòd tam ſine diſcrimine habebat univerſos, nullámque curam præter illam ſuî, vitium erat cupiditatum violentiâ ſemper incitati eius animi. Adoleverat inter maternas blan-

ditias, miſerabile exemplum illorum, qui vulgo meliores genitores ſortiuntur. Fortuna quanquam pertinaciter & à teneris eidem adverſa, non poterat hos impetus, hanc depravatæ indolis ferociam extinguere. Nudus omnium, ærumnis coopertus inſolentiam tamen non detraxit moribus. Depreſſáque identidem, reparatis viribus, erigebat ſeſe; veluti admittendis flexibus non inepta palma nec maximo cedit ponderi, ſed contra enixa perpetuò reluctatur.

Ceterùm quamdiu cum Mentore iuvenis fuit, hæc ignorabantur vitia, decreſcebántque in dies. Ut enim aſper & ex paſcuorum licentia petulantior ſonipes, quem nec abrupta montium, nec ad immenſitatem exeſæ voragines, nec aquarum torrentium obiectus abſterruerunt, ſæpe notam unius hominis vocem dexterámque ſequitur: ita turgentem altis ſpiritibus Telemachum medio iuvenilium cupiditatum impetu, curſúque vel unicus à Mentore aſpectus inhibuit; admonitúmque ſalubrium præceptorum, revocato honeſtatis affectu, emendavit. Decedebat ex vultu iuventutis ferocitas caſtigata ſenili prudentia, priórque facilitas ſeſe reſtituebat ori. Neque Neptunio Tridenti in inſanientes fluctus aërîſque intemperies, quantum in Telemachi impetus Mentori imperium.

At poſtquam ab hoc magiſtro ſuæ ipſius fiduciæ eſt permiſſus, compoſiti tantiſper motus velut magnæ & vehementes aquæ obverſa ingenti mole ſe laxârunt. Oderat Lacedæmoniorum ſuperbiam, Phalantis maximè, qui illos ducebat. Tarentum condituri huc venerant loci, iuvenes ferè, & ex naſcendi tempore (quippe in Phrygiam profectis Græcis editi)

editi) longè deterrimis moribus inde à teneris imbuti. Natales ſpurii, matrum licentia, indulgentia educantium, qua nihil fuit intemperantius, omnino peregrinam quandam importunitatem ſævitiámque ingeniis eorum inſeruerat. Prædones potius crediidiſſes, quàm colonos è Græcia.

Et Phalantis quidem præcipua cura erat, Telemacho, quoties potuit, contradicere. Sæpe in concilio intempeſtivè ſe eidem ingerebat dicenti ſententiam. Relegabat ad iuvenilis rerùmque imprudentis ingenii partus, eius conſilia; nec ipſum liberaliùs, quàm affinem mulierum crepundiis, accipiebat. Diſpertiebatur Præfectorum auribus errores Telemachi, quos vix Minois tribunalia carpſiſſent; perperam attentus, ut Ithacii mores, non immunes à faſtu, invidiæ omnium ſociorum obtruderet.

Fortè quidam hoſtium in manus Telemachi venerant. Contendebat Phalantes, ex lege ſuos eſſe, quòd ſe duce viciſſent Lacedæmonii; Telemachus verò cæsis iam fugatisque Dauniis ſuperveniens, ferè otioſus fuiſſet, niſi quòd condonatâ vita captivos in caſtra deduxerit. Contra ille affirmabat ſuam unius operam, ne Lacedæmonii ſuccumberent, obſtitiſſe; proindéque ſuam unius eſſe victoriam. Ergò ſuam quisque cauſam defenſum contendunt ad unitos reges. Verùm ea fuit Ithaci impotentia, ut etiam minas intentaret æmulo; ventúmque hoc impetu fuiſſet ad manus, niſi, qui aderant, rixam diſtraxiſſent.

Hippias erat Phalantis frater, virtute, robore habilitate agitandi corporis ante alios celebris in exercitu. Æquabatur à Tarentinis Polluci pugnâ

cæſtuum, Caſtori equis moderandi peritiâ. Parem ferè Herculi nervi, & ſpecies reliqui corporis fecerat, omnibus autem terribilem amor litium & vecordia; quæ viribus corporis eius, animique longè anteibant.

Hippias ergo videns, quàm ferociter Phalanti inſultaret Telemachus, ſtatuit, nondum enunciatâ regum ſententiâ, captivos celeriter occupatos Tarentum abducere. Quod ubi Telemacho eſt nunciatum, ira in furorem verſa concuſſus proſilit è concilio; aprique more, ſpumantis in eius veſtigia, à quo accepit plagam, per caſtra præceps, crebráque iactatione roborans futurum in vulnus ſpiculum, oculis requirit hoſtem. Eo reperto ad primum obtutum furor iuvenis altero tanto accenditur.

Vidiſſes iam non eruditum ad ſapientiæ myſteria à perſonata Pallade Telemachum, ſed aut furibundum hominem, aut rugientem feram impotenti rabie. Siſte, acclamat derepente Hippiadi; ſiſte, homuncionum viliſſime! Videamus, utrùm mihi valeas, quos vici, eripere. Non abduces Tarentum. Apage, & ad umbroſas Stygiæ paludis crepidines proficiſcere. Simúlque in hoſtem emittit ſpiculum. Ceterùm ea feſtinatione præcipitis doloris egit, ut perperam demenſo vulnere, telum planè innoxium fuerit. Ergo dexteram ſtrenuè transfert ad gladium. Erat hic aureo inſignis capulo, iuveni, cùm proficiſceretur ex Ithaca, à Laërte donatus, inſtrumentum illuſtriſſimorum facinorum, tepefactus multorum ducum ſanguine, cùm Epirotas cladibus domaret.

Vix

Vix Telemachus hunc gladium ſtrinxerat; cùm Hippias uſurus viribus ſuis, ſtrenuè congreditur eo conſilio, ut gladium æmuli manibus eriperet. Sed fractum telum eſt & retinentis & eripere conantis manu. Ergo medios amplexi ſeſe, comprimuntur. Feras putes, quarum altera alteri iniectis unguibus ſignat interitum. Fulgurant oculi: coguntur latera; extenduntur artus: curvantur flexi: eriguntur: inſiliunt: inflammatur ſævitia; iámque arctiùs committi non poterant. Hærebat pede pes; manus manu premebatur: tamque nullum diſcrimen relinquebant amborum innexa corpora, ut in unum viderentur coaluiſſe.

At Hippias uti præſtabat ætate, ita annis molliorem Telemachum credebatur deiecturus. Et iam perducti ad anhelitum Ithaci lababat genu. Quo viſo, acriùs inſtare Hippias. Actum erat de Ulyſſis filio; proximúmque, ut lueret iracundæ temeritatis incontinentiam. Et luiſſet profectò, niſi in fine pugnam Minerva vertiſſet, quæ ſalutem Telemachi curabat abſens; eúmque propterea conflictari patiebatur huic ultimo diſcrimini, ut inde præcepta futurorum erueret.

Ad ferendam autem illi opem Salentum non deſeruit. Cœleſtem duntaxat nunciam (Iris hæc eſt, qua nihil celerius) miſit; quæ cùm incitata levitate pennarum laberetur per immenſa aëris ſpatia, relicto poſt ſe ingenti luminis tractu, nubem mira varietate coloris effinxit. Humum non tetigit priùs, quàm impenderet littori, cui applicuerant caſtra innumerabiles ſociorum copiæ. Spectabat è longinquo pugnam, impetus, contentionem, qua ambo luctatores utebantur. Cohorruit

ruit viſo Telemachi periculo. Nubi deinde involuta, in quam tenuiſſimos vapores coëgerat multo internitente lumine, rixantibus eo puncto ſupervenit temporis, quo Hippias, ſentiens omne robur in lacertos ſuos concurriſſe, ſibi pollicebatur victoriam. Traditam à Minerva Ægidem alumno eius prætendit. Unde ille reſpirare, profligatas vires recipere. Turbatur Hippias, quò oppreſſum pene hoſtem videt magis magisque confirmari. Inuſitatum & divini quid ſentiebat eſſe, quo audacia vigòrque ſuus elidebatur. Inſtat Telemachus: aggreditur alio atque alio ſitu corporis infeſtus: huc illuc impellit: iactat, urget, premit. Denique arietat in terram; ipſe abreptus ſupino Hippiadis lapſu ſuper æmulum corruit. Eáque fuit utriusque cadentis vis, ut ferè mitiorem caſum crediderim eſſe Idææ ilicis, quæ plures lignatorum manus ſecurésque fatigavit.

Interea Telemachus recordatus, quæ à Mentore didicerat, ſapientiæ & fortitudinis præcepta; ſimul ùt ſub pedibus Hippiadem aſpexit, ab animo ſuo cœpit caſtigari, quòd fratrem unius de ſociis regibus, ipſe ſocius huc profectus, iſtis modis fuiſſet adorſus. Repetebat cum rubore Mentoris diſciplinam, ſaluberrimáque monita. Averſabatur victoriam, quàm retuliſſet, dignus vinci. At Phalantem iam non ira præcipitabat, ſed rabies in fratris auxilium. Telum abripuerat ſecum; eóque percuſſurus erat incumbentem Telemachum, niſi periculum fuiſſet, ne unà fratri, quem ſub hoſte reſupinum pulveres obruerant, inferret noxam. Nihil impediebat Ithacum, quò minùs Hippiadem perimeret. Sed excluſâ iam irâ id unum laborabat, ut

præ-

præferendô reſtitutum ex vehementi iracundia animum, qualecunque admiſſo errori patrocinium procuraret. Itaque prior erectus in pedes: Satis mihi eſt, Hippias, inquit, documentum te habere, iuventutem meam ſemper vacare dedecore. Vive, mihi quidem perpetuum robuſtæ fortitudinis miraculum! Salvus ſum Deorum tutelâ, quibus te oportet decedere. Age! deletâ omnis odii memoria in delendos Daunios iungamus & vires & conſilium.

Hæc loquente Telemacho, humo ſe colligit Hippias, ſudore & ſanguine non magis, quàm verecundia perfuſus, nec occulta fremens indignatione. Phalantem, tam magnanimo largitori fraternæ vitæ mortem inferre non auſum, conſilio & poteſtate ſui furor privaverat. Accelerati reges hinc Telemachum, hinc Phalantem cum fratre trahebant in diverſa; quorum ultimum oculos attollere non ſinebat dolor tam malè multatæ inſolentiæ ſuæ. Milites autem ſatìs mirari non poterant, hanc ætatem, nondum adultis viribûs, ſuffeciſſe Ithaco ad proſternendum adverſarium, cui negabant ſuperiores aut firmitate corporis aut mole eos ipſos fuiſſe, quorum temeritas Olympum, deturbatîs Diîs, ſedem decreverat.

At multùm abfuit, ut Telemacho læta victoria exiſteret. Dum multitudo ſuſpicit, dum alia ex aliis argumenta invenit admirandæ eius virtuti: ille ſolus in tabernaculum ſe coniicit, in admiſſo errore prolixiſſimè erubeſcens, & acerbiſſimus accuſator ſui. Deteſtabatur fervorem præcipitis ingenii: quàm ab æquo, à ratione conſueverit abire in vehementiori iracundiâ, agnoſcebat: advertítque

que hanc agendi inſolentiam ex animo incredibiliter vano, anguſto, humilíque prodire; veram autem excellentiam ex affectuum moderatione & amore iuſtitiæ, & rurſus ex modeſtia morúmque facilitate naſci. Quibus, etſi tunc omnino perſpectis, alium tamen, & meliorem ſe fore toties reus ſperare non audebat. Itaque concerptus diſſidio ſeſe increpantis arguentíſque animi, ita triſtitiæ ſe dabat, ut rugire potiùs videretur, quàm lamentari.

Biduum in ſolitudine abſumpſit; non prodire, non ſociari cuiquam auſus, ac velut ſponte captivus & vindex ſui. Vah! clam exprobrabat ſibi: Egóne aliquando videre Mentorem? Egone Ulyſſis genus, ſapientiſſimi poſt natos homines, & totius Græciæ longè modeſtiſſimi? Méne huc Mentor, huc Idomeneus, ut fœdere unitos populos turbis, diſſenſionibus divellerem? Horúmne ſanguinem, an Dauniorum oportuit fundere? Me inſanum bellatorem, qui iaculi mei officia neſcierim! Hippiadem impar viribus provocârim! Sperare, niſi mortem, haud poteram, probrúmque amittendæ victoriæ. Et quid tum? fuiſſem ſcilicet. Imò fuiſſem ego; ille temerarius, ille vecors, ille ex ſaluberrimis conſiliis nihil proficiens, ex optimis monitis deterrimus, inutilis Telemachus. Idem & vitam & vitæ ludibrium terminâſſet exitus. Atque utinam hoc ſaltem haud temere ſperaverim, me immunem deinceps fore ab iis, quæ adeò commiſiſſe nunc piget, ut ſolatium mihi proponere haud valeam. O me tunc iterum iterúmque felicem Telemachum! At eheu! forte hæc ipſa non abibit dies, cùm iteratis inimicitiis aut revol-

revolvar, aut optabo revolvi in idem doloris atque dedecoris argumentum. Hem miſerabilem victoriam! hem laudes! non laudes, ſed ſannas & probra meæ ſtultitiæ.

Vacanti ſolitariis doloribus Neſtor & Philoctetes ſupervenêre animô ad eum inviſendi. Decreverat Neſtor iuveni proponere, in quam incidiſſet culpam. At facilè deprehenſo non occulto mœrore eius; ut afflictum & iacentem erigeret, omiſſis gravioribus verbis, leniter affatus eſt.

Ceterùm hæc diſſenſio bello iniecit moram. Neque enim tutum erat in hoſtem procedere, adhuc diſſoluta domeſticorum amicitiâ; nec aberat in horas recens metus, ne Tarentini cum Cretenſibus, quos Telemachus ducebat, repentino furore committerent. Omnia unius Telemachi error turbaverat. Ipſum verò & recordatio tam multiplicis præſentis mali, & timor futuri vehementer afflixit, & quòd videbat, ſe omnium horum cauſam exiſtere. Principum omnium ſumma quoque conſternatio fuit. Copias educere non audebant, veriti, ne Cretenſes ob Telemachum, ob Phalantem Tarentini concurrerent; cùm utique in caſtris, ubi obſervabantur acerrima diligentia, vix poterant cohiberi. Neſtor cum Philoctete in utriusque adverſariæ partis tabernacula aſſiduè commeabat, quoniam in cogitanda vindicta totam mentem Phalantes collocaverat. Non ſuada Neſtoris, qua nihil dulcius, non Philoctetis auctoritas erant mitigando efferatum hunc animum, quem inſuper fraterni dolores perpetuò irritabant. Contrà modeſtiorem ſe dabat Telemachus; tametſi adeo eum ægritudo depreſſerat, ut nullo ſolatio ſe pateretur levari.

Ergo

Ergo labantibûs capitibûs membra conſternatione torpebant. Totíſque caſtris non minor erat trepidatio, quàm in una familia, quæ, nuper elato principe ſuo, totius cognationis adminiculo & propagandi ſpe generis privata eſt.

Inter hæc mala derepente tumultus exaudiri cœpit. Raptati currus, quaſſata arma, equorum hinnitus, fremitus hominum, hinc ad cædendos fugientes adhortantium, hinc aut fugam aut vulnera mortémque lugentium. Verſati turbinis in modum pulveres ingentem nubem elatam cœlo affundebant caſtris, iunctíque mox craſſis vaporibus, confuſo turbatóque aëre intercludebant ſpiritum. Diſtinguebatur etiam à reliquo tumultu quidam occultus ſtrepitus, illi haud multùm abſimilis, quem ad cudenda fulmina ex Æthnæ interioribus graſſantes ignium procellæ movent. Terror occupaverat animos.

Adraſtus, ùt erat vigilantiſſimus infractúsque ab belli incommodis, improviſum militem induxerat in ſociorum exercitum. Certior factus itineris eorum, nequa indicia adventus ſui deprehenderent, curavit. Incredibili vexatione montem circumvectus eſt, cuius aditus omnes obſidebant Græci, valde publicéque exiſtimantes, occupatis anguſtiis, tantum diſtare, ut deberent ſuſpicari periculum: ut etiam crederent liberum ipſis fore, adiunctis, quæ adhuc opperiebantur, auxiliis, inde in diverſa montis parte tendentes Daunios opprimere.

At Adraſtus (prodigus magìs, quamlargus æris, ne ignoraret occulta hoſtium) de hoc conſilio edoctus eſt. Neſtor quippe & Philoctetes, quam-

quam

quam inſigni ſapientia, ſcientéſque rerum belli, haud ſatis, quæ deſtinaverant, tegebant. Et Neſtor quidem ætatis ſuæ ruinam ſolari plus æquo amabat narrandô, quæ utcunque honeſta ipſi & decóra poterant eſſe. Philoctetes autem, parcior ſermonis, ſed promptioris faſtidii, vel leviter provocatus aperiebat devota ſilentio. Erant itaque, quorum calliditas invenit viam extrahendi, quidquid infimis receſſibus mentis ille crediderat. Sub ipſa adeò iræ initia impotens ſui prorumpebat in minas, iactabátque eſſe ſibi certa auxilia, quæ vellet, obtinendi. Quodſi vel leviter ſuſpicabatur, de his, quæ aſſerebat, mediis dubitari; illico & temere ad ea promenda lapſus, occultiſſima quæque animi ſui ad audientes proferebat; pretioſum ſcilicet vaſculum, ſed tenuiſſimè crebróque fiſſum, nec ſatis fidele continendis liquoribus: tantus quippe dux retinere arcana non poterat.

Erat hæc utriusque regis fragilitas, cui à corruptis per Adraſtum hominibus non ſemel illuſum. Circùm adſtrepebant perpetuò Neſtori perpetuas, ieiunáſque rerum, quas geſſiſſet, commendationes: triumphorum admonebant: demirabantur providentiam: nec intermittebant unquam, quæ in laudibus ab eo referrentur, occinere.

Aliter, neque tamen minus impigre, in iram præcipiti Philocteti impoſitum eſt. Implebant aures eius tantummodo difficultatibus agendarum rerum, importunitatibus temporum, impedimentis, erroribus deſperatæ emendationis. Quibus ſtatim atque præfervidum ingenium eius concitabatur, nihil prudentiæ, nihil Philoctetis in Philoctete remanebat.

X Con-

Contrà Telemachus, quanquam multa perperam, ùt vidimus, geſſit, certè à noxa violati arcani alienus fuit. Tectus eſſe magiſtrâ fortunâ didicit; primámque pueritiam eius ſilendi exercitia acuerunt, cùm matri ſalubre eſſet, quæ ad ipſam pertinebant, procorum cognitioni ſubtrahere. Noverat ergo ita loqui, ut nec arcanum diceret, nec mendacium. Quid? quòd ne arcanorum quidem hominum mores circumſpectos & reconditos præ ſe ferens, ita premebat tacenda, ut videretur ignorare; quippe ſemper liber, agens ex ingenio, ſine fuco, atque ùt de illis unus, quibus in labiis (quod dicimus) habitat animus. Dictis, quæcunque poterat ſine periculo, omnino ſciebat commodè, & velut amplius dicere nihil attineret, tacere, quæ valuiſſent ſuſpicionem & diſcrimen creare ſilendis. Eáque ipſa res mentem eius humanæ cognitioni imperviam, invictámque reddidit. Ne optimis quidem amicorum prodebat amplius, quàm arbitrabatur utile ac idoneum fore aut daturis, quod eos rogabat, conſilium, aut explicaturis ſuam de re propoſita ſententiam. Unus duntaxat Mentor erat, cui omnino ſe volebat patere. Et aliis etiam amicis impertiebatur ſeſe, cum diſcrimine tamen & pro conditione, qua & fidem & ſapientiam ipſorum probaverat.

Telemachus non infrequenter expertus, iuſto maturiùs ductûm conſilia manâſſe in vulgus; Neſtorem & Philocteten ea de re monuerat. Ceterùm fiducia longi uſus rerum minùs curabant iuvenem ſalubria monentem. Et verò plerumque ſenectus monitorem non fert. Mancipium eſt conſuetudinum ſuarum, & ferè expers remedii, quo

quo vitia ſua perſanet. Et quemadmodum perperam flexæ arbores numquam vetuſtate durati ſtipitis vitia corrigunt; ita in hominibus, qui ad certos ætatis annos pervenêre, deſperanda eſt quorundam errorum emendatio, qui nimirum unà veteraſcentes cum ipſis, ſe in intimas medullas eorum inſinuârunt. Equidem agnoſcunt ferè, ſed poſtquam ità invaluit malum, ut evelli non queat. Gemunt, at inutiles gemitus: quoniam non niſi teneriori ætati facultas ſuppetit ad frugem referendæ voluntatis.

Erat in exercitu Eurimachus quidam, natione Dolops: eruditus ad aſſentandùm, omniúmque ingeniis Principum aptus, ſtudiíſque eorum inſerviens magnâ gratiâ pollebat, quam ſtudioſa ſolertia placendi tuebatur. Deonerabat ille moleſtiâ, quidquid regibus libebat aggredi. Rogatus conſilium; aliàs præſciens, quid ſingulos moveret, petentium moribus accommodabat ſententiam. Lepidus feſtivúſque, ac ignaviæ ridiculis infeſtus, cereum ſe dabat potentioribus; laudis tam peracutùs quàm delicatus artifex, ut nec modeſtiſſimos offenderet. Seriò agebat cum gravibus, facetè cum amantibus ſales; tam facilè imitatus diverſos mores, ut ingenium, non artem in eo eſſe crederes. Homines, quorum candor & probitas mobilitatem non ſuſcipit, certâmque virtutum diſciplinam conſectatur; numquam placuiſſent regibus, quibus dominatur cupiditas, quantum hic Dolops hiſtrio. Nec rerum belli, nec pacis ignarus erat; obſervánſque fortunam ſuam, Neſtorem ſequebatur. Habitus inter fideles ſocios, ab animo eius,

admiratione ſui non intacto, nec tardioris ad laudes ſenſûs, quæcunque ſcire libebat, prolicuit.

A Philoctete quidem non admittebatur in neceſſitudinem. Ceterùm iracundia impetúsque animi eius æquè utilis proditori fuit, quàm cum Neſtore amicitia. Quippe ut occulta ex ipſo cognoſceret, opus haud erat, niſi diverſa ſentiendo irritare. Adraſtus, ut, quidquid acturi erant Græci, reſciſceret, hominis iſtius fidem permagnô emerat. Alebâtque certum transfugarum numerum in regum exercitu. Horum iubebat ſingulos per intervalla dilabi è caſtris, & reverti ad ſe. Si quid gravius acciderat, quod ſcire Adraſtum operæ videbatur pretium, ab Eurimacho mittebatur è proditoribus. Abſtruſior fraus erat, quàm ut facilè potuerit adverti. Nihil enim litterarum ferebant transfugæ. Unde, hîs etiam improvisò exceptîs, extra ſuſpicionem erat Eurimachus, cùm vacui reperirentur, qui hoſti certiora nuntiatum ibant.

Interim omnia ſociorum conſilia ab Adraſto prævertebantur. Simul ùt à Græcis eſt conſultatum, Daunii opponebant prorſus, quæ deſtinata diſcuterent. Cuius quidem cauſam Telemachus nihil omiſit, ut detegeret, regéſque commoneret fortaſſe latentis doli. At quid iuvat ſponte caligantibus oculis præire lumen?

Conſtitutum à ducibus fuerat opperiri ingentem militum manum, aliàs adfuturam. Iámque centum triremes, tutas noctis beneficio, emiſerant, quibûs illud incrementum exercitus à littore, cui erat appellendum, quòdque exſcenſionem aſperitate loci vehementer impediebat, eò citiùs deveheretur

ad

ad propinquas caſtris crepidines. Quod dum fieret, nihil metuebatur ab hoſte periculi, quoniam anguſtias vicini & inacceſſi montis occupaverant, quem mari Apenninus obiicit. Galeſum appellant fluvium, ad cuius ripas Græcorum exercitus conſederat, propemodum excurrens ad mare. Campeſtres circùm loci, pabulo abundantes frugibúsque, iumenta & militem alebant. Adraſtus poſt montes ſtabat, quos numquam credebatur penetraturus. At ille ſciens, coniunctos reges adhuc laborare copiîs, adventare ingentia auxilia; iamque ex iis nonnulla præſtolari naves; malè denique à Telemachi & Phalantis diſſidio conſentiri: ad capiendum ingentem circuitum ſe omni feſtinatione accinxit. Dies igitur noctésque ſecundùm maritimam oram exercitum rapiebat per itinera, non tentanda, ut ante hoc tempus putabatur, humanô veſtigiô. Adeò iuncta audacia pertinaci induſtriæ vincit etiam victrices moras; omniáque ferè in eorum poteſtatem cadunt, qui & audere didicerunt & pati. Merentur captari inſidiîs, opprimíque, qui, dum factu difficilia monſtris adſcribunt, ſe dedunt ignaviæ.

Primo mane Adraſtus miſſas à regibus naves occupavit. Leviùs cuſtodiebantur, Græcîs ſcilicet de hoſte ſecuris. Unde iis ſine pugna potitus, diligentiſſiméque uſus eſt ad traiiciendum exercitum, ubi Gelaſus mare ſubibat. Quo facto, qua maxima celeritate poterat, adverſo flumine contendit. Qui in primis versùs Gelaſum ſtationibus erant, navibûs putabant advenire expectata auxilia. Unde ingens ab iis orta exultatio. Sed Adraſtus priùs, quàm noſceretur, expoſito milite, in incautos im-

paratóſque reges, caſtráque incidit, nec clauſa munitionibus, nec defenſa aut ordine, aut imperio, aut armis.

Tarentini, quos Phalantes regebat, in ea caſtrorum parte tendebant, in quam à Dauniis prima, támque ſtrenua facta impreſſio, ut Lacedæmonii, quamquam egregiæ iuventutis, derepente oppreſſi ſuſtinere non potuerint. Dum diſcurrunt ad arma; dum ſeſe ipſa feſtinatione impediunt: Adraſtus caſtra incendi iubet. Protinúſque è tabernaculis ſurſum actæ flammæ; referentes torrentis ſtrepitum, qui in agros incitatus impetu, vetuſtiſſimas quercus cum ſpe propaginis earum, horrea cum frugibus, cum pecoribus ſtabula abripit. Graſſabatur incendium in alia atque alia cubicula militum, ventis diffuſum: paulóque poſt ſpeciem totis caſtris faciebat annoſi nemoris, quod à ſcintilla correptum præter cineres nihil relinquet.

Phalantes omnium maximè certus, proximum eſſe diſcrimen, eius depellendi rationem nequicquam requirebat ab animo. Niſi excederetur caſtris, videbat perituros incendio ſuos. Sed nec ignorabat, receſſum inde turbulentum fore, inſtante victore. Nihilominus ſtationem ſuam deſerere Lacedæmonios iubet, mediam duntaxat partem nec iuſtè perarmatos. At moram colligendi ſeſe Adraſtus exemit, hinc expedita ſagittariorum manu, inde funditoribus Phalantis militi plurimùm infeſtus. Ipſe ſtricto gladio antegreſſus agmen, quod ex pugnaciſſimis Dauniorum coëgerat, ad incendii lucem premebat fugientes, demetens ferro, quos ignis non abſumpſerat. Non ſanguine, qui totum corpus eius perfundebat, non ſtrage

ſtrage ulla ſatiabatur hoſtium ; ut gregum paſtorúmque lanienæ inſtantes feras minùs ſævire crediderim. Succumbunt Phalantis copiæ, torpéntque deſperatione. Terror mortis, furórque præcipitans obruebat facultatem ſurgendi in pugnam. Frigebant rigore adſtricti artus, genuáque vacillabant, ne quidem ſuffectura in fugam.

Phalantes, cui à pudore, rerúmque deſperatione meliorum non nihil vigoris ſupererat, cœlum ſublatis oculis manibúſque obteſtabatur. Hippias ante pedes eius corruerat, terribili Adraſti regis conſciſſus manu. Volutabatur in arena porrectus. Atrum & ebullientem ſanguinem præcipitabat magìs, quàm emittebat lethale vulnus, quod ſecundùm latus acceperat. Arcebant vitale lumen coactæ palpebræ, animáque inter ultimos furoris conatus unà cum effluentibus venarum reliquiis extruſa. Phalantes & ipſe cruore Hippiadis, quem ab interitu vindicare non valebat, ſuperfuſus, ingenti vi hoſtium cingebatur, ad eum proſternendum totis viribûs incumbentium. Clypeô innumerabilia tela ingeſta, corpore non pauca vulnera exceperat : ſuos è fuga colligere non valebat. Atque hanc fortunam eius, quamquam videbant, non commiſerabantur Dii.

TELEMACHUS.

LIBER XVII.

INtuebatur ex Olympo has ſtrages Iupiter; evolutíſque fatis duces ſingulos inſpexit, quorum ſtamen violatura hæc erat dies. Dii in Iovem acriter diligentérque contuentes, quid fieri

vellet, ex vultu eius conabantur deprehendere: Cùm ille voce, quæ & Summum & mitiſſimum deceat: Ad extremum, inquit, res ſociorum, ùt videtis, adductæ ſunt caſum. Conteritur, quisquis incidit in Adraſti manum. Sed ùt egregiè fallit hæc ſpecies! Nunquam diuturna eſt improborum laus & felicitas. Impius Adraſtus, & inviſus ob profanatam fidem, vincet, at non quantum is volet. Incidit hæc amicis regibus calamitas, ut inde cautiores, ſtudioſè, quod acturi ſunt, tegant. Ceterùm Telemacho ſuo, quem amat, novum Minerva hìc decus parat. Nec plura Iupiter. A ceteris autem Diis prorogatum ſilentium, aſpectúsque diſcriminis.

Inter hæc Neſtor & Philoctetes acceptis triſtibus nuntiis, partem caſtrorum arſiſſe, vento magis magíſque fundi incendium, trepidare copias ſuas, à Phalante ſiſti haud amplius poſſe fugam; ad arma diſcurrunt, convocatíſque ducibus mandant, ad evadendum incendium è caſtris militem rapi.

Telemachus, ex dolore, quo adhuc opprimebatur, revocato animo, armis ſe inſtruit. Minerva dono hæc dederat. Quippe uſa Mentoris ſpecie ſimulabat, ab artifice Salentino ea accepiſſe: re autem vera curaverat in Ætnæis furnis à Vulcano parari.

Nihil iſtis limatius, nihil ſplendidius. Inter alia expreſſa in iis erat Neptuni cum Pallade de facultate imponendi novæ urbi nominis diſputatio. Tridens marini Numinis evocabat ex percuſſa humo acerrimum mannulum. Abſiliebant ex oculis eius ſcintillæ: os efferveſcebat in ſpumas: fluentes iubæ ad ventorum imperium: celeres in flexum

flexum pedes, nec facilè deſtituendi nervorum fide; ultro citróque non validius quàm agiliùs librantes ſeſe: laterum recentiſſimus vigor, qui non permittebat lenem inceſſum, ſed dabat in ſaltus, curſúmque ea celeritate, ut veſtigium non reciperet humus. Crederes vocem edere, qualem equi emittunt inter nobiliores impetus.

Contra Minerva tradebat incolis olivam ex arbore, ſata ipſius manu. Enitebatur ramus ille fœtum, ſymbolum amœnæ pacis copiæque, præferendæ utique noxiis bellis, quæ imagine ferocis equi Neptunus adumbraverat. Vicit ſimplex, ceterùm utile Deæ munus, noménque illius Athenis communicavit, magnificentiâ memorandis inter paucas.

Aliàs liberales Artes Minervam ſtipabant, inſtructæ pennis, tenerrimáque iuventute. Præſidium Deæ implorabant, perculſæ Martis, à cuius inſano furore nihil eximium, metu; ferè ſicut, prædam fami conquirente lupo viſo, teneriores greges trepido balatu matrum opem ſollicitant. Arachnen quoque, temerè auſam ſecum acus artificia periclitari, idem Numen, ſpernentis ac irati vultu intuens, multabat palmâ. Videbantur vel tunc artus infelicis æmulæ extendi, ſenſimque in araneæ formam attenuari.

Deniquè in eadem adhuc Clypei regione ipſi Iovi adversùs Gigantes conſilium; ceteris verò Diis animos Minerva ſuggerebat. Haſta item Ægidéque obarmata in Xanti & Simoëntis ripâ Ulyſſem manu trahens, confirmatis fugientibus Græcis, Traianorum ducum vim, ipſóſque Hectoris terrores reiiciebat; Ulyſſem denique colloca-

 bat

bat in celebri illa machina, quam invenerat cœleſte ingenium, nocte una totum Priami Imperium everſuram.

Alia ſcuti regio Cererem exhibebat in uberrimis agris Siciliæ, quibus Ennæ mœnia cinguntur. Cogebat Dea paſſim diſperſos populos, qui aut victitabant venatu, aut immitia poma colligebant, quæ deciderant ex arboribus. Imbuebat incultos eorum animos præceptis ſubigendi terram, eiúſque mitigandi ad reddenda alimenta ſinum. Aratrum tradidit, quo bobus iuncto, in ſulcos vomere digerebatur humus. Protinúſque matura ſeges auri ſpeciem ſuperfudit agris. Decutiebat falce meſſor dulces fructus, largum operæ ſtipendium. Ipſa aliàs rerum communis ruina, ferrum, videbatur hìc loci abire in ubertatis, ac deliciarum, quæcunque ex tellure poſſunt gigni, inſtrumentum. Meabant per prata Nympharum chori, cingentibus ſertis, & nunc ad fluviatiles margines, nunc ad vicina fruteta protrahentes ſaltandi licentiam. Pan (poſt Midæ ſententiam) audaciùs oſtentabat artificium agreſtis tibiæ. Fauni cum petulantibus Satyris laxabant procaciam in impeditiore nemoris ſinu. Metiebantur obeſa Bacchi tempora circumeuntes hederæ; alterámque manum thyrſus acceperat, quieturi auxilium; altera in vitem demittebat ſe, nihil deſiderantem ex iis, quæ à fertiliſſimo Autumno conſuevit nanciſci. Erat hæc forma Numinis mirabiliter delicata, generoſa, & qualem ars, cum deſiderio amantibus affingit. Præferebat hanc ſpeciem, cùm Ariadnen deſertam afflictámque ad ignotum flumen reperiſſet.

Subi-

Subibat paſſim in eo ſcuto frequens populus. Nam & ſenes erant, frugum primitias depoſituri in Deorum altaribus; viríque, quibus laſſum corpus rurî trahentibus domum obviam procedentes coniuges parvos liberos ducebant ad paternas blanditias. Paſtores quoque; quorum alii canentes imitabantur, alii ad tibiæ numeros movebant pedes. Nihil erat, quod non ſignificaret aut pacem, aut abundantiam, gaudiumve; nec uspiam facies iucundæ beâtæque vitæ deerat. Quid? quòd lupos agnis iungebant paſcua; Leonésque cum tygribus ad agnorum manſuetudinem & ſocietatem deſcendebant, patientes ductûs, quo à paſtorculo infra ephebos, colligebantur ad pedum. Belliſſima ſanè ſpecies, admonens omnium, quæ aureis temporibus dederunt nomen.

His itaque armis denuo indutus Telemachus, non familiarem ſibi clypeum, ſed Ægidem prehendit manu. Minerva quippe hanc perferendam ad eum tradiderat Iridi, quæ clypeo, cui iuvenis aſſueverat, clam ſubducto Divinum illum ſubſtituit, à cuius terrore nec Deos numen ſuum præſtat immunes.

Ita armatus, ut ne corriperetur à flammis, caſtra celeriter deſerit: quanta poteſt contentione Præfectos convocat. Ipſa vocandi alacritas incipiebat ſocios liberare metu, quo palabantur perculſi. Fulgor, quem in hominibus non ſolemus deprehendere, adoleſcentis herois oculos ſuccenderat. Nec incitatior, nec aut perturbatus aut impos ſui, dabat negotia, ſed attentus ſibíque præſens ſapientiam ferè imitabatur provectæ ætatis, quæ rei familiari, liberisque erudiendis ſe tribuit.

Cete-

Ceterùm acerrimè ferebatur ad ea, quæ imperaverat; quomodo rapidiores undæ non ſpumas tantummodo devehunt, ſed & maximas moles navigiorum abripiunt.

Tanta autem erat iuvenis hæc agentis auctoritas, ut nemo fuerit totius exercitus, qui eam aut mente valuerit aſſequi, aut contumaciter aſpernari. Torpebat ad hanc in ſenibus, qua pollebant, rerum experientia; ratio, conſiliumque exciderat ducibus: ipſáque invidia, naturæ pertinax malum, omnium animîs deceſſerat. Illi auſcultare, admirari Telemachum, maturare imperata, non attendentes, cui parerent, ſed quaſi diuturno iam uſu voci eius aſſueti. Inde progreſſus aſcendit in editiorem locum, ut, quæ ab hoſte agerentur, cognoſceret. Ratúsque, citiùs occupandos eſſe incompoſitos (quippe dum caſtra ſuccendunt, turbaverant ordines) de induſtria uſus circuitu, fœderatos duces omnes in terga hoſtium tunc forte induxit, cùm hi omnem adverſariorum exercitum crederent incendio implicari.

Subitò igitur oppreſſis illis illata eſt perturbatio. Ruebántque Telemachi manu iugulati non difficilius, non infrequentiùs, quàm ſub Autumni finem decuſſa folia, cùm à Septentrionibus venti ſub renovatæ hyemis initia concutientes ramos vetuſtis arborum ſtipitibus extorquent gemitum. Obſerebatur cadaveribus eorum, quæ Telemachus ceciderat, humus. Iphiclem, quem ultimum Adraſtus genuerat, adacto per viſcera iaculo exanimabat; auſum ſe dare in pugnantis conſpectum, ut ſaluti genitoris, haud dubitantis, ſe à Telemacho occupandum, conſuleret.

Erat

Erat Telemacho & Iphicli forma egregia, robur eximium, agendi ſolertia par, animuſque haud facilè ſuſcipiens metum: habitus idem, &, quamvis in diverſis frontibus, eadem ſuavitas. Annis quoque conveniebant & quòd diligerentur à propinquis. Ceterum flos erat Iphicles, à falce cladem & finem nitoris ſui, quem agris exhibuit, tum accepturus. Euphorionem deinde Telemachus confecit, celeberrimum Lydiæ coloniæ in Hetruria; Cleomenem denique nuper maritum, coniugi ſuæ, quam porro non erat viſurus, opimum ab hoſte ſpolium debentem ex promiſſo.

Adraſtus ergo cùm ſe tam charo pignore, videret multatum, haud paucos è nobiliſſimis exercitus ſui interfectos, victoriam non nutantem modo ſed & ereptam ſibi: ira furoréque concuſſus intremuit. Phalantes autem, qui in proximo iam fuerat, ut ad pedes eius everſus corrueret, victimæ poterat comparari, quæ excuſſa ſecuri fatalem ſibi manum locúmque conatur effugere. Adeò momentum duntaxat Adraſto abfuit, ut periclitantem eum conficeret.

Phalantes, ùt erat ſuo ſuorúmque unà dimicantium ſanguine inundatus magìs quàm perfuſus, ſimul atque Telemachi vocem exaudivit appropinquantis in auxilium, recepto ſpiritu, nubem, quæ oculis eius ſe cœperat offundere, diſcuſſam ſenſit. Daunios inopinata impreſſione hoſtium à Phalante ſpecies maioris periculi ad ſe tuendos averterat; Adraſtúmque, nihil mitiorem tygride, cui inſertam faucibus prædam iuncta paſtorum manus eripuit, expetebat Telemachus in ipſo pugnæ diſcrimine, ſocios liberaturus ſimul æternô æmulô

&

& bellô. Sed noluit Iupiter tam properata facilique palma iuvenem potiri. Minerva ipſa precabatur Iovem, ut eum diuturnitate patiendi ampliùs erudiret ad imperium.

Itaque Adraſtus in incrementum virtutis & gloriæ ſervabatur Telemacho. Spiſſæ nubes intenderunt ſe cœlo, coactæ à Iove, quæ Dauniis ſaluti fuerunt. Secutus ingens fragor cœli oſtendit, quid vellent Dii. Videbatur ad æternitatem firmata Olympi machina, diſſoluta concuſſu, ruinam orbi terrarum ingeſtura. Præceps per immenſum obſcurúmque aërem fulgor ſimul acutiſſima vi luminis percutiebat oculos, ſimul eo condito in eosdem atrociſſimus horror nocturnæ quaſi formidinis recidebat. Protinúsque imbres ruentes diremêre diſcrimen.

Adraſtus ſtrenuè utebatur cœleſti ope; tametſi nihil inde in Deos modeſtior, aut ſolicitior iisdem habendæ gratiæ, merebatur graviori vindictæ reſervari. Iubebat militem ſuum præter caſtra, incendio paſſim multata, paludémque adiunctam flumini, medium, quanta poſſet feſtinatione, abire. Quod quidem tanta cura eáque celeritate eſt præſtitum, ut ipſe abitus eius, quàm prompto eſſet in rem ſuam ingenio, ſatìs teſtaretur. Quamquam autem à Telèmacho monerentur reges, ut impune ne ſinerent retro Adraſtum concedere, ille tamen iniqui aëris veluti aves retia alarum beneficiô evaſit incolumis.

Satis ſcilicet erat ſociatis Principibus ſuos in caſtra reducere, iacturâmque, quam paſſi erant, reſarcire. Ea intrantibus miſerrimum occurrit ſpectaculum, inter pauca, quæ præbentur bellô, memorandum. Fuêre in caſtris ægroti & debilitati

tati vulneribus. Hi ergo cùm tabernaculis excedere non valerent, corripiebantur incendio, mediámque partem exuſti, miſerabiles eiulatus, ad ſonum præ dolore morientium flexa voce, emittebant ad cœlum. Ingens commiſeratio Telemachum incedebat, adeò ut nec abſtinuerit lacrymas. Sæpe horrore & miſericordia revocabatur à lugubri aſpectu. Pavebat, quoties intuebatur hæc etiamnum viva & diuturnam horribilémque mortem obitura corpora; quippe ab expiatis carnibus nihil diverſa, quæ ambuſtæ focis, crudo odore omnium nares offendunt.

Eheu! Telemachus exclamat: hæc mala, has ærumnas bellum parit. Quæ cæcitas, quæ inſania agit mortales miſeros, ut vitæ aliàs tam brevi, tam calamitoſæ, maturent tanto impetu ſponte ſua propinquantem finem? Tormenta, quibus caduca vitæ noſtræ ſpatia obiecêre Dii, cur modîs tam immanibûs aggravant? Mortales omnes fratres ſumus: & ita mutuò conſumimur? Mitiores feræ ſunt. Nec Leonem leo, nec tygris odit genus ſuum. Alienum perſequitur ſcilicet. Soli homines, tametſi præditi rationis uſu, agunt, quod horrent nuda rationis. Ecquid porro bellis opus? terrarum orbi, credo, terræ deficiunt. Atqui hominibus ſingulis tantum attribuet ſoli, quantum colendo numquam ſufficient. Solitudines numera: quas humanum quando implebit genus? Ecquid ergo futilis gloria, quid inane victoris nomen accendit Principes ad gerendum in locis infinitis bellum? Adeóne homo unus, íſque irritatæ Nemeſis abortus, integras catervas hominum litat ſuæ vaniſſimæ vanitati! Omnia implenda cædibus,

vaſtan-

vaſtanda incendiis, & ſiquid ferrum ignéſque fecêre reliquum, crudeliori telo, fame perimendum: ut homuncio unus, íſque totius contemptor humanæ naturæ, exitio plurimorum hominum gaudere valeat, puerilitérque gloriari. Vah degenerem, vah immanem gloriam! Qùod odium poteſt, quod ludibrium reperiri, quo in homines peccetur tam inhumanos?

Nullum poteſt. Homines non ſunt: tantum abeſt, Semideis ut mereantur addi. Cadent in abominationem ſæculorum, quorum admirationem pollicebantur ſibi. O quàm ſollicita, quam cauta oportet eſſe bellorum initia! Debent iuſta eſſe; neque id ſatis eſt. Debent etiam prodeſſe. Sanguis populi uni ipſius ſaluti, cùm aliter redimi non valet, eſt impendendus. At plerumquè fit, ut obſequioſa conſilia, perverſa opinio nominis, vana inutilíſque æmulatio, iniuſta alieni cupido ſcitiſſimè palliata titulîs, levi conſilio inita cum ambitioſis fœdera, reges fatalibus bellis implicent; in quibus univerſa obiiciunt non neceſſario diſcrimini; neque ſuis, quam hoſti, minora detrimenta inferunt. Hæc tum rectè Telemachus.

Ceterum à querelis malorum, exiſtentium è bellis, ad eorum fomenta proceſſit. Ille circumire tabernacula: ille debilibus & morientibus aſſiſtere: ille pecunias ſuppeditare, medicamentis ſuccurrere: adhibere ſolatia: reſtituere animos facillimo affatu. Quos verò ipſe adire non potuit, per alios curabat levari.

Erant inter Cretenſes, in quos habebat imperium, Traumaphilus & Noſophugus, uterque iam inutili ad arma ætate. Traumaphilus Troianæ obſi-

obſidioni cum Idomeneo interfuit, didicítque ab Æſculapii filiis medicinam, humanis artibus ſuperiorem. Graviſſimis vulneribus, & certò occiſuris ex veneno, liquorem infundebat grati odoris, qui exedebat carnes emortuas confectáſque tabe, artubúſque etiam inciſione non caſtigatis ſaniores melioréſque nullo ferme temporis intervallo reſtituebat.

Noſophugus autem, quamquam Æſculapii filios non viderat, ope tamen Merionis codicem obtinuit ut profano uſu non tritum, ita plenum abdidiſſimis diſciplinis; quippe ab Æſculapio hæredes acceperant. Deorum inſuper fruebatur amicitiâ. Nam & hymnos in honorem liberorum Latonæ compoſuerat, & ovem candidulam ac nulla parte inſignem in dies offerebat Apollini, cuius divini inſtinctus afflatúſque in eum frequenter incidebant.

Cauſam morbi, ſimul ac ægrotum intuebatur, cognovit; notas eius tum ex oculis, tum ex colore vultus, deinde ex habitu corporis & reſpirandi intervallis legens. Interdum medicamenta adhibebat, quibus ſudor provocatur; pro cuius copia, quantum liberîs expirationibûs foveatur humanum corpus, quantum debilitetur impeditîs, oſtendit. Interdum languorem & laſſitudinem medicata potione eximebat corporibus, cuius ea vis erat, ut mitigata acerbitate ſanguinis in membra vigorem iuventutis reduceret; plerumque aſſerens, virtutis & fortitudinis defectu homines tam frequenter ad medicorum manus devolvi.

Rationem eius hanc reddidit. Turpe, inquit, eſt homini, tot morbis eſſe obnoxium. Sanitatem

moderati mores creant; intemperantes verò ea, quibûs alimur, vertit in venenum. Quantum humanæ vitæ demit immoderata oblectatio, nunquam medicina reſtituit. Pauperes ſanè minùs debilitat alimenti penuria, quàm divites copia. Toxicum, non nutrimentum ex obſoniis trahimus, quæ amiciora guſtatu palatum ultra leges neceſſitatis ferunt. Deinde ipſa remedia non vacant noxa. Naturam atterunt, & extra ſummum periculum admittuntur perperam. Adiumentum affert valetudini optimum, ſemper innoxium, & numquam non ſalubre uſu ſobrietas, modus voluptatum, tranquillitas animi, exercitatio corporis. His acerbitas, his æſtus detrahitur ſanguini, atque humorum abundantia arcetur. Itaque Noſophugus egregiam quidem laudem eſt conſecutus ex medendi peritia, ſed longè maiorem ex alendi corporis diſciplina; quippe quæ non tantùm morbos præverteret, ſed & ex medicamentis percipiendæ ſalubritati conſuleret.

Hos ergo medicinæ heroës Telemachus, ut omnes & ſingulos, qui decumbebant, inſpicerent, miſit. Inſtitutô artis ſuæ non paucos perſanabant. Plures tamen liberavêre tempeſtivâ induſtriâ, quam ægris iubebant impendi. Quippe curabant eos mundos haberi, ne ſalubrem cœli affectionem offenderent; convaleſcentes verò ad leges modúmque victus exactè inſtitui.

Tanta ſuccurrendi humanitas haud mediocriter tangebat militum animos. Gratias agebant Diis, quod hunc iuvenem miſiſſent ad exercitum. Homo non eſt, inquiebant, qui nobis hanc curam; ſed beneficium humanâ formâ Numen. Aut ſi homo,

homo, Diis certè, quàm hominibus propior; natus, ut benefaciat. Maiorem bonitati eius, quàm fortitudini amorem debemus. Et utinam imperet nobis rex! At feliciori à Diis ſervatur is populo, quem amant, aureæque renovatâ ætatis eunt adauctum copiâ.

Hæ laudes tum admurmurabantur, cùm, veritus Adraſti induſtriam, obiret caſtra. Erantque illæ ùt ab adulatione, ita longe diverſæ ab iis, quas Principum auribus liberè ingerit aſſentatorum impudentia; quoniam pro certo ſumunt, Principes, cùm extolluntur, nec modeſtiâ pollere nec verecundia, ſolíſque laudibûs præter modum, opus eſſe, ut inſinuentur eorum amicitiæ. At vero Telemachus repudiabat, quidquid laudis ſine ſplendido mendacio non poterat tribui. Neque ferebat gratulationes, niſi à foro atque auribus ſuis remotas, & quas verè arbitrabatur meritîs ſuîs æquari. Ad id genus laudis certè non torpuit. Sentiebat puriſſimam dulcedinem, quam ex virtute naſci voluerunt Dii, perverſis animis, quoniam numquam perceperunt, altiorem atque monſtroſam. Volebat autem hac dulcedine frui magìs, quàm tenéri; ſolitus continuò illi non nihil acerbi aſpergere ex eorum, quæ peccâſſet, memoria. Importunitatem, qua impelleretur, obiiciebat animo, quódque nullo delectu negligeret homines. Pudorem quoque accerſebat in animum ex ipſo ſuo adeò difficili & moroſo ingenio. Reputánſque ſe indignum laudis, quidquid eius tribuebatur ipſi, in Minervam hîs precibûs tranſtulit:

Tu, o Diva, una Mentori tradidiſti ab naturæ vitiis caſtigandum Telemachum. Tuum lumen eſt,

 quod

quòd ex errandi detrimentis commodum diffidentiámque mei traho. Tu leges, tu modum ponis in impetum laxato animo. Per te dulce mihi eſt levare alienam miſeriam. Te ſine non haberer tantùm, ſed habendus quoque eſſem odio. Te ſine peccarem cum damno, quod nullum repararet Numen. Te ſine redirem ad imbecillem infantiam, quæ, quia ignorat, ſe nondum ſufficere ſibi, maternum ductum reſpuit; verùm permiſſa ſibi primi gradus fiduciam luit caſu.

Neſtori & Philoctεti nihil erat mirabilius, quàm videre Telemachum tam ſine ſtomacho, tam placidè attentum officiis, quæ quisque ab eo expeteret; tam non difficilem, quin & ambitioſum, quod cuique præberet, auxilii; tam ſolertem denique ad cuiuslibet neceſſitates futuras. Dubitabant, quid maximè crederent, aliúmque ab Telemacho hominem ſibi in eo videbantur intueri. At longè inuſitatius ipſis fuit & propè monſtrum, ab illo tam anxiè Hippiadis funus curari. Et certè ad tollendum corpus eius, illuc loci venit, ubi tegebatur cumulatis cadaveribûs cruentum fœdéque deformatum; profuſisque cum pietatis ſenſu lacrymis: Noſti nunc, inquit, grandis anima, virtus quanti tua fuerit mihi. Offenderant me mores tui. Inſolentes erant, ex vitio ſcilicet acerrimæ tuæ iuventutis. Scio, multa opus huic ætati venia. Ambos adhuc futurum erat ut vera neceſſitudo coniungeret. Ego verò peccavi. Eccur illum eheu! priùs mihi ſubtraxiſtis, Dii, quàm cogeretur amare Telemachum?

Odoribus erant imbutæ aquæ, quibus poſtea corpus ablutum eſt, curante Telemacho. Tum

aggeri

aggeri ſtipites iuſſit. Sollicitâ operâ cæſæ abietes è cacuminibus montium devolvebantur funeſto obſequio. Ilices item, pervetuſtum telluris, nubibúſque elato vertice infeſtum genus, ad Gelaſi ripas proſtratæ; quibus additæ populi, ulmique, nihil aut colore aut frondium in apicibus frequentia lauro inferiores; fagis, egregio illo ignium ex ſylvis alimento, aucturis illuſtrem rogum: qui omnibus nec temere cumulatis arboribus ſpeciem præbebat operis, quod arte conſilioque architecti condunt. Iámque emicabant flammæ: verſabatur in procellæ modum fumus, ſurſúmque verſus efferebat ſe, quàm longè oculis fas erat pertingere.

Procedebant ergo Lacedæmonii lento & qui decebat lugentes, gradu: ſariſſarum cuſpides & oculi demiſſi: ſquallentes vultus oppletíque fletu. Sequebatur Pherecides, non tam confectus ſenio, quàm luctu, quòd Hippiadi ſuo à teneris alumno ſuperſtes erat futurus; porrectíſque ad cœlum manibus, ſurſúmque, fluentibûs lacrymis, intuens. Cibis abſtinuit poſt Hippiadis fatum: ſomni otiô graviſſimos dolores nec ad momentum rupit. Incedens poſt multitudinem, nec quo vaderet, memor, confundebat tremebunda veſtigia. Vocem magnitudo doloris ſuppreſſerat; tametſi infractum abiectúmque animum eius ipſum ſilentium loquebatur. Viſo procul loco, ubi cremandum erat funus, in repentinam amentiam videbatur labi.

Ah Hippias! mi Hippias, exclamat. Non te video in poſterum. Vixiſti; & adhuc infelix Pherecides ſpiro. Crudelem me! vah tygridem, qui mortem te docuerim contemnere! Hos ego te credideram clauſurum oculos, & hoc ab ore ulti

mos tractuum gemitus. Ecquid, heu! vitæ meæ adiicitis immites Dii, teſtari ut de alumni mei fatis queam? Ah fili! tyro meus! cura mea! non te videbo in poſterum. At videbo genitricem tuam, eheu! morituram, poſtquam egerit Pherecidem mortis tuæ reum. At coniugem videbo tuam ætatis flore, palmis eheu! pectus ſuum, crines unguibus inceſſuram ſuis. Atque iterum Pherecides mortis tuæ agetur reus. Ad Stygem, ah! dilecti manes, ad Stygem me abſtrahite! iam odi hanc vitalem lucem. Te, lux mea, Hippias, intuebor. Te, te, inquam, Hippias! Iuſta ut cineribus perſolvam tuis, traho hanc adhuc inviſam animam.

Ferebatur deinde corpus extincti iuvenis, exceptum feretro, quod regia opulentia adornabat. Multa aliàs Hippiadi venuſtas, nec, quibus iuventus commendatur, ornamenta pauca; quæ, tametſi caligine inducta in oculos, haud tamen ita mors valuit detrahere, ut eorum veſtigia, mediam adhuc partem integra, pallentibus artubus non inſiderent. Collum lacteum decorè fluebat in lævam: Capilli nigri ad candoris adiumentum commodè largéque deſcendentes, quales non in Aty, non in Ganymede laudârunt fabulæ; nunc verò cum capite, cuius pulchritudinem adiuvabant, deſituri in cineres. In latere conſpicuum erat vulnus altiùs demiſſum adacto ferro, quod ſanguinem eius cum vita exhauſit.

A funere proximus Telemachus ibat, ſqualli-dus & quaſi ad ſuum prodiret rogum. Flores iactabat de more. Ventum erat ad ligna. Cúmque cadaveri circumdatas veſtes flamma licentiùs pervaderet, renovatis lacrymis: Vale, inquit, Heros for-

fortiſſime! fortiſſime, inquam; quoniam amicum te non auſim compellare. Quieſce adauctus tam inſigni gloria. Invidus felicitati tuæ ſim, niſi benevolus tibi. Exîſti, quibus adhuc nos colluctamur, miſeriis, & exîſti, ſi quis heroum alius, cum gloria. Quas ego deberem Diis gratias, hunc ſi mihi finem? Bene ſit manibus tuis, æternitas nomini, quies cineribus.

Hos gemitus lamenta militum excepêre. Moverat eos claritas extincti Principis. Omnes namque bonæ dotes eius, revocatæ luctu, vitia, quæ ætate & moderatorum indulgentiâ contraxerat, dolentium eximebant memoriæ. At longè gravius mœrore Telemachi afficiebantur, cùm ipſe quæreret abs ſe: Iſténe tam ferox, tam importunus, tam faſtidioſus in omne genus hominum, tam efferus Græcus? Ut mites, commodos, faciles mores nunc præfert hæc paulo ante intolerabilis arrogantia! Iam & ipſe, credo, Minervæ cordi eſt, & rivalis huic Divæ tantopere dilecto meo genitori. Ab ea iam accepit utique & cœleſtium donorum gemmam, ſapientiam, & tenerrimum ad amicitias animum.

Iámque flammæ cadaver abſumpſerant, cùm Telemachus ferventes adhuc cineres odoribus delibutos in urnam coniicit; & circumdatis floribus reliquias fraterni funeris defert ad Phalantem; qui & ipſe multis vulneribus perfoſſus, totóque exporrectus corpore decumbebat, morti plus proximus, quam vicinus.

Telemachus Traumaphilum cum Noſophugo miſerat. Quantum in ipſis opis, artíſque erat, adhibuerant. Revocabant à ſupremis labiis animam,

paulatímque reparati vitales ſpiritus excitabant torpentem. Suavis quidam ſtrenuusque vigor (balſamum vitæ appellant) aliam atque aliam venam & cor ipſum pervadebat: lethale frigus expellebat membris calor iucundè ſubiens. Ceterùm eodem puncto temporis deficientem erexit ſalubritas, & rurſus oppreſſit triſtitia. Fratris iacturam, quæ tunc primum pervenire ad animum eius poterat, dolere cæpit: Eheu! ad quid tanta cura ſervandi mei? Præſtat mori: fratrem ſequar, quem hiſce oculis vidi à latere meo rapi ad manes. Fuiſti, chare, dulcis frater! Phalantes te dehinc non videre, non audire, non amplecti potero; non dolores meos narrare tibi, non ſolari tuos. O mortalibus ſemper infenſi Dii! Per vos occidit mihi & ſemper occidit Hippias. At fieríne hoc potuit? Quid, ſi ſomnio? Ah! ambo vigilant teſtes oculi. Vixiſti, Hippias! Morientem ipſe vidi. Vivam ego, donec extiterim vindex tui. Manibus tuis inferias latronem Adraſtum dabo.

Hos Phalantis dolores medici identidem conabantur abrumpere; veriti, ne animi ægritudo, retuſâ vi medicaminis, augeret malum; cùm Telemachus intrat. Quo conſpecto Phalantis animus mox duabus iisque diverſis affectionibûs cœpit vellicari. Obverſabatur recenti memoriæ Telemachi cum fratre diſcordia; indeque ortus in animo acerbior ſenſus augebatur triſti Hippiadis deſiderio. Sed neque ignorare poterat, fuiſſe Telemachum cuſtodem ſalutis ſuæ, cùm ex Adraſti manibus cruentum & iam luctantem cum morte abſtraxit. Ceterùm ubi vas conſpexit ex auro, in quo fratris cineres Telemachus collocârat, ſolutus in uberri-

uberrimos fletus, continuò amplexum obtulit iuveni, diúque obluctatus ſilentio, tandem debili voce, & crebro interpolata gemitu:

Virtutem tuam quis oderit, magni Ulyſſis non degener fili? Tibi hanc, quæ reſtat, ſpiritus mei ſcintillam, difflandam brevì, debeo. Sed & aliud à te memini accepiſſe; & illud charum magìs. Te ſine ceſſiſſet corvorum pabulo Phalantis frater. Te ſine excluſi tumulô, Stygias ad ripas eius oberrarent manes, duro Charonti fruſtra promittentes naulum. Odiis ergo meis tantam debebo gratiam? Vos ego, immortales Dii, Telemacho evergetas, animæ meæ (ah quàm infelici!) ab hoc corpore liberatores precor. Tu verò Telemache, ne tuis apex defuerit laudibus, quo fratrem es dignatus, & mihi, quæſo, obſequium fac præſtes.

Inter hæc verba Principis vires & animum impotens dolor exhauſerat. Ponè adſtabat Telemachus. Vocem non reddidit, ratus, ſuſpendendum ſermonem, dum languor abſcederet. Quo diſcuſſo Phalantes traditam ab iuvene urnam frequenter oſculatus, rigánſque lacrymis: Chari, pretioſi cineres, inquit! ecqua meos vobis miſcebit dies? Ecce vos nunc, fraterni manes, ſequor! Erit noſtrî amborum vindex Telemachus.

Interea Lacedæmonii valetudo in dies emendabatur ſenum illorum operâ, qui divinam Æſculapii artem callebant. Sed & Telemachus aſſiduè præſtò erat decumbenti, ut præſentiâ ſua cumularet medentium induſtriam. Longè mirabilior viſa militibus hæc inimico ſubvenientis Telemachi benignitas, quàm virtus omnis ſapientiáque in prælio ſervantis ſociorum exercitum. Ille porro nec

difficillimos belli labores unquam averſabatur. Somnum modicum capiebat, inciſum aut interventu diurnîs nocturníſque horis ſingulîs referentium, quæ videbantur opus; aut accuratiſſima inſpectione ſtationum, quarum nullam duabus continuis vicibus eâdem obibat horâ, ut de improvisò occuparentur, qui indormirent ſtationibus. Fermè è caſtris ſudòre ac pulvere redibat offuſus. Cibi erat minimè exquiſiti. Ne ſobrietatis & patientiæ exemplum deſiderarent gregarii, victitabat eorum ex more. Cúmque laboraret commeatu exercitus, ad inhibendas querelas militum eandem inopiam ſibi duxit ſubeundam. Hi verò labores tantum abeſt, ut corpus eius debilitarent, ut quotidiano roboris incremento firmatum ſenſim ad illos occalluerit. Expirabat pedetentim in eo delicata illa gratia, quam natura annorum initiis amat impertiri. Innoxiam formæ licentiam, adhuc diffuſam vultu, caſtigare cœperant tenuiores umbræ, & commaſculare frontem. Expulſâque adoleſcentis ætatis mollitudine artus virilis ſenſim vigor intrabat.

TELEMACHUS.

LIBER XVIII.

Adraſtus cum attenuatis prælió copiis poſt Aulonem montem receſſerat, auxilia opperiens, quibuscum in hoſtem alterîs inſidiîs erumperet. Non impar ergo leoni erat, qui fruſtrata fame reiectus ab ovili, revertitur in nemora: redditúſque, quibus aſſuevit, latebris, dentes atque ungues exacuit, inſtrumenta futuræ gregum, tempus ſinat, internecioni. At

At Telemachus, quantum par erat, accuratâ in caſtris diſciplinâ, omiſſis omnibus, tota animi contentione ſtatuit, quæ nullo vel auctore vel conſcio propoſuerat, efficere. Diu erat, cùm eum in noctes agitabant per ſomnum ſpecies, dormienti excitatas genitoris deſideriô. Imago illius ferè redibat ſub extremam vigiliam, cùm nondum ſtellarum errores cœlo, nec circumvectum nocturnis imaginibûs ſoporem orbe initia auroræ extruderent. Videbatur nunc ipſi Ulyſſes, depoſitis exuviis, in prato fortunatæ inſulæ, quà rivulum tranſmittit, verſari, utrique ripæ affuſis Nymphis, & offerentibus veſtes, quæ beatos manes decent; nunc cum voluptate & admiratione audiri in palatio, ex auro eboréque nitorem accerſente, à turba floribus coronatorum hominum; nunc celebrare epulas, inſigni inter lautitiam gaudio, humanáque voce & lyra faciente concentum, cuius ſuavitatem Apollo cum Muſis ſuis fruſtra æmuletur.

Somniis adeò iucundis plerumque triſtitia ſucceſſit experrecti Telemachi. Quàm me, dilecte genitor, exclamat, præ his delectent ampliùs immaniſſimæ per quietem imagines! Hæc ſimulacra fortunatæ ſortis quid mihi loquuntur, niſi tuum ad fortunatas illas mentes tranſitum, quarum virtus æterno circumfluit otiô? Elyſias ſedes intueor. Quid ambigo? privari futurorum ſpe tota quàm miſerum! ergóne ultimùm te vidi genitor? numquam ego Ulyſſen his brachiis, Ulyſſen adeò amantem mei, exquiſitum mille itineribus? Æternùm tacere mihi os tantæ ſapientiæ? numquam oſculari tam dilectas, tam victrices, & (quod ſperabam)

rabam) Penelopen ulturas manus? Ergóne perpetuabitur Ithacæ illata vaſtitas?

Vos, infenſa genitori meo Numina! vos tam implacida imagine noctes meas confunditis, ne lux ulla mihi quid ferat ſpei. Sic autem occiditis Telemachum. Iugulant me incertæ ſpes. Incertæ autem? Imò Ulyſſes vixit. Certius hoc, quàm vivere miſerrimum filium. Ibo, requiram manes eius ab Inferis. Audeo, quod infernorum Numinum contemptor Theſeus. At me ad Inferos in genitorem ducet pietas. Audeo, quod & Hercules. Quo eſto plurimùm ſim levior; cum laude ſequar tamen, quam ille trivit, viam. Movit inexorabile Stygis Numen audita Orphei calamitas; remiſſa ad vivos Eurydice. Quis calamitoſior Telemacho? Quæ præter meam iactùra acerbior, niſi formoſarum non primam ſummo totius Græciæ Ulyſſi comparaverim? Age! moriamur, ſi ita. Quid enim ad miſeram vitam terroris mors habet? Experiar, & quamprimùm, tuumne ſit ſeu Pluto ſeu Proſerpina implacabile (ut criminantur) Numen. Poſt terra mariſque inutiles errores, in quos reperiundi ſpes tui me dedit, genitor, te ſupereſt umbras inter ut exquiram. Videndum neſcio an non patria umbrarum dabit, per Superos quem in his terris negat Solis lumen.

Rigabant inter hos gemitus lectum profluentes lacrymæ. Subitóque ſe proripiens cubitu, quærebat uſu orituræ lucis nocturnum dolorem abſtergere. Verùm erat is lethalis arundo, quem inhærentem pectori moliri non valebat. Victus ergo tantis malis, conſtituit ad Inferos deſcendere. Celebris locus erat haud procul à caſtris. Acherontiam appel-

appellabant, horribili ſpecu ad ipſas ripas Acherontis (fluvius eſt apud Inferos nec à Diis, cùm iurant, nominandus) permittente deſcenſum. Urbs perinde átque arboreo cacumini nidus, ſummæ petræ inſidebat; ad cuius pedem horrendùm dehiſcens tellus aditum aperiebat ad manes, adhuc eximium ab humano veſtigio, quoniam mortalium neminem eò admittebat metus. Neque alia maior erat paſtorum cura, quàm inde arcendi pecus. Vapores ſulphurei è Stygia palude per os antri peſtem continenter afflabant aëri. Circùm nec flores nec gramina gignebantur. Favonii, Ver, Autumnus peregrina hìc loci nomina. Nudi frutices & cypreſſi tegebant emorientem terram. Longè latéque frugibus ineptum ſolum. Vites, quaſi pœniteret edidiſſe, nondum adultos racemos extinguebant ſubtractô ſuccô. Rivi nunquam perennes, nunquam ad potum. Nec aves, quæ delectarent cantu, alebat regio; quippe & ſpinis impedita, nec ad eas occulendas fruticata humus. Unde præteribant hunc locum, amores ſuos melioribus terris impertituræ cantu. Hìc verò præter corvorum inconditas voces & noctuarum lugubres planctus nihil erat audire. Ipſis adeò graminibus dulci adverſus ſapor erat; neque greges, qui iis veſcebantur, tentabat, qua alias ad iucundulos ſaltus incitantur, laſcivia. Palabantur mutuo inter ſe faſtidio; reconditáque tibia aptis ad ciendos ſonos utribus incubabat afflictus paſtor.

Ex hac ſpecu per intervalla evolutus fumus denſam nocturnâque non leviorem caliginem ingerebat luci. Tum verò hoſtiæ ingeminabantur à vicinis populis, cumulatæque victimæ ad placandos

dos Inferorum præſides; tametſi plerumque iuventutis florem inferias dabat infelix lues, & obleſtationem ſævientibus è ſpecu Diis.

Hàc igitur ad Plutonis regiam penetrare iuvenis decrevit. Minerva, diligentiſſima cuſtos ſalutis eius & maximum obiecta ſemper Ægide ſua præſidium, illi gratiam inferni Numinis præparaverat. Ad hæc imperatum à Iove Plutoni, in regnum ſuum admitteret Ulyſſis filium, perferente id mandati Mercurio, qui diebus ſingulis certum animarum numerum traducit ad Stygem.

Clam ergo ex caſtris digreditur Telemachus noctis auxilio. Sublustris hæc erat à luna, cuius ille ſibi propitiabat numen; quod cœlis fulgens ſidus, in terris Diana, in Inferis Hecate eſt. Facilè preces ipſius admiſſæ à Dea: quippe & nævo carebat inſons animus, & ducem pietatem, quam parentibus filii debent, ſequebatur.

Venerat ad antri ingreſſum; cùm mugitus & fremitus ſubterranei regni cœpit exaudire. Tentabat euntis veſtigia concuſſa tremore tellus: fulgura coruſcabant cœlo ignéſque, minitantes in terram lapſum. Quatiebatur horrore Telemachus: gelidus ſudor totum corpus offuderat. Conſtitit tamen virtus ſibi. Oculis manibúſque elatis ſurſum: Accepto, Dii, inquit, hæc ſigna, atque fauſtum ex iis omen præcipio. Eia! quæ cœpiſtis, perficite. Inter hæc verba feſtinato gradu ante fauces tenebroſi ſpecoris intrepidus ſubſtitit.

Protinus diffiſſa caligo eſt, quæ aliàs eò appropinquans pecus perimit. Permittebat ad tempus liberum ſpiritum peſtilens fœtor. Intrat Telemachus nullo comite. Et verò eadem mortalium quis auſit?

auſit? Duobus Cretenſibus aperuerat, quæ conſtituit animô; hi autem ad certum duntaxat intervallum à ſpecu euntem proſecuti, in templo quodam ſubſtitêre, trepidi atque exanimes & nuncupantes vota etſi ſine ſpe reverſuri Telemachi.

At ille horrorem tenebrarum ingreſſus interea ſtrinxerat gladium. Tenuiſſima lux liquidiori nocti ferè ſimilis leniter circumvolantes umbras oſtendit, quas ille amovebat ferro. Tum lugubres paludis veriùs, quàm fluminis ripas aſpexit. Torpebant putres aquæ; cœnóque impediente curſum, non fluebant labentes, ſed volutabantur verſantes ſe ſe. Occupabat crepidinem defunctorum innumerabilis multitudo, qui nondum affecti ſepulturâ Charontis cymbæ fruſtra obverſabantur. Minis quippe abacti reiectique à tam ſemper difficili & moroſo, quàm vegeto Sene. Contra in navem receptus iuvenis. Víxque ingreſſi aures lamenta obruerunt deſperantis animæ.

Sciſcitabatur ab illa cauſam tantorum luctuum, & quæ ei inter vivos fuiſſet conditio? Nabuchodonoſor eram, illa inquit, rex magnæ Babylonis. Concutiebat Orientem vel ſolum, quod gerebam, nomen. Ex marmore ſurgebat ædes, in qua & adorabar à Babylone, & imagini meæ litabat, aſſiduè incenſa, odorum ferax Æthiopia. Obloquendi mihi nemini data facultas, nemini conceſſa impunitas. Obtulêre dies ſinguli novos voluptatum architectos atque artifices. Flos ætatis & vigor iuventutis meæ quot annorum ſuffecturus erat coronatæ felicitati, niſi uxor docuiſſet, ſe nupſiſſe homini; quippe amantem redamare non modo recuſavit, ſed & veneno ſuſtulit. Fui. Auream in

urnam

urnam lux heſterna cineres meos congeſſit cum pompa. Fuſæ lacrymæ: vellicati crines: univerſum Imperium videbatur cum rege periturum eodem rogo. Quin adhuc aſpirantur luctus ad calcem illuſtris monumenti, cui regii cadaveris traditæ reliquiæ. At deſideriô mei affligitur nemo; nemo putat ſibi aliquid obitu meo, etſi regis, deceſſiſſe. Quin abominatur ibi memoriam meam etiam regalis domus; hìc verò miſerrimis iam pœnis initior.

Tactus hoc ſpectaculo iuvenis, rogat: Veréne beatus vixiſſet in imperio? Illíne adfuiſſet iucunda tranquillitas & dulcis quies, qua ſine vel inter delicias malè eſt animo? Negabat Babylonius noſſe, quid vellet hoc verbi, quod diceret iuvenis. Et ſapientibus quidem, inquit, ſummum bonum in tranquillitate reponitur. Ego vero illam nec ſenſi unquam. Impellebat ambiguum alia ex alia cupiditas, metus, fiducia. Affectionum ambitioſo obſequiô obtundebam rationem, perſtudioſè adnixus, ne unquam repararet ſe ſibi. Sani conſilii nec umbram tuli. Hæc illa quies, hæc mea tranquillitas. Aliâ frui non niſi neminem puto. Hæc inſuper illa fuêre bona, quorum iactura hos mihi nunc gemitus.

Obruebatur os ita loquentis fletu, qualem effœminati fundunt muliebritérque timidi, qui ex ſortis indulgentia ad adverſa imparem animum afferunt. Circa regem erant mancipia, regiis manibus inferiæ data. Ea Mercurius ſimul cum rege Charonti tradiderat, facta poteſtate in illum, cui ſerviêrant. Itaque illa iam non metuere, non adorare; ſed illigatum vinculis afficere ludibriis, quæ nec tole-

tolerarent viliſſimi. Oggerere quidam: Præ ipſisne fuiſſet homo? Divinos honores quàm is affectâſſet ſtolido conſilio, cui fuerit recordandum, & ſe humano duntaxat proſeminatum ab genere. Sapienter tu quidem (inſultabat alius) te mortalium excerpebas numero. Monſtrum ſcilicet eras, non homo. Alius haud paulò amarior. Age! aurium tuarum mancipia oſtende: aſſentatorum manipulos exhibe. Scilicet miſer non habes, in hos quod diſpergas in poſterum. Hui tanti Regis potentiam, quæ ſuis iam famulatur mancipiis! En! ùt lento gradu ad vindictam ſui Deorum procedit indignatio, & procedit tamen.

Hæc tota ſtomachi contentione debacchantibûs servîs, rex pronus corruere in terram, furere, deſperare, ambabus manibus crinem inceſſere. At Charon increpabat mancipia: Quin vinculîs tractum, & renitentem humo ſuſtollite. Indignus eſt, cui ſuum fas ſit recondere dedecus. Quotquot in Inferis manes, id videant, ne vapulet Deorum patientia, huic impietati in terris permittentium regalem potentiam. Quid palpitas, miſer, ad hæc dolorum tuorum præludia? Actutum fulminabit te rigidi Minois numquam mutanda ſententia.

Nondum Charon finierat terribiles voces, cùm Plutonii regni crepidines navicula tetigit. Concurſabant manes, avidi vivum hominem cognoſcendi, quem inter defunctos advenas conſpicabantur. At ſimul Telemachus è cymba egreſſus, ſimul illi, velut ad tenuiſſimum lucis initium nocturnæ umbræ, dilapſi ſunt. Tum Charon paullùm liquidiori fronte, oculîſque revocatis à moroſo,

 quod

quod amant, faſtidio: Per Superos, quibus es curæ, licet, mortalis, tibi ſubire viventibus interdictum noctis Imperium. Quò igitur te fata trahunt, propera. Per hæc opaca ad Plutonem eſt iter. Conſpicies ſublimem throno. Pandet ille locos tibi, quorum arcana fas non eſt hoc ex ore cognoſcere.

Magnis ergo paſſibus ſe agere iuvenis. Oggerebatur conſpectui eius par maritimis arenis multitudo undequaque & ſublime meantium animarum, quibûs præter ordinem agitatîs & confundentibûs ſemet incerto motu, divinum ſe intrare horrorem ſenſit, adiutum utique altô tam vaſtis in locis ſilentiô. Cùm verò iam proximus eſſet diverſorio inclementis Dei, ſurrigebantur capilli: vacillabat incertum genu: luctabatur intercepta vox, in hæc tantùm verba nec ſine conatu ſufficiens: En! terribile Numen, infauſti Ulyſſis filium. Adeſt quæſitum abs te, tuóne ín Imperio, an adhuc inter vivos ſit genitor?

Erat ex ebeno ſolium, in quo Pluto conſidebat. Os pallidum & ex ſeveritate acerbum. Imminebat ſcintillantibus oculis frons multa & contracta in minas. Aſpectum morituri primùm hominis haud abhorrebat leviùs, quàm lucem, de die latebris aſſueta, animalia. Proſerpina tegebat alterùm eius latus. Hanc ille unam intuebatur; viſúsque eſt inde non nihil aſperitatis dimittere animo. Et in ipſa quidem Diva perſeverabat perpetim renaſcentis formæ prodigium. Quamquam difficile & immane quid divinis moribus ex mariti ſocietate videbatur acceſſiſſe.

Recli-

Reclinabat ad infima throni mors, pallore terribilis, falcemque exacuens in futuras ſtrages. Ponè graſſabantur lucis expertes Curæ, immania ſibi fingens Suſpicio; cruore ſatiata obſitáque vulneribus ulciſcendi Cupiditas; æquo alienum Odium, ſuîque carnifex opum Eſuries, membris ſuis infeſta Deſperatio; malè ſana honorum turbulentáque Sitis; cruoris avida, neque ex malo, quod machinata eſt, felicior Proditio; circumfluens peſtilenti veneno & ob ineptas ad nocendum vires inſaniens Invidia; ſpe conſumpta præceps in abyſſum, quam ipſam fodit ſibi, Impietas; nefandæ Intemperiæ, ſpectra terrendis viventibus, nocturni Horrores, funeſtæ illíſque haud paulò mitiores Vigiliæ: quæ omnia circùm Plutonem implebant triſte palatium. Ceterùm is voce incondita & à qua Erebi abyſſus cœpit inhorreſcere, reſpondens Telemacho:

Fatorum, inquit, permiſſu mortalî veſtigiô profanas hæc ſacra defunctorum perfugia. I, & quæ favens tuæ gloriæ Dyphtera præſcribit, ſequere. Genitorem petis? Id verò non cognoſces ex me. Quærendi illius (quod ſatis eſt) copiam habe. Rex fuit: opus duntaxat, hinc, quà malos reges plectit Tartarus, inde, qua bonis mercedem Elyſii dependunt agri, percurrere. At niſi per Tartarum non datur ad iſtos aditus. Illuc te actutum, dehinc meis de regnis aufer.

Nec mora: volatu magìs quàm curſu ſe agit per immenſa locorum ſpatia Telemachus, incitante induſtria ſimul experiundi, ſitne viſurus genitorem; ſimul liberandi ſe iniucundâ illius Numinis præſentiâ, cuius metus vivis mortuíſque perpetuò incumbit.

Nec multò poſt videt ſe proximè Tartarum eſſe. Fumus erat denſa caligine, quem evolvebat infelix locus, fœtore lethalis, ſi inferretur in vivos. Obverſabatur igneo torrenti, & quibusdam procellis flammarum, edentibus mugientem fremitum ſtrepitúque mixtum, quocum ex ſummis præruptisque montibus rapidiſſimi torrentium præcipitant. Unde hìc loci nihil ſincerè ad aures allabitur.

Firmabat Telemachum à Minerva occultus vigor, ut ſine formidine ſe in horribiles Tartari fauces immitteret. Venêre illico in conſpectum eius homines magno numero, ultimáque ex plebe quóndam, ſed nunc exſolventes ſupplicium, quòd per fraudes & proditiones ſævitiâmque ab inopia ad divitias contenderunt. Hypocritarum quoque multitudinem aſpexit, qui impia ſimulatione religionem ambitioni ſuæ prætexentes, humanæ credulitati impoſuerunt. Hi verò homines propter abuſum rei, qua nec Superi quid maius habent, nempe virtutis, pœnas tolerabant ſummæ inter omnes malitiæ. Quippe nec liberi, qui auctores vitæ ſuæ dederunt neci, nec coniuges, quæ virorum cædibus inquinârunt torum, nec, qui obliti iuratæ fidei patriam tradiderunt hoſti, graviùs torquebantur; ita ſancientibûs iudicibûs, qui ius à corpore abſtractis animabus dicunt; quoniam hypocritæ præter aliorum, qui ſcelera ſectantur, morem, non contenti, ſe malos eſſe, pietatis inſuper affectant opinionem; quare demum ſinceræ etiam virtuti fides detrahitur. Ac propterea Diis, quos deſpicatui habuerunt ipſi; aliis expoſuerunt, oblectamento eſt, poſſe ſacrilegum contemptum ſuî ulciſci.

Erant

Erant præter eos, quos à ſuppliciis, certè gravioribus, iudicium vulgi abſolvit, Rhamnuſia verò implacabilis hìc premit. Sûntque ingrati, mendaces, adulatores, à quibus laus attributa flagitio; vituperatores maligni invidíque, qui vel integerrimæ virtuti maculam non nullo impegerunt opere; ac illi denique, qui temerè pronunciantes de minùs ſibi cognitis, multum innoxiæ aliorum famæ decerpſerunt.

Ceterùm ex ingratis ſubibant graviſſimum ſupplicium, qui tales fuerunt in Deos. Hac ſuper re Minos diſſerens: Nónne monſtrum, inquit, imò & portentum eſt, ſignum acceptæ gratiæ non edere parentibus amicisve, aut quoquo demum modo impendentibus auxilium? Et erit, honori qui ducat ſibi, laudíque, memorem animum non præſtare, vitæ, & omnium, quæ vita eſt complexa, bonorum auctoribus Diis? Aut Diis, credo, quàm genitoribus, homines non debent magìs naſcendi beneficium. Scilicet hæc univerſa crimina, quo plus impunitatis & patrocinii conſequuntur inter vivos, hoc ampliùs pertinaciúsque perſequitur implacabilis apud Inferos Iuſtitia, à qua nulli quantumvis labeculæ, venia tribuitur.

Fortè tum homini ius dicebatur à tribus iudicibus. Itaque Telemachus auſus eſt damnationis eius ſententiam exquirere. Continuò vociferari reus: Nunquam à me quid actum mali. Beneféci, & ſumma voluntate quidem. Magnificè vixi; ceterà liberalis, iuſtus, miſericors fui. Quid ergo mihi obiicitis? Hæc iactanti, Minos: Quod ad homines, inquit, nihil obiicimus tibi. At Diis nunquid debebas præ hominibus? Age! cedò

 illam

illam tuam, quam iactas iuſtitiam? Hominibus, qui nihil ad Deos ſunt, ex aſſe reddebas officium. Coluiſti virtutem: at quidquid in te erat eius, referebas ad te, non ad Deos, à quibus tamen fuit in te derivatum virtutis munus. Voluiſti ſcilicet fructum voluptatémque percipere tuæ propriæ virtutis, tibíque ipſe includi. Tu idem ara tibi eras & Numen. At nequeunt, qui ſunt univerſa operati, & operati propter ſe, Dii iure non uti ſuo. Oblitus es eorum, & ipſi obliviſcentur tui. Relinquent te tibi, quoniam libebat tibi non eſſe ipſorum, ſed tuum. Age, ſolatia dehinc à te ipſo, ſi vales, pete. Diſtractus morte ab illis in perpetuùm, quorum palpabas gratiam, iam tu tecum uno & ſolo verſaris, quem unum adorabas & ſolum. Diſce modò, virtutem, quæ vera ſit, contemptîs Diîs, nullam dari. Detrahetur larva virtuti tuæ, quæ credulos mortales luſit dudum. Et hi quidem ùt vitia & virtutes vel moleſtas vel commodas ſentiunt, ita de utrìsque iudicant, & tam ad malum quàm in perniciem cæcutiunt. Hìc verò loci cœleſtis quidam radius quaſquas tenebras humani iudicii diſſipat, plerumque damnans, quæ ab illo ducuntur plurimi; probânſque, quæ perverſis arbitris viluêre.

Hac pronuntiata ſententia ceu fulmine percuſſus Philoſophus ille ſe deinceps ferre non potuit. Quæ alioqui miram voluptatem afferebat cogitanti, virtutum ſuarum, temperantiæ, fortitudinis & magnanimitatis recordatio nunc in ingens argumentum vertebatur deſperationis. Pars ſupplicii ipſi erat contemplari averſum à Diis animum ſuum. Intuebatur ſeſe, nec deflectere poterat ab

hoc

hoc intuitu. Videbat, quàm vana mortalium iudicia, à quibus actionum ſuarum nec unicam patiebatur abire. Per omnia, quæ erant in ipſo, mutabatur omnino, & velut ex integro converſis viſceribus. Sentiebat, ſe deſiiſſe eundem eſſe. Omnis vigor dilabebatur animo: Excibat in eum ſtimulos ſuos conſcientia, cuius teſtimonio olim delectabatur tam commodè; perverſamque de virtutibus ſuis opinionem acerbe caſtigabat; quippe quarum nec origo nec meta fuiſſent Dii. Perturbatio, ſtupor, ignominia, cruciatus & angor malè conſcium animum impleverant. A Furiis nihil inferebatur moleſtiæ. Reliquerant, tradiderântque eum ipſi ſibi, reputantes ſatis eſſe, ab ultrice animo ſpretos Deos ex æquo vindicari. Perquirebat ultimas latebras, quibus cùm à ſuo non poſſet, à reliquorum certè manium conſpectu ſe removeret. Sectabatur tenebras, at inutili opera. Inhærebat fugienti moleſta lux, cuius percuſſus radiô exſolvebat ubique ſpretæ virtutis ſupplicium. Averſabatur, quæ amaverat antea, quippe tormentorum ſuorum perennem fontem & ſcatebram. Me inſanum (ita ſe ipſe accuſabat!) nec Deos ergo, nec homines noveram; ſed nec ipſum me? Ita eſt, quia amavi nunquam unum, nunquam verum bonum, nihil noveram. In quot paſſus pedem, in tot errores duxi animum. Omnis hæc ſapientia ſtultitia, hæc virtus omnis nefaſta & cæca ſuperbia fuit; idolum ego ipſe mihi.

Sunt inter reges, quos abuſus poteſtatis reos facit Inferorum ſupplicii. Et hos demum Telemachus aſpexit. Speculum ſtatuebatur altera ex parte ab ultrice Furia, nihil celans turpitudinum, quæ

in criminibus eorum reperiebantur. Fuêre autem, quæ in eo videbant quantumlibet nolentes, pinguis ſtupidáque vanitas, qua ferebantur in laudes etiam luculenter ineptas; in homines, quos felices debuerant reddere, duritas, ſtupor ad ſenſum virtutis, formido veri, ſtudium in viles homines & ſervientes auribus; ſævitia, intempeſtiva ſuſpicio; faſtus, & ruinis populorum fulcienda luxuria; ambitio, pauxillum honoris mercata cruore civium; illa denique crudelitas, quæ novas in dies illecebras in tot infelicium lacrymis & deſperatione ſcrutabatur. Hoc igitur in ſpeculum defixo aſpectu videbant, præ ipſis minus monſtrum & portentum eſſe vel Chymæram, quam Bellerophon cecídit, vel ab Hercule iugulatam Hydram; vel ipſum adeò Cerberum, tametſi atram ſaniem, & malè afficiendo univerſo hominûm generi idoneum cruorem liberrimìs faucibûs evomentem.

Simul autem è diverſa parte Furia alia ab aſſentatoribus tributas ipſis adhuc vivis laudes inſultantis voce, habitúque repetens, & ipſa ſpeculum exhibuit, quod reges ea reddebat ſpecie, qua olim repræſentabantur adulationis ingenio. Hæc comparatio duarum, adeo ſibi non congruentium, imaginum erat ſtatutum regiæ vanitati ſupplicium. Videre erat, iis ex regibus peſſimos eſſe, quorum, dum vivebant, ſplendidiſſimæ laudes extitêre; quoniam mali Principes timentur præ bonis, & viliſſimas adulationum quisquilias ab eruditis temporum ſuorum calamis non verentur in iniquum cenſum exigere.

In hac ergo abyſſo tenebrarum, ubi nihil præter ignominias ludibriáque, quæ admittere coguntur, ſen-

ſentiunt, perſpicua ex gemitibus erat eorum calamitas. Ab omnibus, qui ſtipant, repelluntur, contraveniuntur, illuduntur. Pro eo, quòd in terris cum vita luſitabant mortalium, crediderántque omnia ipſorum obſequio naſci; in Tartaro voluntati traduntur quorumdam mancipiorum, à quibus crudeles ſervitutis ærumnas ordine perſentiſcunt. His cum dolore ſerviunt nulla ſpe mitigandæ captivitatis, nec liberiores à tyrannorum ſuorum flagellis & ſcuticis, quàm ad Æthnæ furnos præſente Vulcano incus à Cyclopum malleis.

Occurrerunt præterea intuenti vultus pallidi, horribiles, pleníque mœroris & luctus. Roduntur hi facinoroſi atroci dolore. Ipſi ſibi horrori ſunt, quo minùs, quàm naturâ ſuâ, carere permittuntur. Alio ſupplicio peccatorum præter ipſa peccata iisdem neceſſe haud eſt. Quippe obverſatur continuò, quanta quanta in ſceleribus hæret, immanitas; & peccata ipſa inſiſtunt terribili ſpectrorum aſpectu, à quibus ut liberent ſe, inquirunt mortem primâ validiorem, qua exempti fuerunt corporibus. Mortem ſcilicet amentes deſperatione implorant, quæ omnem ſenſum, omnémque cogitationem rerum valeat extinguere. Abyſſos invocant, quibûs dehiſcentibûs abſorpti comites ſuos poſſint effugere, veritatis ultrices radios. At ſuperſtites iubentur eſſe vindictæ, cuius iræ ita ſenſim in eos ſæviunt, ut numquam deſæviant. Veritas, olim cognoſcentibus metus, iam pœna & tormentum eſt. Valent illam, quippe propterea per mortem non privati videndi copia, ut eandem inſultantem aſpiciant. Hic porro aſpectus veritatis miſeros percutit, vellicat, eripítque ipſos ſibi. Fulgur quod-

dam eſt, intima viſcera, exterioribûs intactis, penetrans atque perſtringens. Vindex flamma eſt, quæ metalli inſtar in ardentem immiſſi furnum liquat animam; quam etſi nulla parte depaſcitur, vi tamen naturáque ſua exſpoliat. Reſolvit quippe graſſaturque ad usque prima vitæ principia, quin vincula, quibûs facultas continetur vivendi, relaxet. Atque in hoc ſtatu homo à ſe ipſe abſtractus eſt: auxilium nullum, nulla vel ad momentum requies: alimentum vitæ unicum rabies, qua in ſe reus ipſe invehitur, & ex perditis rebus exiſtens inſania.

Inter ea, quæ cum ingenti horrore intuebatur Telemachus, fuêre complures ex antiquis regibus Lydiæ; dantes pœnas, quoniam mollem vitam prætulerunt induſtriæ, quam ad relevandos populos neceſſe eſt ſemper regiæ dignitati eſſe annexam.

Mutua exprobratione cæcitatis debacchabantur in ſe ſe. Erant inter eos duo, quorum alter alterum, quem idem genuerat, increpans: Ego quoties monui te, inquit, & cùm adhuc degerem annos deteriores ætatis meæ, & ante mortem: ut mala damnáque reſarcires negligentiæ meæ? Tu verò, regerebat filius, tu ſolus infelix auctor eras & vitæ & ruînæ meæ. Faſtum, arrogantiam, ſenſum in illecebras pronum, in homines inhumanum, transfudit hanc in mentem exemplum tuum. Videns te circumfluentem luxu fæcibúsque vulgi, aſſentatoribûs, verſari in imperio, adulatorum obſequiis aſſuevi & illecebris voluptatum delectari. Ceteram multitudinem hominum nihil ad regesamplius putabam eſſe, quàm equos iumentáque alia ad homi-

homines, quæ curantur duntaxat, quantum nobis aut ſerviunt aut commodant. Hoc putabam ſcilicet; at tu cauſa eras, ut putarem. Imitabar te, inde autem vah! mihi quæ ſupplicia. His ultro citróque probris iactatis adiiciebant atrociſſima maledicta; viſique ſunt ad mutuò diſcerpendum furore incitari.

Circùm hos item reges agebantur ambiguo noctuarum per tenebras volatu crudeliſſima genera ſuſpicionum, metus inanes, mala fiducia, populorum ob regum inhumanitatem flagella; æterna divitiarum eſuries, gloriæ tam ſæva quàm futilis opinio; ignava mollities, quæ ut mala ærumnásque ſubditorum multiplicat, ita nec verè, nec conſtanter unquam oblectat.

Satìs multi inter hos reges viſi, qui non mala commiſſa, ſed bona à ſe prætermiſſa graviter luebant. Quæ ex neglectis legibus naſcuntur populorum ſcelera, regibus adſcribebantur; quippe conſtitutis, ut eorum auctoritate dominentur nixæ leges. Rei quoque agebantur omnium perverſitatum, quas faſtus, luxuria, & quæcunque demum intemperantia generat, unde ſubditi in conditionem, quam nolunt, devoluti, ad ſpernendas leges invitantur cupiditate fortunarum. Ante alias autem acerrimæ pœnæ fuêre regum eorum, qui cùm paſtores ſe debuiſſent præſtare populis, degenerantes in lupos, gregibus ſuis tota cogitatione machinabantur ruinam.

Ceterùm increbuit metus Telemachi, cùm in hac miſerrima abyſſo tenebrarum intueretur frequentes, qui erant inter mortales cum fama eximiæ probitatis verſati, detruſique ad

Tar-

Tartarum, quòd ſe improbis & ſimulationis artificium probè edoctis hominibus permiſerunt. Torquebantur propter ea flagitia, quibus patrocinati fuerant perverſo poteſtatis & dignitatis ſuæ uſu. Quid? quòd plerique iſtorum regum nec boni nec mali fuêre; tanta erat illorum fragilitas. Quam quidem cognoverunt numquam; ſed neque, ut cognoſcerent, curabant. Expertes ſuavitatum, quarum mater virtus eſt, noluerunt voluptatem ſuam in exercitatione uſúque probitatis collocare.

TELEMACHUS.

LIBER XIX.

Sub ipſum ex his locis digreſſum iuvenis cùm liberiorem ſpiritum velut amota ingenti mole reciperet, intellexit, quanta eſſet in his carceribus detentorum ſpe nulla inde exeundi infelicitas; reputánſque cum horrore, quòd vidiſſet regum quàm cæterorum hominum delicta graviùs plecti: Regum ergò, inquit, tot ſunt officia, pericula, inſidiæ, & labor penè infinitus rectè cognoſcendi, quî ſe ſe ab aliis & à ſe ipſis defendant? Has demum támque crudeles pœnas tolerant in Inferis poſt ſpatia vitæ tam brevis, tam moleſtæ, ærumnoſæ? Ut inſaniunt, qui imperio dedunt cupiditatem; ſapiunt autem, qui extra magiſtratus ſibi putant acquieſcendum in vitæ tranquillæ curriculo, ubi liberior curſus virtuti permittitur.

Cœperat animus talia meditantis commoveri: trepidabat: magnóque ſubeunte horrore ſenſit deſperationem menti inſinuari haud valde abſimilem eorum, quos modò in tormentis conſpexerat.

Ce-

Ceterùm quò abibat ab illa ſede tenebrarum, formidinis & deſperationis; eo magìs recuperabat ſe vigor conſtantiæ. Confirmabatur. Iamque è longinquo vidit initia lucis ex ſede Beatorum emicare.

Agebant hìc loci, qui olim in mortalibus fuerunt iuſtè pieque dominati. Seiuncti à reliquis ordinibus Beatorum, fruebantur longè, quàm dici queat, maiore præ cæteris hominibus, qui virtutem coluêre, lætitia; quemadmodum mali Principes longè quam dici queat, multabantur atrociùs præ facinoroſis è vulgo.

Propinquabat his regibus Iuvenis. Inter ſylvulas morabantur, quarum mirabilis odor aut exiſtebat, aut creſcebat ex perpetuò renaſcentium roſarum adoleſcentia. Sine numero rivuli manabant perennibus aquis. Auræ ex illis frigidulæ. Avium tam frequens, quàm miræ ſuavitatis obſequium. Veris & Autumni partus coævi; illi ſubnaſcentes incedentium veſtigiis, hi ſuſpenſi ramis legentium manibus; ambo ad aſpectum voluptatis. Non Sirii præter modum æſtus, non ex ſeptentrione flatus, non hyems è Caucaſo violant locum: non bella, quæ helluantur humanum ſanguinem; non venenato infeſta dente, convolutíſque inter ſe viperîs, pectus brachiáque perlabentibûs, horribilis Invidia; non rivalium amorum, non alia ſuſpicio; non metus, non vana inutiliáque deſideria offendunt. Nec veſper aut nox illi ſe ingerit. Lux pura nitidáque circumfuſa Iuſtorum corporibus radios ſuos veſtis ritu accommodat, diverſa prorſus à luce, quæ, quantumlibet miſeros oculos illuſtret mortalium, à caligine tamen non differt. Glo-

Gloria potius eſt cœleſtis, quàm lux. Pervadit craſſiſſima corpora acriùs longè, quàm ſolares radii puriſſimam cryſtallum. Non perſtringit oculos, ſed acuit, oritúrque ex ea in intimis animi mira ſerenitas. Illa ſola veſcuntur Beati. Quos ultro citróque permeat; ita ſe penetrans, ut paſſim diffuſa, in eosdem, perinde atque in corpus noſtrum alimenta, abſumatur. Illam vident, ſentiunt, in eáque vivunt. Fontem pacis & gaudii inexhauſtum in ipſis elicit. Immerguntur abyſſo voluptatis, præ quàm piſces Oceano. Nihil requirunt: Nihil deeſt etſi nihil habentibus: præſtat ſapor integerrimæ illius lucis, quantum eſuriunt. Deſideria planè integréque expleta effert plenitudo ſinceræ voluptatis ultra id, quod in terris fames inopiáque hominum venatur. Circumfluuntur deliciis; ſed eas ducunt nihil. Quippe ſenſum oblectationum, quas vident extra ſe, non admittit interior illa ſummaque felicitas: velut Nectare & Ambroſia paſti Dii infra ſe ducunt cruda mortalium obſonia in lautiſſimis eorum conviviis delibare. Adverſis moleſtiisque nullus huc aditus; quem etiam mors, ſiniſtra valetudo, egeſtas, dolor, triſtitia, ægritudo conſcientiæ, metus, metúque ſubinde non lætior ſpes, diſcordiæ, faſtidia nequicquam moliuntur.

Concutiantur licet fundamentîs ſuîs, quæ ad ipſum centrum terræ deſcendunt, evulſa Thraciæ cacumina, quæque inde à principio rerum univerſarum nives glaciémque ſuam intulêre ſideribus: at animi hominum, quos Iuſtitia his locis inſeruit, nec tantillo movebuntur. Tanguntur & unicè quidem, miſeratione calamitatum, quæ mortalibus inci-

incidunt; ſed miſeràtione placida, & moderata, quæ felicitatem eorum non violat. Flos ætatis numquam intermoriturus relucet vultu, proſperitas nullis admovenda terminis, dignitáſque divina ex aſſe. Gaudium, quocum incedunt, non diſſolutum, non propinquum inſolentiæ, ſed ſuave, generoſum, plenúmque dignitatis; éſtque acerrimus ſenſus veritatis atque virtutis, quo geſtiunt extra ſe concitati. Momenta ſingula ſine perturbatione animis ſubvehunt dulcedinem, quantam matribus aſpectus filiorum, quos iam deploravêre inter manes; niſi quod matrum non diuturna, illa perpetua ſit. Non attenuatur vel momento: non obſoleſcit. Velut ebrii quamquam nullo vitio rationis aberrant à ſenſibus. Adſciſcunt in ſermonem, quæ aut vident aut ſentiunt. Calcant pedibus molles illecebras, faſtúmque conditionis præteritæ, quem proſequuntur gemitu. Cum voluptate recordantur tam maligni, quàm non diuturni temporis, quo, ne à probitatis extruderentur ſemita, contra ſe ipſos, contráque torrentem depravatæ multitudinis cogebantur dimicare. Admirantur Deorum auxilium, quo per tot diſcrimina trahebantur ad virtutem quaſi manu. Divinum eſt, nec manifeſtum humanæ rationi, quod pergit ſe inſinuare interioribus animi quaſi torrens divinitatis, quacum iunguntur. Vident & guſtant ſe beatos eſſe, & ſemper fore perſentiſcunt. Canunt laudes; habéntque unam duntaxat vocem, cogitationem eandem, idem cor. Una eadémque felicitas æſtus in modum commeat in concordibus animis.

In hac divina à ſenſibus alienatione conſtitutis ſæcula multò citiùs præterlabuntur, quam horæ mor-

mortalibus; adeóque nihil voluptati detrahitur curriculô ſæculorum iterum atque iterum emenſô, ut perſeveret non modò integerrima, verùm inſtauretur etiam ſine intervallis. Omnes ſingulíque regnant non in ſolio, quod metuat humanas manus; ſed in ſe ipſis & cum poteſtate, quæ viciſſitudinem non recipit. Neque enim opus habent deinceps à vili & imbelli populo commodata auctoritate ſe reddere terribiles. Sed nec illas iam Cidares geſtant, quarum auguſtus ad oculum ſplendor tot metus, tot curas celat. Coronas autem ferunt, impoſitas Deorum manu, immunes ab iniuriâ.

Telemachum, tum deſiderio patris ſui, tum ſpe reperiundi eius ſuſpenſum in tam beatis locis, tantopere affecit pacatæ iucunditas felicitatis, ut hìc moleſtus ipſi non accidiſſet patris aſpectus. Poſtea certè ad morituros primùm homines coactus redire, adeò cruciabatur animi, ut exclamaret: Hi verò vitam, nos mortem vivimus. Ceterùm illud vehementer Iuvenem concuſſit, quòd tot reges viderat in Tartaro, tam ferè nullos in Elyſiis. Inde ergo intellexit, reges paucos habere ſat conſtantis animi & ad ſe, & ad vincendas tot adulatorum blanditias, qui omnes regum cupiditates vinculis liberant. Bonorum ergo regum perexiguus eſt numerus: malorum verò maximus & usque adeò à rectè factis deficiens, ut ab æquitate deficerent Dii, niſi extractos è vivis damnarent ſupplicio, poſtquam tam diuturnum abuſum regiæ poteſtatis non repugnanter indulſère.

Nusquam inter hos reges genitorem Telemachus vidit. Avum ergo, divinum Laërtem, oculis putabat requirendum. Id nequicquam actitanti ſuper-

ſupervenit venerabilis & auguſta forma ſenex, cuius ætas alia erat atque illorum, quos, dum vivunt, in terram pondus annorum inclinat. Notæ tantùm ſupererant, ante mortem natu grandiorem fuiſſe. Quidquid gravitatis ſenium, iuventus ſuavitatis habet, in illo ſe collegerat; ſub ipſum quippe in Elyſios agros introitum ſenibus etiam effœtis ornamenta redduntur viridioris ætatis. Feſtinatò ſe offerens, Telemachum perhumaniter, & mirificè diligentis ſpecie intuetur, multùm & anxiè hæſitantem in ignoti hominis aſpectu.

At ille: Condono tibi, inquit, mi fili, ignorantiam mei. Arceſium vides, Laërtæ patrem. Vivere deſii ferè, cùm Troianam profectionem ingrederetur Ulyſſes nepos. Tu verò inter nutricis ulnas tum agebas ætatem primulam. Ex eo iam tempore indolem tuam in ſpe optima poſui; & rectè quidem. Video te ad Plutonis regnum ad quærendum patrem deſcendiſſe. Video huic voluntati tuæ non alienos Deos. Fortunate fili! amant te Dii, & cum Ulyſſis gloria eunt coniunctum tuam. Sed & fortunatum me, quòd rurſum te aſpicio. Ceſſa hic Ulyſſem inveſtigare loci. Vivit & vivit ad familiæ noſtræ in Ithaca reſuſcitandum decus. Laërtes carpit adhuc vitales auras, nutrítque canos ultimos. Et ipſe Ulyſſem expectat ſuum, qui morientis oculis imponat digitum. Homines ergo florùm ad inſtar tranſeunt. Qui mane exordiuntur vernantem adoleſcentiam; lapſi veſpere aridum in ſenium, veſtigia incedentium ferunt. Humanæ vitæ ſpatia celeritate transmittimus aquarum torrentium. Quid enim poteſt curſum reprimere temporis, vel illa, quæ moveri non videntur poſſe, ſecum

auferentem? ætate hac tam florida, tam iucunda te ipſum fili, fili, inquam, velim meminiſſe, hunc annorum tuorum florem florem eſſe, vivendi non lentiùs maturaturum finem, quam maturavit initia. Hæc venuſtatis iucunditas, hæc ad delectandum ſuavitas, videbis, ùt ipſam ſe deſtituat. Dilabetur robur, valetudo, alacritas tanquam formoſæ inter ſomnum imagines, nec niſi triſtem relinquent ſui memoriam. Tum exhauſta & ab oblectationibus aliena ſenectus adrepet: rugis te obſeret: corpori erectum habitum, vigorem artubus demet: exſorbebit fontes, unde tuæ in animo lætitiæ: obruet te nauſeâ præſentium: terrebit metu futurorum: languenti denique ſtuporem ad omnia, niſi quæ dolent, immittet. At enim longè abſunt hæc triſtia? Imò properant; imò iam imminent. Neque enim à te procul eſſe putandum eſt, quod tanta celeritas advehit. Sed & ipſum præſens, quod præter labitur, iam eſt procul à te, quando, dum loquimur, deſinit adeò, ut in poſterum haud valeat recuperari. Spes ergo tuas, fili, averte à præſentibus, & perſeverans in ardua ſemita virtutis reſpice futura. Puritate morum & æquitatis induſtria in his æternæ pacis ſedibus tibi para locum. Videbis deinceps, nec multò poſt, genitorem tuum priſtinum recuperare decus in Ithaca. Et tu natus es quidem, ut ab eodem ſceptrum accipias. At regiæ ô inſignem fallaciam dignitatis! quam ſi è longinquo aſpicimus, grandeſcit, ſplendet, delectat; ſpinas & tribulos obiicit intuenti propiùs. Licet vulgo ſine noxa degere vitam ſolitariam, iucundam, otioſam; at non licet præter honoris ſui diſcrimen regibus, otia tranquillæ vitæ moleſtiis ante-

antehabere imperandi. Tenetur, quibuscunque præeſt, neceſſitudine; nec ſuus eſſe unquam permittitur. Erroris étiam minimi, quem errat, quoniam nocet integris populis & per multas ſæpe ætates, talis ſemper eſt noxa, cui nec modus reperitur, nec ratio. Regis eſt coërcere improbos, tueri innocentes, extinguere criminationes, & calumnias. A malefactis non ſufficit immunem eſſe. Tenetur inſuper ad rectè facta incumbere, &, quibus res opus habet publica, providere. Quid? quòd neque illud ſatis eſt, regem ipſum rectè facere, niſi etiam mala impediat, quæ homines, exiſtente impunitate ſcelerum, committerent. Time igitur, fili, time vitam, quam vivere non poſſis ſine periculo. Indue roboratam audaciam animo reſiſtendi tibi, cupiditatibus, adulationi.

Videbatur divinus quidam æſtus incitare tam ſalubria monentem; intellexitque Telemachus ex oris habitu, eum diſſerere de malis, quæ regiæ dignitati adiunguntur, cum ſingulari miſerationis affectu. Addidit ſenex: Regia poteſtas, propriæ voluptatis ergo ſi ſuſcipitur, monſtrum & tyrannis eſt; ſumma verò ſervitus, ſervienda ſtrenuâ heroicáque patientiâ, ſi cauſâ officii, & paterno in innumerabiles populos animô. Quamquam & illud certiſſimum eſt, qui vera cum virtute imperârunt, in his locis poſſidere, quantum ad perfectam abſolutámque felicitatem poteſt facultas Deorum tribuere.

Hi ſermones, ùt proferebantur ab Arceſio, haud leviter penetravêre iuvenis animum. Imprimebant ſe pectori, quantum inciſæ periti artificis ſcalprô, ad ſeræ poſteritatis oculos transmittendæ,

imagines æri. Flamma quædam erant, cuius acutiſſimam vim Telemachi præcordia non valebant inhibere. Sentiebat ſe moveri, accendi. Divinum, neſcio quid, erat, quo videbatur cor eius liqueſcere. Gerebâtque in intima ſui parte aliquid, cuius occulto morſu conſumebatur. Non retinere id poterat, non tolerare, non vim eius repellere. Senſus quidam erat ſimul vehemens, ſimul delicatus, mixtus doloribus, qui ſatis eſſent ad exanimandum hominem.

Subinde Telemachus potitus liberiore ſpiritu, vidit Arceſii vultum Laërtæ ferè æqualem eſſe. Recordari etiam quoquo modo, etſi non ſatis explicatè, ſe putabat, hanc facilem oris conformationem multam in genitore, cùm in Troianum iter ſe daret, fuiſſe.

Ipſa verò hæc recordatio tetigit iuvenem. Gaudio mixtæ lacrymæ decorè fluebant. Cupiebat amplecti tam charum caput; & tentavit etiam, tametſi non crebriùs, quàm inutiliùs. Eximebat ſe amplexui elapſus ſpiritus, ut per ſomnum obiecta dormienti, quam appetit, ſpecies. Nunc fugientes aquas inſectatur ſiti peruſtis faucibus: nunc movet labia, molitúrque verba, quæ torpenti linguæ fruſtra imperat: aliàs extendit nihil prehenſuras manus. Ita neque Telemacho fas erat comprehendere, ad quod ſe ardor eius exporrexerat. Percipiebat Arceſium viſu: ſentiebat aure: compellabat ſermone. Ceterùm contingere manu non potuit. Cœpit tandem, quinam circa eum viri eſſent, percontari.

Fuêre iſti, quos vides, Senex inquit, ornamenta ſuorum temporum, & gloria felicitasque humani

generis. Vides hìc, quantus regum illorum numerus, qui ſe dignos ſceptro, & Deorum in terris officium præſtiterunt. Alios his proximos vides, ceterùm nubecula ſeparatos; qui longè inferiore gloria potiuntur. Quamquam enim Heroës ſunt: At nequit merces bellorum, quæ geſſêre, cum præmio regum ſapientum, iuſtorum, & bene aliis facientium comparari.

Ecce in iſtis heroibus Theſeum ſubtriſti vultu. Verſutæ fœminæ (hoc infortunii ſibi invenerat) minùs cautam fidem habuit; & adhuc dolet, mortem filii ſui Hippolyti à Neptuno ſe iniquîs precibûs impetrâſſe. Felicior nunc eſſet, ſi quondam ad iram tardior. Sed & Achillem aſpice, haſta excipientem corpus, fatigatum ex vulnere, quod plantæ eius incuſſum fœminea Paridis manu vitam heroi abſtulerat. Si ſapientia, ſi æquitate & temperantia æquâſſet imperterritum animum, diuturnum ſceptrum ipſi annuiſſent Dii. At miſerti Phtyotarum Dolopúmque, in quos hic Pelei dominaturus fuiſſet hæres, noluerunt tot populos committere homini præfervido, & in furorem turbulento pelagô proniori. Mutilavêre Parcæ, quod vitam eius ſuſpendebat, filum. Par vix nato flori, quem ſeu vomis decutit; ſeu ipſe adhuc natalis veſper ornamentis exſpoliat. Uſui certè Diis non fuit, niſi quem ex torrentibus & tempeſtatibus ad caſtiganda flagitia hominum conſequuntur. Ad proſternenda Pergama ob Laomedontis perfidiam, & Paridis iniquos auſus Achille voluerunt uti. Erat inſtrumentum vindictæ eorum; qua facinoroſis adhibita, ſatiati, hunc pubeſcentem & ſupra vulgus militem, quoniam non niſi ad affli-

gendos homines oppidáque & regna evertenda videbatur natus, neglecto Thetidis fletu iudicabant in terris non diutiùs relinquendum.

En alium ibi torvo vultu! Aiax, Telamonis filius & Achillis propinquus eſt. Quantam ille ex rebus belli geſtis laudem, noveris utique. Contendebat poſt Achillis mortem arma eius uni ſibi deberi; quæ parens tuus neutiquam illi arbitrabatur concedenda. Ulyſſi adiudicata ſunt. Ergo ille violentas ſibi inferre manus deſperationis impetu. Ægritudo & furor emicant adhuc offenſi vultu. Propiorem cave illi te facias. Crederet te velle calamitati, quam ſubiit vera commiſeratione dignam, illudere. Ut (quod advertis) nos acerbè reſpicit! Ut in obſcuriorem nemoris partem feſtinanter ſe odio noſtrî coniicit! At è regione Hector eccum moratur ibi; invincibilis profectò, niſi æqualem eius Thetis peperiſſet. Ecce tibi prætereuntem Agamemnonem, notíſque cruentis vel adhuc loquentem Clytemneſtræ ſcelus. Horreſco, fili, quoties miſerabiles caſus huiusce ex Tantalo generis recordor, quod abominatione & ſanguine fœdârunt fraternæ (Atrei & Thyeſtæ) diſcordiæ. Ut ſcelus unum cauſa eſt aliorum magno numero ſequentium! Agamemnon poſteaquam ex Troiana obſidione imperator deportâſſet Græcorum exercitum, non potuit bellicæ fructu laudis cum otio frui. Atqui hoc idem fatum eſt omnium, qui expugnandis regnis ſe dedêre. Quoscunque hìc vides, bello fuerunt terribiles. Quoniam verò nec humanitatem, nec virtutem coluerunt feriò, ſecundas tantùm in ſedibus beatorum tenent.

At

At præſentes iſti exercuêre iuſtum imperium, eóſque amabant, in quos exercuêre. Amici Deorum ſunt. Dum Achilles & Agamemnon fervent conſuetis rixis & contentionibus, atque adhuc conflictantur cum moleſtiis præteritæ vitæ, ſuíque vitiis ingenii; dum vitam, quam perdiderunt, proſequuntur gemitu, pigétque modò non niſi imbelles inanéſque ſpiritus eſſe: Reges illi, quorum à iuſtitia exiſtit commendatio, divino lumine, quo nutriuntur, probe caſtigati, felicitatis beatiſſimam copiam poſſident. Contemplantur molli animo turbas mórtalium, ſummáſque res, quibuscum dimicat humana ambitio, in contentionibus ponunt infantiæ. Satiantur intelligentia rerum & virtutis, quam ex ipſis originibus petunt; non iam ſibi ipſis infeſti, non obnoxii aut deſideriis, aut inopiæ, aut formidini. Abſolverunt omnia excepto hoc gaudio, quod abſolvi non poteſt.

Inachum hunc, pervetuſtum regem & auctorem Argivorum conſidera. Vides, quanta illi in ſumma ætate manſuetudo & auctoritas. Invitant veſtigia eius ſubter naſcentes roſæ. Invidiam altilibus movet agilitate incedendi. Intercinente lyra, quam gerit manu, ſopitíſque ſenſibus perpetuò liber celebrat Deorum miracula. Ambroſiæ odor è labiis: è fidibus & gutture ad homines Deóſque afficiendos ſonus. Hæc ſcilicet præmia ſunt charitatis, qua inſtitutæ à ſe civitati legibúſque initiatum populum diligebat.

Altera parte infra illas myrtos vide ſis Ægyptium Cecropem. Athenæ, Palladis civitas, ex qua ſibi induit nomen, primò illius imperiis paruit. Cecrops enim poſtquam ſalutares quaſdam leges

ex Ægypto, Græcarum ſcientiarum & morum patria, ſecum tranſtuliſſet, abſterſa feritate urbes Atticas ad humanitatem & vinculum commune ſocietatis inſtituit. Rex iuſtus, humanus, miſericors; reliquit ſuperſtitem vitæ ſuæ populum divitem, familiam duntaxat mediocrem; quoniam nolebat poſt ſe quemquam ex ſuis ſceptrum capeſſere, cui reputabat digniorem manum ab aliis poſſe admoveri.

Non prætereundus in hac modica valle Erichthonius, qui rationem ſignandi argentum invenit primus; quod quidem eo ſpectabat, ut inter Græcas inſulas expeditiora eſſent commercia. At ſatis prævidebat, magnîs incommodîs vacare hoc inventum non poſſe. Ergo coactis concionibûs: Naturales divitias, inquit, quoniam hæ quidem veræ, germanæque divitiæ ſunt, ut augeatis, omni vobis contentione eſt allaborandum. Colite terram ad frumenti, vini, olei, fructuúmque comparandam copiam. Rei pecuariæ, unde lac alendo corpori, lanæ operiendo proveniunt, pro viribus quisque inſiſtite. Ita ſemper profligabitis inopiam. Quot vobis liberi, tot adiumenta gignentur, ſi ad laborem inſtitueritis, diteſcendi. Exhauriri nequit telluris fœcunditas. Creſcit pro numero incolarum, qui illi iuſtam dant operam, cuius quidem largam mercedem reportant; ùt, qui ſegniter colunt, vel tenuiſſimam vel nullam. Veras, inquam, divitias, quæ ad veram neceſſitatem hominum faciunt, omni diligentia quærite; ut augeatis, inſiſtite. Iam æs ſignatum nequaquam curabitis ampliùs, quàm aut ad bella neceſſaria opus erit foris gerenda, aut ad mutationem mercium, quibûs neceſ-

neceſſitatem veſtram patria terra deſtituit; tametſi uſum rerum, quæ uni luxuriæ, vanitati, illecebris aſſiſtunt, omnino cenſeam abolendum.

Illa porro verba Erichthonio familiaria fuêre: Vereor, filii, ne inventa moneta rem vobis invenerim peſtiferam. Ut iam nunc mihi præſagit animus; gignet avaritiam, faſtum, inſolentes ſpiritus. Artes alet ſine numero, quarum fructus unicus mollities & corrruptela morum. Pacatæ ſecuritatis fulcrum unum, beatam ſimplicitatem, vertet in nauſeam. Agriculturam, illam baſin humanæ vitæ, ſcatebrámque omnium, quæ verè bona ſunt, in rebus ignominiæ ponet. Ego verò Deos teſtor, id inventi genus, quod per ſe commodis ſuis non caret, me vobis vera ſanctiſſimáque voluntate tribuiſſe. Tandem Erichthonius compertô (id quod præviderat) populos ob pecuniam vergere in deterius, ſe præ dolore in montem horridum incultúmque abdidit, ubi ad ultimum ſenectutis inopem vitam tulit & usque adeò ſolitariam, ut quæ ſpeciem præferebant magiſtratûs, à ſe prorſus aliena reputaverit.

Haud multò poſtErichthonium ſurrexit inGræcia Triptolemus, inſigne nomen, quem Ceres agriculturâ erudivit. Et tum quidem homines iam intelligebant frumentorum nomenclationem, quáque augeantur ratione ex ſeminibus. Ceterùm artem ipſam colendi agri non callebant. Adeſt ergo à Cerere miſſus Triptolemus, tenénſque burim manu, offert Deorum munera quibusque populis, ab amico ſegni naturæ otio ſtrenuè ſe translaturis ad opus. Protinúsque Græcos docet glebam ſcindere, perruptóque ſinu eius, præparare ad fertilitatem·

Subinde videre fuit exiguo temporis intervallo meſſores incenſo infractóque à laboribus animo per agros omnes expedita falce ſtragem flaventibus ariſtis immittere. Gentes barbaræ indomitæque, quæ in Epiri & Ætoliæ ſylvis ad inveſtigandas, unde victitarent, glandes palabantur diſperſæ, ipſæ induere humanitatem cœperunt, edoctæque diſciplinam frumentorum, & panem accommodandi in cibum, publicis moribus & legibus vivere. Conceſſum tum Græcis eſt auctore Triptolemo ſentire, quàm dulce ſit, præterquam labori ſuo divitias ſuas debere nemini, atque in propriis agris, quidquid ad commodè & beatè vivendum eſſet ſatis, reperire. Enimvero hac tam ſimplice, quàm non iniqua copia, quæ cum agrorum eſt coniuncta cultu, admonebantur, quàm ſalubria Erichthonius ſuaſiſſet. Incipiebat ipſis vileſcere pecunia, & quaſcunque opes ex artium uſu comparamus; quæ non niſi ex æſtimatione opes ſunt, & illecebra hominibus ad voluptates, ac faſtidium laboris, qui unus ſinceras fortunas & ingenuos mores præter ſummam libertatem impertitur. Patuit ergo omnibus, fertile ſólum cultúmque verum Theſaurum illius gentis eſſe, quæ tantum concedit ſapientiæ, ut à maioribus ſuis accepta frugalis vitæ exempla putet æmulanda. Felicem ſanè Græciam, ſi his præceptis inſtitiſſet, quibûs licebat potentiam, libertatem résque proſperas, tum operam dandô ſinceræ virtuti perpetuæ ſalutis munus demereri. At pro dolor! Iam eidem magni falſæ ſunt divitiæ; veræ ſordent. Simplicitas, cuius vis tam mira, habetur deſpicatui. At tu, fili, qui in ſolio quondam reſidebis, memineris

tum,

tum, populos reddere agrorum cultui, hanc artem collocare in gradu, eam exercentes levare ſubſidiô; prohibere denique, ut quisquam vel otio ſe dedat, vel inſtitutis ad luxum. Talia quoniam his ambobus fuerunt curæ, idcirco iſtis in locis fruuntur Deorum benevolentiâ. Sic habe, fili, dignitate & gloria eos tantùm præcedere Achilli, ceteríſque, quorum ſolis in bellis enituit decus, quantum pubeſcentis veris amœnitas Caucaſeæ hyemi, ſolíſque iubar magnificum Lunæ non tam lumini quàm pallori.

Adverterat Arceſilaus, dum huiusmodi documentis nepotem inſtituit, eum ſubinde immemorem oculum declinare in ſylvulam lauris conſitam, rivulúmque marginibûs devolventem ſe, quos præter alias horti delicias, quæ odore valent, violis, roſis, liliíſque mitior natura obſeverat, ea ſpecie, quam Iridi conſpicimus ineſſe, cùm in terras ad ferenda Deorum mandata labitur. Ibi Seſoſtrem regem Telemachus aſpexit magnificentia incredibiliter atque olim in Ægypto ampliore. Prodibant ex oculis radii; qui quantumvis lenes aptíque ad demulcendum, obruebant iuvenis utrumque lumen. Potuiſſet intuentibus videri abunde Nectaris bibiſſe; tam non mediocris erat animi eius per divinum ſpiritum à ſenſibus diſceſſus: Qui ùt nulla ratione percipitur, ita mercedem dependebat regiæ virtuti.

Tum verò Telemachus ad Arceſium: Video, inquit, mi pater, quem non diu eſt, cùm in Ægypto ſua vidi, Seſoſtrem regem. Hunc ipſum Arceſius reſpondet, & exemplum liberalitatis vides, qua præmia bonorum regum adornare amant Dii. At

enim

enim hæc omnis felicitas nulla erat futura ad eam, quæ illum manebat, niſi fortuna, propitia præter modum, conſtituiſſet moderationis & iuſtitiæ neglectæ reum. Nempe ardore premendi Tyriorum inſolentiam ad urbem ipſorum impellebatur perdomandam. At hæc ipſa victoria protinus deſiderium accendit arma eâdem propagandi ſorte: vanáque opinione bello invictorum hominum prolapſus in eorum veſtigia, populabatur Aſiam. Reverſus in Ægyptum, fratrem vidit aſſerto ſibi ſceptro, & abuſu vendicatæ poteſtatis optimas leges evertiſſe. Itaque ingentes armorum ſuorum progreſſus haud alium tulêre fructum, niſi quòd in regno ſuo domeſticæ curſum tranquillitatis ſtiterunt. De cetero maximum probrum eius in inſano quodam amore dignitatis ſuæ fuit. Quippe importuniſſimos quoſque regum, quos vicerat, iungebat currui. Quamquam hanc maculam crudelitatis haud ignorabat perpetuò, ſed ruboris denique argumentum habuit. Quæ quidem cùm ex victoriis eius incommoda ſint nata: facilè intelliges, provinciarum domitores, quando finitimorum quieti regníſque inſidiantur, ſua ipſorum regna & provincias, quin & ſe ipſos oppugnare. Certè rebus tam alioqui iuſti, támque benefici regis iſtud non modò cladem intulit, ſed vel nunc deſtinatæ à Diis gloriæ partem decerpit.

Numquid & alium ibi vides, fili, cuius è vulneribus mirabilis ſplendor emanat? Rex quidam eſt Cariæ. Dioclidem dixêre. In pugnæ ſe obtulit cædendum pro populo, quoniam oraculum docuerat, bellum inter Carios & Lycios gentem illam evicturam, cuius rex occubuiſſet in acie.

Alte-

Alterum illum conſidera. Legiſlator eſt ſapientiæ acumen delicatum ſortitus. Poſtquam enim civibus ſuis id genus tuliſſet leges, quibus & virtuti eorum & felicitati conſulebatur: iusiurandum fecit ab omnibus interponi, legum iſtarum quamdiu ipſe abeſſet, nullam violaturos. Quo facto profectus è patria ſponte perpetuóque exul, denique in extrema rerum inopia apud exteram gentem obiit, ut hac fide populum ſuum ad perpetuam legum tam ſalubrium obſervantiam obſtringeret.

Eſt porro, quem illic præ oculis habes, Euneſimus, rex Pyli, atque unus eorum, qui ſapientem Neſtorem præceſſère in imperio. Peſtifera lue exſpoliante terras, ripáſque Acherontis obſerente hoſpitibûs Umbrîs, precabatur is Deos, ſi morte ſua fas eſſet noxam redimere tot populorum, ponerent ipſo ſublato iræ modum. Compotem piiſſimi voti, huc loci & ad veram regis dignitatem tranſtulerunt, ad quam mortalium regum ſplendidiſſima inſignia vix umbræ merentur nomen.

At ecce! ſenex, qui illac ſubit coronatus ſerto, Belus eſt, de quo tam operosè fama. Regnabat in Ægypto. Anchinoën acceperat nuptui, filiam Nili Dei, cuius aquæ tam ſunt ignotæ ſuis à fontibus, quàm ad conſerendas terras, in quas inundant, ſalubres. Erant duo filii eius Danaus, cuius tibi nota hiſtoria, & Ægyptus, ex quo illuſtriſſimo Imperio nomen. Belus tum ob divitias & fortunas, quibûs augebat ſuos, tum ob amorem, quo ſtringebatur ab ſuis, longè quàm ab imperatis aſperrimis tributis & cenſibus ſe æſtimabat copioſiorem. Hi homines, quos tu, fili, exceſſiſſe putas è vi-

è vivis, vivunt, & adeò, ut vita, quæ mortalibus inter miſerias defluit, mortis quædam mereatur ſpecies haberi. Sola inter ſe nomina mutata ſunt. Dii te velint tanta probitate inſtruere, quæ dignum iſtius vitæ te faciat, tam fortunatæ, æternæ, tranquillæ. Abitum hinc propera. Ad quærendum genitorem hora te revocat. Quem priùs, quàm invenias, quantum viſurus es heu! manare ſanguinis; quantum autem & manare in te ex Heſperia viſurus es gloriæ! Conſilia ſapientiſſimi Mentoris monitáque fac numquam dimittas ex animo. Quæ ſi ſequenda ſtatueris, fama nominis tui ad omnes gentes, temporúmque ætates perveniet.

Protinúsque Telemachum ad eburneam portam deduxit, qua Plutonii regni caligines permittunt exitum. Diſceſſit ab eo juvenis cum fletu, & inter deſideria inutilia ultimi amplexus. Inferiorum ergo locorum exſolutus tenebris, poſteaquam ad Cretenſes illos, qui, petenti ad fatalem ſpecum comites, inde reverſurum interea deſperaverant, rurſus pervenit, ad caſtra ſociorum feſtinavit reditum.

TELEMACHUS.

LIBER XX.

INter hæc Principes exercitus habuêre conſilium, utrum occupanda eſſet Venuſia. Urbs erat à munitionibus firma, quam olim Adraſtus Bruttiis, vicino Apuliæ populo, eripuerat. Unde ut hac levarentur injuriâ, adiunxerunt ſe fœderi. Adraſtus quidem ad mitigandos eorum animos Lucaniis urbem tradiderat tuendam. Ceterùm mune-

muneribus corrupto alieno præſidio, Præfectóque eius, verè ipſe magìs rerum potiebatur in urbe, quàm qui illam defendendam acceperant; Apuliis, quorum voluntate Lucaniis Venuſiæ cuſtodiam demandârat, ea re delatis in fraudem.

Demophantes quidam erat Venuſiæ civis. Is clam fœderatos monuit, ope ſua poſſe urbis portam unam de nocte occupari. Videbatur ea res ante alias uſui futura. Quippe Adraſtus omnem belli apparatum commeatúſque deportaverat in arcem, Venuſiæ adſitam, urbe expugnata hoſtilem impetum non toleraturam. Iamque Philoctetes & Neſtor tantam opportunitatem cenſentes haud eſſe negligendam, auctoritate ſua, & mira occaſione perficiendi conſilii copiarum Præfectos in ſententiam ſuam adduxerant. Contra Telemachus reverſus ab Inferis, quantam potuit, operam dabat, ut alia perſuaderet univerſis. Itaque:

Non ignoro, inquit, ſocii Principes, ſi quem mortalium ad hoc tempus æquum fuit circumvenire, Adraſtum unum eſſe; cui adeo ſolenne eſt fraudum ſuarum præſtigias univerſo hominum generi offundere. Satis præterea compertum habeo, occupata per inſidias Venuſia, vos urbem non niſi veſtram recuperaturos; veſtram, inquam, quia iure legitimo ab Apuliis poſſeſſa pars gentis eſt, vobis vinculo ſocietatis adiunctæ. Et ſi placet, fateor inſuper, ex iure vos acturos propterea etiam, quòd Adraſtus, empta Lucaniorum, qui in præſidiis ſunt, fide, habet, quoties ſibi videbitur, urbis adeundæ obnoxiam copiam. Paucîs: Iuxta vobiſcum intelligo, capta Venuſia, poſtridie in poteſtate veſtra illud hoſtilis apparatus receptaculum,

lum, finémque belli tam horribilis futurum. At numquid præſtat mori, quàm hac ratione vincere? Numquid fraus propulſanda fraude? Permittetis ſcilicet ore poſteritatis iactari, tot ad ulciſcendas Adraſti fraudes & fallacias coniunctos reges & ipſos fefelliſſe. Adraſtus culpâ vacat, & rectè ſcelerum ſuorum proſequitur vindices, ſi, quod ille perpetravit, nobis patrare culpæ non ducimus. Ergóne tot coloniîs Græcorum obſita, tot ex illato Troiæ incendio illuſtratis Heroibus frequens Heſperia videt una hæc arma ſibi ſuppetere adverſus ſceleſtam perfidiam? Sacramenti religione tenemini non depellere Venuſiâ Lucaniorum præſidium. At enim depravatum Adraſti pecuniis eſt. Neque ego id dubito. Accipit tamen ſtipendia à ſolis Lucaniis: Eorum imperium nondum detrectavit: ſpecie ſaltem utriusque partis amicitiam coluit. Nondum aliquis Præfectorum eius intravit Venuſiam. Tenet adhuc pactum; tenet adhuc in Deorum memoria à vobis data fides. Aut tunc ſolùm tenet fides, cùm prætexi non poteſt illi violandæ ſpecioſum nomen? iuratáque verba tum demum religioſa incipiunt eſſe, cùm quæſtui non videtur ab iis deſciſcere? Quodſi vos nec amor virtutis, nec reverentia Deorum iam movet: At certè moveat honeſtas nominis, moveat veſtra ipſorum utilitas. Quæro enim abs vobis, ſi mortales reliqui tam pernicioſo exemplo intelligent, ad relinquendam fidem vos deſiderio finiendi belli poſſe induci: quæ hac tam iniqua agendi ratione bella non excitabitis? Quotusquisque de finitimis peſſima quæque à vobis etiam invitus non metuet? Quis vel in maximis periculis ad veſtram opem confugiet? Iam ſi fortè ſimpli-

ſimpliciter agere vobis in animo eſt, ſdque magni veſtrâ refert ab affinibus credi, quod dabitis pignus? Agetis pacto? At hunc rem publicam tranſigendi modum profanâſtis. Iuſiurandum interponetis? Ignorabitur tunc ſcilicet, ſpem commodi Diîs potiorem à vobis duci. Pax ergo, quam inibitis (quod ad vos) non plus ſecuritatis habebit, quàm bellum. Quidquid deinceps geretur à vobis, aut tecta aut aperta inimicitia reputabitur. Æterni hoſtes eritis illorum, quos regionibus veſtris iniquitas ſortis propiores adiunxerit. Reſpuent vires veſtras, quæcunque erunt honeſtè, ſimpliciter & agenda cum fide. Nec ulla demum vobis relinquetur ratio, fidem promiſſorum veſtrorum cuipiam hominum faciendi.

Eſt autem aliud præterea commodum illúdque ante ea, quæ nunc commemorata ſunt, longè graviſſimum, animíſque veſtris, niſi iam omnem ſenſum integritatis & propriæ rationem ſalutis exuerint, id, quod volo, perſuaſurum. Huiusmodi fraudulenta voluntas, inquam, domeſticam calamitatem & denique exitium veſtræ ſocietati allatum ibit. Profanata fides inſeret palmam in Adraſti manus.

Hæc ultima univerſam concionem moverunt. Petebant autem, cur non dubitaret aſſerere, voluntatem, quæ ſociis afferret certam victoriam, ſocietati eorum allaturam exitium? Ad quæ Telemachus: Ecquis veſtrûm alterius committet ſe fidei, vinculum ſocietatis unicum, fidem, ſi vel negligetis ſemel? Conſtituite hanc diſciplinam, fas eſſe à præceptis integritatis & fidei abire, niſi utilitas abeundi nulla extiterit. Peto à vobis: Quis

veſtrûm alteri obligabit fidem, quando ex eo, quòd non præſtat, ſed labefactat fidem, magnum fructum contigerit conſequi? Quid fiet tum demum vobis? Quotusquisque nolet veſtrûm ſocii ſui fallaciam prævertere dolis? Quid fiet magno vinculo tot populorum, ſi decernant iunctis conſiliis, nefas non eſſe ſocios occupare ex inſidiis; iuratis præſtare contraria? Quæ tum inter vos de vobis ipſis opiniones dubiæ, quæ diſcordiæ, quæ flammæ, ſtudiáque mutui mali ac ipſius denique interitus? Quid Adraſto opus armis? Vos ipſi odiis veſtris obteremini. Vos ego, quorum tanta in gerendis rebus ſapientia & magnanimitas, in regendis innumerabilibus populis tam diuturna exercitatio, vos ego obteſtor: Nolite, quæſo, vobis reputare indignum audire meum etſi adoleſcentis iudicium. Si in turbulenta illa mala, quibus ſubinde populos neceſſe eſt involvi bellô, incideritis: poteſtis vigili cura, poteſtis virtute animi (ſemper enim clade ſuperior fortitudo eſt) ab illis expediri. At ſi fidei honeſtatem propugnaculis ſpoliavit perfidia: malum ineluctabile, æternum eſt. Nec illa amicitiæ coniunctio, ſine qua ſucceſſus labant maiorum negotiorum, tum inſtaurari, nec illa ſumma ratio virtutis à vobis poteſt reſuſcitari in animis hominum, quos eam aliquando docuiſtis contemnere. Quid timetis? Sine fraude vincere dubitatis poſſe? Virtus ergo veſtra robúrque tot gentium non ſufficit? Agite! pugnemus! Moriamur, ſin ita fatis, priùs, quàm vincamus cum dedecore! Illud impietatis portentum Adraſtus in manu noſtra eſt, ſi indignitatem, ſi perfidiam eius pigebit imitari.

Tele-

Telemachus ubi finem ſermoni impoſuit, ſentiebat ad perſuadendum iucunda, intimíſque animis auditorum recepta dixiſſe. Erat ab omni concione ſilentium. Nemo quisquam aut Telemachum, aut quàm ſuaviter, ſed quàm dixiſſet vera, meditabatur, ex iis perſpicienda, quæ è momentis rationum ſuarum deduxerat. Admiratio communis omnium & luculenta. Tandem occulti fremitus auditi, qui per totam concionem ſenſim manabant, hæſitantem tamen adhuc inter mutuos aſpectus, nullo laxare ſilentium auſo. Expectabantur è ducibus, qui, quid placuiſſet, edicerent; moleſtúmque erat ſingulis trahere ſuſpenſum iudicium. Tandem Neſtor, qua pollebat gravitate dicendi:

Dii te, inquit, magnum ex Ulyſſe genus, aptavêre ad hunc ſermonem; & quæ animum genitoris tui Minerva conſuevit ſalutaribus cogitationibus imbuere, tibi ſuggeſſit, quod modô indicâſti, prudens & magnanimum conſilium. Non iuventutem tuam reſpicio; ſed dominantis in unoquoque verbo tuo Minervæ numen revereor. Virtutem ſuſcepiſti defendendam, ſine qua maximi fructus detrimentum; vindicta hoſtium, diffidentia ſociorum, bonorum odia, ipſáque Deorum indignatio in foribus. Retineat ergo & deinceps Venuſia Lucaniorum præſidium; nos verò id unicè demus operam, ut virtus noſtra palmam Adraſto extorqueat.

His prudentiſſimè dictis tota aſſenſſa eſt concio; ſimul cum admiratione Ulyſſis filium quisque aſpexit, exiſtimans, ſe in hoc iuvene Minervæ ſapientiam, quam ipſa eidem inſtillaverat, intueri.

Agitari paulò pòſt & aliud cœpit in regum conſilio, unde tantundem laudis Telemacho obtigit. Adraſtus, ùt ſemper volvebat crudelitatis & perfidiæ conſilia, Acanthum quendam, transfugam in caſtra miſerat, ut præcipuos in exercitu veneno extingueret; atque inter eos Telemachum maximè, Dauniorum genti iamiam terribilem. Et verò Ithacus pro magnitudine animi ſui longè ſimplicioris, quàm ut ſuſpicaretur nefanda, proditorem accipiebat facillima humanitate, audiebâtque ex eo, quoniam Ulyſſem in Sicilia viderat, quæ accidiſſent genitori. Porro præter neceſſarium victum operoſa ſolatia præbuit deflenti fraudes & iniurias, quibus ab Adraſto fuiſſet oneratus. Atqui hoc erat viperam fovere ſinu, morſu illaturam necem bene de ſe merito. Ceterùm interceptus fortè transfuga alius (Arionem vocabant) miſſus ab Acantho nunciatum Adraſto de fœderatorum exercitu, & quòd poſtridie nobiliſſimos regum una cum Telemacho in convivio, ſua cauſa eodem iubente exornando, epulis mixtum virus eſſet ſublaturum. Ergo ſceleſtum conſilium Arion confeſſus in vinculis, ſuſpicioni aperuit locum, eius rei ſe Acantho ob amicitiæ coniunctionem eſſe conſcium. At Acanthus quàm ſimulandi peritus, tam intrepidus animi, eâ aſtutiâ à ſe amoliebatur ſcelus, ut nec ipſe potuerit ſceleris convinci, nec nefariè cogitata penitus cognoſci.

Erant nihilominus inter reges, qui cenſebant, re quamquam dubia Acanthi ſalutem communi ipſorum poſtponendam: Dignum eſſe, qui iuguletur. Vitam unius hominis habendam nauci, qua deſineret vita periclitari tot regum. Nihil denique referre

vel

vel innocentem perimi, ne ipſi perimantur, qui vices Deorum inter homines ſuſtinerent.

Hìc vero Telemachus: Ecquod audio hominibus indignum placitum? Ecquod barbaræ Politicæ præceptum? Quid? humanus ſanguis regibus tam vilis eſt? Vos ergo, qui conſtituti eſtis paſtores regéſque hominum, ut eos, quemadmodum paſtor oviculas, ſervetis diligenti cuſtodia; Vos, inquam, lupos an paſtores video? paſtores certè, ſed ad tondendos immolandóſque, non paſcendos greges. Tenetur vobis, qui vel accuſatur, ſceleris. Suſpicio ſola iam habet cauſam capitalis ſupplicii. Obiicitur innocentia calumniatorum & invidentium licentiæ. Atqui ita pro atrocium ſuſpicionum veſtrarum incremento augebitur numerus illorum, quos accuſandi libido volet inferias.

Tanta auctoritate, tantáque contentione hæc dicta à Telemacho, ut communem aſſecuta conſenſum verecundiâ operirent auctores tam abiecti conſilii. Subinde paulò mitior: Ego verò, inquit, caput hoc usque adeò magni non facio, ut tanto redimendum exiſtimem. Acanthum, quàm me, impium eſſe maluerim. Leviori meo dolore vitam mihi eripuerit illius proditio, quàm illi dubio adhuc facinore mea per nefas opera. At heus vos! vos, aio, qui reges ſeu iudices populis dati ignorare non debetis, quomodo ſanctè, prudenter, moderateque iudicandi homines: date mihi hanc veniam, ut de Acantho vobis audientibus quæſtionem inſtituam.

Protinúsque hominem de uſu, qui ipſi cum Arione interceſſiſſet, interrogat. Premebat ream perſequendô minutiſſima, quæ ad rem vide-

bantur pertinere. Semel atque iterum ſimulabat, eum utpote transfugam & deſertorum pœnâ dignum remiſſum iri ad Adraſtum. Hoc agebat eo conſilio, ut experiretur, utrùm id genus minæ moverent ſceleſtum. Itaque, perſeverante proditoris eodem ore & voce, iuvenis ſtatuit, Acanthum conſcium eſſe ſceleſtæ voluntati.

Tandem rei veritatem cùm ex abſtruſiore animo eius nequicquam prolectâſſet: Cedò mihi, inquit, quem geris, annulum. Adraſto mittam. Ad hæc inopina expalleſcere Acanthus, perturbari. Quo viſo Telemachus (neque enim à vultu ſceleſti movebat oculos) detractum digito annulum accipit, &: Actutum, inquit, hunc ad Adraſtum Lucanius quidam, Politropus, inquam, quem nôſti, feret, quaſi à te clam ad ipſum ſit miſſus. Quare ſi cum Adraſto cognoſceris conſenſiſſe, per cruciatus ultimos enecaberis. Si verò hoc veſtigio confitebere ſcelus, dabimus veniam, niſi quòd in inſulam (quæ pœna nobis ſatisfaciet) hinc deportaberis, ubi nullius copia rei, quæ tibi ſit opus, deficiet. Tum verò Acanthus pleno ore ſcelus confeſſus eſt. Effecítque Telemachus, ut quam reo promiſerat, vitæ gratiam reges concederent. Miſſus eſt in Echinadas inſulas, ubi innoxius à turbis vixit.

Fervebat adhuc iſtius ſceleris memoria: cùm Dioſcorus, Daunius natione, humili quidem loco, ſed ad audenda quæque natus in fœderata caſtra obſcura nocte pervenit, præferens apud reges paratum animum, Adraſtum in tabernaculo ſuo opprimendi. Et erat rei, quam pollicebatur, agendæ copia. Habet enim in poteſtate ſua alie-

nam

nam vitam, qui contemnit ſuam. Dioſcorus, ob raptam ab Adraſto coniugem eximiæ pulchritudinis totus immerſus ulciſcendi deſiderio, conſtituit pro recuperanda illa aut Adraſtum aut ſe ipſum perdere. Quare clandeſtinam ſocietatem iniit; poterâtque ex ea non regis modo tabernaculum ingredi de nocte, ſed & operâ multorum Præfectorum fretus eſſe. Cenſuit tamen opus præterea, uno eodémque tempore à fœderatis caſtra regis occupari, ut hac trepidatione ipſe cum coniuge ſua faciliùs poſſet elabi. Quod ſi efficere per vires ſuas non liceret, cæſo ſaltem rege non recuſabat mori.

Hac voluntate Dioſcori cognita, præſentes reges convertuntur ad Telemachum, velut petituri ab eo ſententiam. Et ille: Dii, inquit, quorum beneficio evaſimus proditorum manus, nolunt utilem nobis eſſe operam proditorum. Sua quemq; ſalus, etiamſi virtute noſtra proditionem non oderimus, aſpernari id genus ſceleris iubet. Datô proditioni calculô, digni erimus, in quos ſuum ipſa convertat ſpiculum. Quis enim tum noſtrûm eo ex tempore erit ſine metu? Fieri ſanè poteſt, ut deſtinatum à nobis ſibi ictum in capita noſtra Adraſtus declinet. Itaque deinceps in ipſô bello deerit bellum. Inter nuces putidas collocare ſe debebit virtus & ſapientia. Belligerabit una perfidia, proditio, parricidium. Nos ipſos, quæ inde conſequentur, mala, & non immeritò premeent; utpote quibus facinorum facinoroſiſſimum aſſenſu videbatur ſuo roborandum. Ego itaque ſic exiſtimo, rectè ad Adraſtum proditorem remitti, non quia id rex ille de nobis ſit meritus, ſed quia univerſa Heſperia,

Græciáque, in quarum oculis omnia gerimus, merentur eo, quod ſuaſi, exemplo edoceri; unde præclarè de nobis ſentient. Pietas ſcilicet, quam nobis, eâmque maiorem debemus Superis, iubet eſſe à perfidia alienos.

Reducitur ergo Dioſcorus. Cohorruit Adraſtus viſo diſcrimine, in quo fuiſſet; ſimul hoſtium ſuorum nobiliſſimam voluntatem obſtupuit. Monſtrum enim improbitati eſt virtus ſine fuco. Mirabatur etſi invitus; quod tanta videbat laude factum; ceterùm laudare non ſuſtinuit. Faciebat tam ingenuum facinus, ut cum rubore recognoſceret, quidquid ante hoc tempus cum fraude, & crudeliter geſſerat. Utque conabatur illuſtrem hanc laudem fœderatorum Principum atterere; ita cùm meminerat iisdem vitam ſuam debere, erubuit videri ingratus. At citò occallent ad honeſti ſtimulos depravati animi.

Igitur Adraſtus, latiùs & cum quotidiano incremento ex caſtris hoſtium manante fama rectè factorum, rem illuſtrem contra illos moliri, præ quàm aliud, neceſſarium duxit. Ut autem nihil gerere didicerat ex diſciplina virtutis; ita armorum denique auxilio fructum non ſpernendum comparare decrevit. Feſtinabat ergo prælium.

Aderat certamini decreta dies: cùm Telemachus ſub ipſa auroræ initia expeditus ſomno, curámque & induſtriam præveniens veterrimorum in exercitu, duces copiarum ad conſueta munia excivit. Iámque galeæ iubar, fluentibus criſtis commodè diſtractum diſſipatúmque, obibat herois caput. Iámque lorica ab humeris fulgore diffuſo multabat temere incurrentes aſpectus; & Vulcaniæ

niæ artis prodigio, ſcuto, præter ſuum decus, lumen ex Ægide, quæ in eo latebat, acceſſerat. Altera manu librabat haſtam; altera oſtendebat occupandos locos. Minerva divinos ignes afflaverat oculis, ori alacrem dominantis habitum & præſagum victoriæ. Procedit. Reges, non ætatis, non amplitudinis ſuæ iam memores, ſequebantur; decedentes nimirum altiori virtuti, qua ſe quisque ſentiebat trahi. Hebeſcebant tum invidiæ & æmulationis aculei. Dominabatur in omnes, quem non ſentientem Minerva ducebat manu. Nulla in eo aut agendi importunitas, aut inconſulta feſtinatio. Lenis erat, tranquillus vultu & animo, patiénsque conſilii, & prudens utiliter ſequendi eius; promptus deinde ac providus, attentúsque ad neceſſitates etiam multò pòſt futuras; reddens denique ſingula temporibus ſuis. Ad omnia abunde præſentis animi ipſe turbabat neminem: excuſabat errores: emendabat, quæ acta perperam: eáque præveniens, quæ vexationi poterant eſſe, nec exigens quidquam ultra vires, excitabat in omnium animis ingenuam in ſe fiduciam. Negotia dabat ſimpliciſſimis verbis, & non dubie ſignificantibus imperata. Utque rectiùs inſtrueret facturos, nunquam omittebat ea repetere. Indicium capiebat ex oculis, num rite percepiſſent agenda. Familiari deinde ſermone eos iubebat enunciare, quo ſenſu verba imperantis, capútque rei imperatæ accepiſſent. Hac ratione ubi ſatis exploravit facultatem peracturi opus, eidémque rationem illius perſuaſit: ut maiores adderet animos, non abs ſe dimiſit prius, quàm quoquo modo ille intelligeret, multum æſtimationis & ſpei in opera ſua à duce poni. Ita

 factum

factum, ut quicunque ab eo mittebatur in opus, mira arderet cupiditate, gratiam imperantis rite imperata præſtandô ineundi. Ceterum dimittebantur, liberi metu, culpæ ipſis fore ſiniſtros eventus: omnia quippe excuſabat, quidquid aut voluntate aut pravo animo non erat malè geſtum.

Quæ oculis noſtris cœli plaga videtur terrarum orbi coniungi, igneum ruborem ex primo ſolis fulgore ſuſceperat; eóque accenſum pelagus longè latéque collucebat. Quanta continens excurrebat ad mare, viris, armis, equis, curribúſque movebatur offuſa. Miſcebat aures incertus fremitus, qualem procellâ commotæ abyſſus aquarum edunt. Itaque armorum inhorreſcente ſtrepitu, bellíque appropinquantis formidoloſo apparatu Mars efferatam rabiem diſpenſare animis. Cuſpides haſtarum ſurgentium ſpeciem toto campo reddebant ſtipatæ ſegetis & iam maturæ ad falcem. Conabantur elati pulveres nubem, terrarum, cælíque proſpiciendi copiam magìs ac magìs attenuantem. Conſternatio, terror, cædes, barbara mors paullatim afflabat ordines utriusque exercitus.

Ubi prima tela emiſſa in hoſtem, Telemachus habitu piè ſupplicis: Vides, inquit, Deorum hominúmque Pater, omnipotens Iupiter, eſſe in partibus noſtris iuſtam cauſam, pacis inſuper quæſitæ induſtriam. Pugnamus inviti. Liceat utinam parcere humano ſanguini! Sed neque hoſtem odimus, quantumvis crudelem, inſidioſum, fœdifragum. Utriusque cauſam perpende, iudica. Iubes mori? In manu tua vitæ noſtræ, mortíſque arbitrium. Iubes Heſperiam liberam, tyrannidem fractam & iugulatam eſſe? Tua unius virtute, &

eius,

eius, quam tute genuiſti, ſapientia illam liberabimus; hanc frangemus. Decus victoriæ uni debebimus tibi; quippe ſortes diſcriminum libranti ex æquo. Cauſam tuam hiſce armis defendimus Adraſtus, quoniam tu iuſtus & æquus es, non tam noſter, quàm hoſtis tuus eſt. Ante occaſum iſtius lucis cauſa tua ſi vincet, Hecatomben aræ tuæ accipient.

His dictis ad pugnam eruditos, & ex ardore ineundi curſus ſpumantes equos, quà denſiſſimi ſtabant hoſtium, incitavit. Protinúsque in Locrenſem quendam incidit. Periander erat, Leonis pelle terribilis, interfecti ſua ipſius manu, cùm peragraret Ciliciam. Clavam geſtabat, illi Herculis nihil magnitudine, nihil nocendi terrore inferiorem. Habitus corporis procerus & robuſtus; qualem ferè in cœli oppugnatoribus formidârunt Dii. Is ùt primùm Telemachum aſpexit, contemptu mollioris elegantioríſque ætatis eius: Et rectè tu quidem iuvencule, inquit, dubiam nobis palmam reddis diſcriminis. I, tenelle, genitoris ſinu te inter Umbras conde. Inter hæc probra clavam crebris nodis aſperatam ſuſtulerat, non pondere tantùm, ſed radiis etiam ferreis aucturam cladem. Arboris nauticæ ſpeciem maximè faciebat porrecta in altum. Pavebant omnes ad futurum ictum; quem tum quidem unius minitabatur cervicibus Telemachi. At iuvenis commodè librato corpore incidentem illam effugiens Periandrum ea celeritate occupat, qua maiore nec aquila per auras ruit. Delapſa clava rotam currûs contrivit proximi ab eo, quo Telemachus vehebatur.

Inte-

Interea Periandri guttur transfixerat ſpiculo. Secuta vis ingens cruoris vocem oppreſſit. Equi feroces æſtu, ùt ſenſêre ab officio fluentem rectoris manum, habenáſque laxatas temere labi per colla, ultro citróque ferebantur impetu. Labebatur è curru: recuſabant lucem clauſi oculi: Os totum deforme, & alienum à ſe, pallor morientis invaſerat. Miſerabatur infelicem Telemachus, pelléque leonis & clava ſervatis argumento victoriæ, corpus interfecti ſervis demandavit curandum.

Tam proſperìs rebûs auctior animi, cœpit ipſum Adraſtum in conferta multitudine expetere, cæſo, dum huic voluntati inſiſtit, ingenti hoſtium numero. Fuêre inter eos præcipui, Hyleus, quem vehebant biiuges, in vaſti Aufidi vallibus adulti, ſolis equos imitantes proximè: Demoleon, Erygi quondam inter Siculos clariſſimo pugna cæſtuum paulò inferior: hoſpes & amicus in Heſperiam ad interficiendum Cacum proficiſcentis Herculis, Crantor: porro Menecrates Polluci dexteritate luctandi facturus invidiam: Hippocoon quoque Salaſſus, modum, quem in gubernandis equis Caſtor adhibuit, ſecutus: Dehinc, ingens inter eos, qui inſectantur feras, nomen, Eurimedes, qui perpetuò pulchréque ſordidus cruore ex urſis apríſque, quos in nivalibus Apennini iugis ſternebat, adeò fertur Dianæ placuiſſe, ut ex eadem ipſa didicerit rectè ſagittis uti. His Nicoſtratum addidit victorem gigantis, in Gargana rupe infeſti flammis prorumpentibus ex ore: Eleantum denique Pholoës, ex Liride fluvio adoleſcentulæ, nuptiis initiandum.

Natus

Natus erat ad ripas illius fluminis alatus ſerpens, quem interempturum Pholoën Oraculum prædixerat. Patre ergo pollicito, futuro liberatori ſuo ſponſam fore, Eleantus amore virginis ad perimendum monſtrum ſe obtulit tam proſpero rei ſucceſſu, quam nullo victoriæ uſu. Quippe dum Pholoë ádornandis nuptiis addicit iucundum otium; dum uritur Eleanti abſentia: docetur triſtibus nunciis, ſecutum Adraſti arma crudeli fato conceſſiſſe. Ex quo illa vicinas patrio flumini ſylvas montéſque implere gemitu: inundari fletu: evellere dignum amandi illicium, comam: omittere, virgineis manibus opus, texendos in ſerta floſculos: inclamare crudele cœlum: non die, non nocte vacare vel acerbis lacrymis vel dolore; adeò, ut accedente ſupplici genitoris voce tanto eam mœrori eximere Dii decreverint. Ob fletum, magna copiâ effuſum, derepente mutata in fontem eſt, qui alveum fluminis ſubiens, liquorem ſuum aquis miſcet inter Deos conſtituti genitoris, adhuc acerbum guſtu, & delabentem per ripas, nec graminibus, nec umbris unquam iucundas, niſi quas triſtes cypreſſi proiiciunt.

Interea Adraſtus audiens, Telemachi formidinem latiùs manare inter ſuos, ſumma voluntate ſtudióque hunc ſibi depopoſcit adverſarium; quem non dubitabat ùt ætate, ita etiam dimicatione futurum inferiorem. Erant circà regem triginta Daunii robore, dexteritate audaciáque inſignes inter cæteros. His ſpes facta opimi præmii, ſi Telemachum, utcunque ſors ferret, in pugna occiderent. Et herclè ſi initio diſcriminis rex incidiſſet in æmulum, & delecta illa manus ſe cir-

circumfudiſſet Telemachi vehiculo, ipſo à fronte hoſtem adorſo: dubium haud eſt, nulla ferè opera fuiſſe conficiendum. At Minerva iisdem errorem obiecit.

Quà tumulo cuidam ſe adiungit equitabilis planities, miſcebatur frequens certamen; credidítque Adraſtus ſe ibidem loci & videre & audire Telemachum. Properat: volat: ratum eſt, eius potari ſanguine. At pro Telemacho Neſtorem vidit, vacillante ob decrepitam ætatem manu tela quædam temere & innoxia emittentem in hoſtes. Adraſtus ergo concepto impetu Neſtorem ibat perfoſſum; cùm ad tuendum eum turma Pyliorum ſe obiicit.

Tum verò vis incredibilis telorum emiſſa, offenſa luce caliginem, quæ ferè exiſtit à nubibus, offudit univerſo pugnantium agmini. Lugubris morientium clamor, armorúmque corruentium inter dimicandum ſtrepitus aurium uſum turbaverat. Cumulabat horribilis ſtrages cadavera, paſſímque rivi ſanguinis præcipitabant ſolô. Mars & Bellona, inter Furias cruento debacchantes habitu, iucundè inhærebant immani ſpectaculo, aſſiduè inſtaurantes rabiem, ſub pugnandi exordium infuſam animis, atque ab iis (ùt infeſta hæc ſunt mortalibus Numina) magnanimam miſericordiam, moderatam fortitudinem, pacatâmque humanitatem procul auferentes.

Philoctetes ipſe, lentiùs adhuc progreſſus cum ſuis, ſagittáſque Herculis ferens manu, tum properabat in Neſtoris auxilium. Contra Adraſtus cùm telis ſuis ferire divinum hunc ſenem non poſſet, inde averſus, iîſdem ingentem cladem Pyliis intulit. Iámque Eteſilaum percuſſerat tam præpe-

tem

tem agilémque curſu, ut vix ſabulum offenderet veſtigio, Eurotámque & Alpheum (patriæ ſuæ flumina erant) ſumma vi agentes undas, celeritate præverteret. Ad pedes eius corruerat quoque præter venatu præſtantem Hippolytum Hylâ venuſtior Entiphron; tum Pterelas, qui transmarinam expeditionem ingreſſus cum Neſtore ob audaciam animi, robúrque corporis gratiâ ipſius Achillis floruit. Horum denique ſtragem auxit Ariſtogiton, quem in Acheloo flumine abluentem corpus affirmabant inde occultam vim in diverſas formas abeundi traxiſſe. Et ſanè movebat is corpus dexteritate tam agili, ut elaberetur robuſtiſſimis manibus. At Adraſtus traiectum haſta fixit, vitámque inter vim ſanguinis exturbavit.

Itaque Neſtor ùt nobiliſſimos ſui exercitus vidit ſub terribili Adraſti manu non ſecus atque falcibus decuſſas ſtipulas procumbere; haud ſatis memor, quanto diſcrimini canos ſuos inutili audacia obiiceret, amiſſo tum conſilio, inſtitit unum duntaxat Piſiſtratum, qui ſervandi genitoris cauſâ pro viribus magnáque diligentia hoſtibus reſiſtebat, oculis ſequi. At momentum, quod evitari fata non ſinunt, aderat, quo Neſtor ex Piſiſtrato ſentiret, quàm ſolitô longior ætas ſubinde miſerabilis eſſe conſuevèrit.

Piſiſtratus haſtam tanto niſu in Adraſtum contorſerat, ut, niſi opportunâ declinatione corporis effugiſſet ictum, ab ea haud dubitarent periturum. At dum iuvenis in vanum lapſa manu protenſum faciendo vulneri corpus ægrè cum haſtili recuperat, emiſſo adverſarii iaculo per media ilia traiicitur; quæ illico extruſa per vulnus ingentem vim ſangui-

ſanguinis traxêre. Deſtituebat mox vultum, ùt reſectum in agro florém, quod ex colore recipit, decus. Caligo fermè illapſa oculis: vox ad languorem deflexa morientium. Collabentem Alcæus (hic à moribus eius erat) proximus continuit; ægréque permittebant reliquiæ ſpiritûs, exceptum brachiîs deferri ad patrem. Hìc dum ultimæ pietatis ſigna molitur edere aliquo vocis ſono, ſub ipſum conatum recludendi oris exſpiravit.

Inter hæc dum Philoctetes cædibus & terrore diffuſo Adraſtum conatur reiicere; Neſtor complexus cadaver extincti filii, emiſſo clamore, qualem ſolent in luctu, nec iam aſpectum lucis ferens: Me infelicem, inquit; infelicem, & quòd pater, & quòd tam longævus ſum! Heu crudele fatum! huic cur parcebas capiti, cùm aut feram Calydoniam, aut Colchidem, aut primò infeſta petebam Pergama? Licuiſſet tum honeſtè & ſine dolore mori; qui nunc ingloriam ſenectutem & impotentem inter dolores traho. Vivo ſcilicet, ut miſer ſim. Senuerunt mecum ſenſus reliqui; ſolus ille mœroris & triſtitiæ viret. Piſiſtrate! fili! Amiſeram Antilochum, germanum tuum. At tum orbitati meæ tu adhuc ſuperabas ſolatium. Nunc verò eheu! non ſuperas ampliùs. Sed neque iam aliud ſuperat obnoxio miſerrimæ liberorum ſolitudini. Deſpera miſerabilis ſenex! Levamen humanæ miſeriæ, ſpes, inquam, dehinc ſe non præſtat tibi. Antiloche! Piſiſtrate! filii, quos velut ſimul ereptos hac luce defleo infelix genitor! Inſtaurat mors unius, quod alterius fata incuſſerunt, vulnus. Aſpexi ambos ultimùm. Iſtos quis ergo mihi demum claudet oculos? Meos cineres quis col-

colliget? Obiiſti, Piſiſtrate, & exemplo fratris fortiter. Obire fata ſolum me non ſinunt.

Hos inter gemitus iaculum, quod habebat, convertit in ſe. At, cohibita manu eius, etiam cadaver nolenti ereptum eſt. Inde cùm linqui cœpiſſet animo, defertur in tabernaculum, paulóque receptis viribus rediturus in diſcrimen rurſus à ſuis dolens avertitur.

Dum hæc aguntur, Adraſtus & Philoctetes alter alterum perquirebant ad pugnam. Scintillabant utriusque oculi quaſi leonis & pantheræ, quos in planitie Cayſtri fluminis ad mutuum interitum iam accendit rabies. Minæ, furor, crudelitas emicabát vultu. Sequebatur certa ſtrages, quocunque emiſerant tela. Tenebant utramque aciem formidoloſo aſpectu. Iam ambo ſubierant ſui quisque æmuli oculos. Philoctetes manu iactabat unam ex ſagittis, quæ, quia certò feriunt, habentur terribiles, & quia ſanari nequit, ſi quod fecere vulnus. Ceterum Mars (quæ erat ipſius in crudelem & intrepidum Adraſtum benevolentia) permittere haud valuit, clientis ſui fata maturari tantopere; ſtatuerátque eius operâ tam fœdum bellum ad multiplicandas ſtrages populorum extrahere. Urgebant præterea Adraſtum irati Dii fuſo humano cruore à mortalibus exigere ſupplicium.

Simul atque regem occupaturus erat Philoctetes, lancea ipſe perſtringitur. Amphimachus illam incuſſerat, ùt ætate florens inter Lucanios, ita Nireum præſtans oris habitu, Græcorum regum, qui pugnavêre ad Troiam, longè pulcherrimum, ſpeciéque uni Achilli decedentem. At Philoctetes ùt primùm ſibi inflictum vulnus perſenſit, Amphi-

 machum

machum telo confixit per medium pectus adacto. Protinus triſtis caligo incidere in eius, ex nigrore alioquin lætiores, oculos: os multò, quàm diffuſa per primum Orientem aurora, licentiùs purpureum in pallorem declinare: genæ quàm antea decenter collucere, tam nunc fœdum in modum exalbeſcere: facies mollicula, & quantùm bellatorem vix deceat, venuſta ſubitò omni honeſtate ſpoliari. Commovebat ipſum Philocteten tam fœdè pereuntis aſpectus. Totóque exercitu audiebantur gemitus videntium hominem hac ætate proſtratum cruore ſuo volutari, comámque capitis, Apollineâ meliorem, pulveribus tractam implicare.

Cæſo Amphimacho Philocteten ſanguis cum viribus deficiens prælio coëgit excedere. Vetus quoque plaga, ipſo ardore pugnandi videbatur rupta cicatrice dolores ſuos revocatura. Et forte ſuper cumulata interfectorum cadavera, quibus undique ſtipabatur, collapſurum Archidamas audaciſſimus peritiſſimúſque Oebaliorum, quos ad condendam Petiliam Philoctetes deduxerat, tum rapiebat ex acie, cùm Adraſtus ſuperveniens nullo negotio proſtraturus fuiſſet debilitatum ex vulnere. Iamque nihil erat, quod Daunio aut reſiſtere auderet, aut victoriam ſuſpendere. Omnia vel protrita, vel averſa in fugam; ùt cùm torrens ſuperata mole præceps in rura, veſanis fluctibûs ſegetes, ſtabuláque cum cuſtodibus eorum & tectis abripuit.

Exaudiebat Telemachus clamorem, quem victores edebant, allapſum è longinquo. Vidénſque ordines diſſolutos ſuorum, ab Adraſto refugientium

tium velut diſſipatum ferarum agmen, quas per agros ſylvarúmque & montium devia, alveósque rapidiſſimorum torrentium pavor præcipitat; in gravem ſolutus gemitum, indignationem & iram nec vultu continuit. Ex illa aciei regione, in qua adhuc quanto cum periculo, tanta cum laude pugnaverat, movit. Promptúsque ſuorum auxilio, & cruore hoſtium, quorum ſtrage arenam impleverat, natans magìs quàm perfuſus, appropinquabat tanta eminus vociferatione emiſſa, ut ad utriusque aures exercitus perveniret. Præter conſuetudinem horribile quid voci eius Minerva addiderat, cuius terror etiam ad proximos montes pertinuit. Thraciam herclè minor ferit clamandi immanitas, cùm Mavors præter Bellum Mortem Furiásque citat ex Inferis. Ceterùm os Telemachi, tanta ferocitate auditum, ſuis ingentes ad audendum ſpiritus, hoſtibus terrorem ultimum algorémque membris induxit. Ipſe Adraſtus, cùm ſentiret vacillare ſibi animum, erubuit. Neſcio, quod in pavorem ipſum dabat infelix omen. Quæ adhuc illi ſupererat ad pugnandum alacritas, deſperatio erat veriùs, quàm tranquilla fortitudo. Ter deſtituebat eum concuſſum genu. Ter ſe inhibuit incerto conſilio. Color, qualem in iis conſpicimus, qui linquuntur animo, gelidúsque ſudor omnes artus percurrebat. Vox aſpera & micans inæqualibus intervallis hæſitabat poſt verborum initia. Oculi obſcurè ignei, & internitentes diſpersè, videbantur ſedibus ſuis exciri. Furiarum tædis ſtimulíſque non ſecus, atque olim Clytemneſtræ interfector, graſſabatur incitatus. Motus in eo non alii, quàm quos ſpaſticos appellant, ex

 ner-

nervis contractis & rigentibus vehementes incertíque. Tum demum Deos credere vero animo cœpit. Arbitrabatur ſe eorum irritatos vultus intueri, vocémque audire obtuſô ſonô, atque ima ex abyſſo elatam ſurſum, eum ferociter poſtulantis ad Tartarum. Proficiſcebantur hæc omnia à cœleſti manu, quæ magis magíſque ingraveſcens ſceleſto illius capiti, in futurum impendebat vulnus. Iámque ſpe funditus ablata creptáque, audacia quoque diſſipata animô, velut in pelagi ſinus ablato ſole tenebríſque obvoluta terrâ dies, receſſerat.

Impium Adraſtum tam foviſſe diu telluri fuiſſet piaculo, niſi iſtud flagellum retinuiſſet ſcelerata mortalitas. Sed tum ad ultima facinoroſum hoc caput pervenerat; obviúmque inevitabili fato ſuo agitabat rabies. Formido, triſtis conſcientia, turbæ animi, furor, ira, deſperatio incitabant magìs, quàm euntem comitabantur. Telemachum vidit: ſimul velut Averni fauces, igneáſque Phlegetontis procellas, dehiſcentes in ipſum, intuitus, horrendos clamores excivit, ore uſque diducto, atque in verba inutiliter hiante; ùt ferè confuſus implacida per ſomnum imagine aperta labia verbis pertinaci niſu accommodans, vocem aſſiduè, at nequicquam aucupatur. Adraſtus incerta ob trepidationem, præcipitíque manu telum vibrabat in Telemachum. Ille confiſus de Deorum amicitia, clypeô audacter obiectô repreſſit. Crediſiſſes victoriam circumdatis alis ſupra caput eius ſuſtinere coronam ſuſpenſam manu. Renidebat ex vultu animus lenis, compóſque ſui. Inter ultima diſcrimina uſque adeò ſe præſtabat ſapientem multíque conſilii,

ſilii, ut Minervam in eo ſuſpicantes latere veniam ab hac Diva tuliſſent. Ceterum clypeo fruſtrante primum ſpiculum, Adraſtus, ut copiam iuveni præriperet pariter emittendi ſuum, ferrum impigrè ſtringit. Eóque viſo Telemachus, omiſſo iaculo, manum & ipſe gladio ſuo ſtrenuè admovit.

Utraque acies ùt eos cominus ineuntes certamen aſpexit; armis ſine ſtrepitu cohibitis, totîs oculîs ad illud, velut decretorium, ſpectandum ſe dedit. Amborum gladii (fulgura potiùs) ſæpe concurrentes transverſi, infligebantur loricis lubricis ex arte, per quas innoxiè lapſantes, excitabant inutilem ſtrepitum. Ipſi pugnatores nunc porrecti in ictum, nunc recipientes corpus in eundem ſitum, deſidentes aliàs, aliàs ſubitò erecti, tandem complexu inter ſe conſeruntur. Hedera, quæ ad infimam ulmum radicem exorditur, ſegniore nexu ſe applicat nodîs durato ſtipiti, frondibûs inter ſemet implicatîs ad extima usque ramorum torquente flexu ſerpentibus, quàm ambo adverſarii ſe premebant commiſſi. Adraſtus nihil ex integritate virium ſuarum amiſerat; Telemachus nondum acceperat integras. Ille tota contentione adnitebatur, ut ſubitò æmulum occupatum impotem faceret corporis. Iámque cogitabat etiam enſem extorquere iuveni; at vano conſilio. Quippe dum iſtud dat operam, à Telemacho motus humo in arenam effunditur. Tum verò impietas tam diu ſuperbéque aſpernata Deos, mortis vilem ſpuriúmque metum celare non valuit. Erubeſcebat miſer deprecari vitam; deſiderium tamen illius præferebat vel invitus. Ut Telemachi pietatem ſuſcitaret: Nunc demum, Telemache, agnoſco,

 inquit,

inquit, iuſtos Deos. Plectunt meritum. Mortales una calamitas veritatem docet. Ego certè nunc illam intueor, ſed vindicem. Excitet utinam miſeri regis aſpectus memoriam longè peregrinantis genitoris tui, miſericordiam meî!

Telemachus utroque poplite obluctabatur innixus hoſti, pendente in ictum gladio, ſtatuerátque guttur eidem præſecare. Tum ſtrenuè reſpondens: Sociorum meorum, inquit, victoriam & pacem unam præ oculis habui. Non delector cruore. Vive, Adraſte, vive, ſed ad deponendam in Deos audaciam. Redde occupata per nefas: redde pacem: redde iúſtitiam littoribus magnæ Heſperiæ, quam toties inquinâſti latro, toties proditor. Vive, ſed alius in poſterum à te. Diſce caſu tuo, Deos iuſtos, impietatem infelicem eſſe: felicitatem non parari violentia, crudelitate, mendacio; ſed conſtantia & integritate virtutis. Metrodorum filium cum duobus nobiliſſimis è gente tua dabis obſides.

His dictis Adraſto, data ſe allevandi copia, porrexit manum, ratus nunc demum abeſſe dolo: Cùm ille aliud iaculum excutit, quod ob brevitatem eius commodè occultaverat. Niſi divina fuiſſent arma Telemachi, profectò recepiſſent adactum telum; quippe & acutiſſimum erat, & hoſtis mira dexteritate intorſerat. Continuò Adraſtus, ne contingi poſſet a iuvene, ſe aufert poſt arborem. Ergo Telemachus elata voce: Palma (quod videtis, Daunii,) noſtra eſt. Fraus, proditio ſcutum unum ſunt impietatis. Mortem timet, qui contemnit Deos. Contemnit omnia, qui Deos timet. Hæc ille concitatiore voce. Mox Dauniis immi-

imminens, militem ſuum, qui ſtabat trans arborem, dato ſigno monet, ut perfidum Adraſtum arcerent regreſſu. Ille iam iam ſupervenientibûs, à quibus interciperetur, ſimulabat referre pedem, paratus, Cretenſes, qui ſe oppoſuerant abituro, fundere. Cùm derepente velut è Iovis manu præceps in noxium caput fulmen advectus Telemachus hoſtem occupat: arripit nequidquam repugnantem manu: evertit ceu ſævior procella infirmam ſegetem; contemptiſque precibus, quibus ultimò decipere tentabat victoris miſericordiam, per ilia traiecto ferro infelicem ſpiritum expellit in flammas caliginoſi Tartari, tantis utique ſceleribus eius ſuſtinendas.

TELEMACHUS.

LIBER XXI.

DAunii ubi primùm viderunt Adraſtum vitam amiſiſſe, non ſuam, non capitis ſui cladem deflebant; ſed reparatæ libertatis munus ſibi mirabiliter gratulantes, porrectis ad fœderatos reges manibus pacem veniamque deprecabantur. At Metrodorus, Adraſti filius paternis præceptis ad ſimulationem, fraudem, & inhumanitatem à primis unguiculis perperam eruditus, in turpem fugam ſe dedit; cuius quidem comitem ſervum haud ampliùs unum admiſit. Conſcius hic domino erat non modò omnium, quæ turpiter & crudeliter geſſerat, ſed ab eo etiam libertate & fortunis plurimis donatus. Tunc verò ſceleſto conſilio cogitabat bene de ſe meritum ingenti (quod credebat) rerum ſuarum commodo procere.

Itaque inter viam occidit averſo vulnere, ſectúmque à cervicibus caput eius in caſtra ſociorum pertulit ſpe non dubia, id genus facinus, quod bellum omnino extingueret, ingentem mercedem habiturum. At omnibus tantum ſcelus averſantibus, in caſtris occiſus eſt.

Erat Metrodorus in ipſo ætatis flore, pulchritudinis quoddam prodigium, dotibus animi, quæ decebant hæredem regium; ceterùm voluptatis illecebra & peſſimis exemplis depravatus. Telemachus ergo caput eius intuens: Videtis, inquit, rerum ſecundarum virus quàm prô dolor! peſtiferum regis ſit filio. Perſentiſcit minus virtutis, quò ſublimiori conditione, & ab ſenſibus animi eſt acrior. Scilicet & ego melior non fuerim, niſi adverſis rebûs, quas inter (Diis gratia!) auſpicabar hunc ſpiritum, & Mentoris diſciplinâ mihi imperare didiciſſem.

Congregati Daunii rem unam duntaxat petebant, eâmque conditionem ſtatuendæ pacis, ut ſua ex gente ſinerentur regem eligere, obliteraturum virtutibus ſuis, quod regiæ dignitati Adraſtus impegerat dedecus. Laudabant Deos, qui tyrannum cecidiſſent: accedebant non ſinguli ſed per turmas, amplexantes Telemachi manum, illius adhuc cruore portenti aſperſam; ſtragémque victoriam ſuam reputabant. Itaque illa potentia, quæ omnibus Heſperiæ Imperiis videbatur allatura exitium, atque in tot gentes terrorem ſuum diffuderat, uno corruit impetu, nullis dehinc temporibus reſuſcitanda; ut eam quidem rectè terræ continenti comparaveris, quæ firma & immobilis ſpecie, in futuram ruinam cuniculis præparatur. Ridetur ad

tem-

tempus inanis labor fundamenta illius tentantium, ùt qui nihil debilitet, nihil extrinſecus convellat, nihil ſupernè concutiat. Interea paulatim diſſipantur, quæ introrſum ſuffulcium ſolum, donec derepente ſubſidens abſorptúmque immani voragine dehiſcat. Eadem fere conditio iniquæ & fallacis potentiæ; quæ quanto felicitatis collocata gradu, hunc ipſum ſubter egeſta fovea ſuſpendit ruiturum. Exedunt pedetentim fraus & crudelitas firmiſſima fundamenta iniquæ poteſtatis. Et movet hæc quidem admirationem, metum, formidinem; donec concuſſa eliditur. Tum languet ſua mole oppreſſa, deiectáque fruſtra requirit ſe erigendi ſubſidium, quoniam vero excelſitatis fulcrô, fide iuſtitiáque, unde amori ac fiduciæ incrementa & robur, penitus labefactatô, in caſum impellitur.

Coivêre poſtridie Principes exercitus in conſilium, Dauniis regem, quem petiiſſent, permiſſuri. Iucundum erat aſpicere, duos pridie inimicos exercitus non ſociari modò, verùm in unum etiam conflari inſperatâ amicitiâ. Neſtor prohibebatur hoc ducum congreſſu, areſcente præ luctu & ſenectutis mœrore animo, oppreſſóque; fere ſicut veſpertina pluvia ad ſurgentis auroræ invidiam luxuriantem florem opprimit ſuperfuſa, atque matutino hoc ornamento pubeſcentes agros exuit. Manabant ex oculis eius perennes lacrymæ. Somnus, temporale ſaltem ad dolores remedium, receſſerat. Spes, humani cordis anima, profligata; cibi fallentes guſtum, lux ipſa nihil iucunda præ tenebris; deſiderium nullum, niſi à corpore diviſum ſpiritum in cœtus umbrarum inſerendi. Nec emendare hæc mala amicorum permiſſa oratio.

tio. Refugiebat deliquiis ſuî immerſus animus menſarum delicias, ferè ſalivam provocaturas Diis. Cohortationibus, quaſcunque ad perſuadendum invenire poterat humanum ingenium, non vocem, ſed gemitus reddidit. Identidem audita ex intervallo lugentis ſuſpiria: Piſiſtrate, fili! heu Piſiſtrate! invitas me. Sequor ecce! invitantem. Per te, per te, Piſiſtrate, mihi dulceſcet mori. Ad Stygis te margines, amplectar, nate! Hæc voluptas una, ſola, quam depoſco mihi. Horæ ſubinde multæ & continuæ datæ difficillimo ſilentio, ſolis gemitibus interpellato, manibúſque ſurſum cum oculis uberrimos inter fletus connitentibus.

Expectabant interea collecti duces Telemachum. At ille morabatur in cadavere Piſiſtrati, cui parentabat præter unguenti odorumque effuſa pretia plena manu iactatîs floribûs, & longè amplius acerbis lacrymîs; quibus largiſſimè fluentibus: Nunquam, inquit cum gemitu, nunquam, ſuaviſſime comes, deſinet meminiſſe hic animus, te mihi viſum Pyli, ducem fuiſſe Spartam eunti, redditum verſanti in magna Heſperia. Habes mille nominibus tibi obſtrictum Telemachum. Redamaſti amantem. Noveram ego facultatem vigoris tui, ſummorum aliquando laudes virorum ſuperaturam. Et hæc quidem mòrte non obſcura eheu! extinxit te: ſimul autem virtutem orbi rapuit primùm orientem, & venientibus annis adæquandam paternæ. Næ tu, ſi & ſapientia & ſuada tua maturuiſſet, caneſcentis genitoris tui ſapientiæ ac ſuadæ, quantumvis prodigioſæ, eripuiſſes ſolitudinem. Iam illa dulcedo loquendi, influens in lubentes animos; iam illa ratio ſermonis aperta & ſim-

ſimplex; iam illa ad animorum dolores leniendos moderatio, illa denique auctoritas, quæ ex prudentia & facultate conſilii naſcitur, in te futuræ dignitatis ſuæ faciebant indicium. Loquenti quis negavit aurem tibi? Quis aſſenſum? quis, quàm ſentires rectè, cognoſcendi deſiderium? Simpliciter prolata verba & nuda quæſiti ornatus, demittebant ſe animis molliſſima lenitudine, quali roris guttulæ graminibus. Tanta bona, heu! momento ante poſſeſſa, perdidimus; & perdidimus æternùm. Piſiſtratum perdidi, quem inter hæc brachia etiamnum vidit hodiernus Phoſphorus. Reliquit nihil præter triſtem ſui memoriam. Clauſiſſes ſaltem priùs Neſtori oculos, quàm nos hanc pietatem tibi præſtitimus. Non iam illi reſtaret tam lugubre ſpectaculum; non ille reſtaret miſeri genitoris exemplum.

Poſt hæc ſuſpiria Telemachus cruentum vulnus purgari iuſſit, quod altum in Piſiſtrati latus deſcenderat, ipſum verò cadaver in purpureo lecto extendi, ubi caput eius reclinatum in humeros & exangue maximè referebat arborem nondum adultam, umbrîs ſubſtrato ſolo, frondium elato flore aëri quondam iucundam; at maligna denique bipenni fuſam humi. Dehinc non iam radicibus ſuis iungitur, non terræ ſinu, fœcundo receptaculo germinum, tenetur. Serpit in frondes languor: defluit herbeſcentis formæ luxuries. Sibi denique non ſufficiens ſuſtinendæ collabitur. Profanantur rami, aliàs denſum adverſus iniurias cœli ſubſidium, ſparſi arenâ; & paullatim viriditate expirante labuntur in aridum ſenium. Mutilus & ſine cultu truncus & deinceps nihil eſt. Sic & Piſiſtratus

eſſe-

efferebatur mortis ſpolium, ponendum, quem evitare mortales non valent, rogo. Et iam erigebatur flamma luculentior. Incedebat poſt funus Pyliorum turba cum fletu, oculis ſpiculíſque armorum depreſſis, lentóque gradu. Cadavere celeriter deflagrante, Telemachus (ùt totum funus curandum ſuſceperat) congeſtos in urnam cineres Callimacho, nuper Piſiſtrati magiſtro, his tradidit verbis: ſerva has triſtes, has pretioſas ex eo, quem amâſti, reliquias. Trades genitori tum demum, cùm ad eas convaleſcet repetendas. Eadem res aliàs triſtitiam, aliàs remedium eius habet.

Hîs peractîs Telemachus contendit in regum conſilium. Quem ubi primùm conſpexêre venientem, obticeſcens univerſa concio audientiam præparabat dicturo. Ad hæc ille lapſus in ruborem, tum quidem ad habendum ſermonem non potuit induci. Laudes, ex omni concione ob res geſtas acclamatæ, augebant verecundiam. Optabat ſibi tunc latebras; viſúsque hìc primò eſt non ſolùm turbatus animo, ſed ambiguus etiam conſilii. Demum rogare beneficium cœpit, ut ab huiusmodi laudationibus ſibi prorſus eximio liceret eſſe. Neque id rogo, inquit, quòd laudationes non amo, eas maximè, quas impertiuntur probè intelligentes virtutis; ſed quòd vereor, plus æquo ne amem. Depravant enim mortalium animos: admiratione ſui inficiunt: inani gloriæ appetitu, fiduciáque audendi accendunt. Curandum, ut mereantur tribui; recuſandæ, cùm tribuuntur. Nunquam ſatis laudes, quantumlibet bonæ, à fictis ſe removent. Delectantur mortalium peſſimi, tyranni, inquam, adulatorum encomiis, ut haud quiſquam magìs.

Sed

Sed quid voluptatis habet commendari hòc modò? Illas ego commendationes & ſolas probo, quas, per Deos ſi mereor, tribuetis abſenti. Quodſi verè bonum eſſe me creditis, credite & modeſtum eſſe velle, & refugere inſolentes ſpiritus. Igitur parcite, quæſo, mihi; & ſicui æſtimor præ vulgo, nolite me laudare, ùt qui laudum ſuarum prædicationibus libenter animum videatur indulgere.

Qui deinceps in publica rerum ab eo geſtarum commemoratione bacchabantur extra modum, nullum accepêre reſponſum; ſecutáſque laudes ſub ipſum ferme exorſum æquabili vultus perſeverantia retudit adeò, ut, veriti, ne offenderetur ſui celebritate nominis, ab ea abſtinerent. Ceterùm in admirationem præclaræ indolis eius ſe effuderunt licentiùs. Pervulgatum erat, quàm tenerè amârit Piſiſtratum, & quó manibus eius ſtudio ultima perſolverit. Atqui ipſa hæc ſigna benevolentiæ longè magis, quàm non iam occulta ſapientiæ & virtutis prodigia, movebant exercitum. Unde paſſim hæc inter ſe milites: Sapiens eſt, fortis eſt, amicus Deorum eſt, & ætatis noſtræ heros unus. Exiſtit in illo, quod non cadit in hominem. Totúmque hoc nobis mirum, totum hoc nobis miraculum eſt. Humanus eſt, benignus, fidelis, facillimus affatu, miſericors, liberalis, beneficus. Quos debet diligere, non modò diligit, ſed & amat. Gratus eſt & iucundus domeſticis. Exuit illum faſtum, illum neglectum hominum, illam ferociam. Hi enimvero mores ſunt commodi: hi attingunt animos. Sic medullis noſtris ſe inſerit: ſic univerſum agmen virtutum ſuarum venerationem, ſic ipſe corporum noſtrorum meretur oppoſitus.

Poſt

Poſt primos hos iuvenem celebrantium impetus ad conſultationem ventum; viſúmque, Daunios ſine rege eſſe non poſſe. Plerique præſentium regum cenſebant, dividendam eſſe, quam armis occupâſſent, provinciam. Itaque & Telemacho pars oblata Arpos regio uberi ſolo, frumenta, vina, & quos Minervæ ſacra arbor fructus gignit, bis per annum reddens; aſſignatáque his verbis: Faciat hæc regio, ut ſterilem Ithacam cum malè ſartis tuguriis, immaniáque loca Dulichii inſulæ, vaſtos item ſaltus Zacynthi recordari deinceps ne velis. Deſine genitorem inquirere, quem eſſe Nauplii vindicta & Neptuni iracundia afflictum Caphareo haud ambigimus. Sed & genitricem, triſte per abſentiam tuam procorum ſpolium, patriamque omitte; cuius gleba multum abeſt ut perinde atque à nobis oblata miti ſit habitu.

Hi ſermones ùt non offendêre iuvenis animum, ita longè quàm Thraciæ aut Theſſaliæ cautes gemitus perditè amantium commovebant minùs. Ego verò nec divitiis, inquit, nec ipſis, quæ oblectandi vim habent, oblector. Quid prodeſt poſſidere ampliores terras, ſi curam imperantis intendat ſubditorum amplior multitudo? Creſcit tum ſcilicet moleſtia; decreſcit libertas. Moderatiſſimus quisque vitam alioquin degit abunde miſeram, etiam cùm non aggravatur miſera neceſſitate regendi homines indociles, turbulentos, iniuſtos, inſidioſos, & beneficii male memores. Si quem amor ſui impellit ad capeſſendum imperium ſuæ duntaxat auctoritatis, oblectationis, & excellentiæ habita ratione: impius, tyrannus, flagellum generis humani eſt. Contra ſi quis regendos populos

uni

uni ipſorum ſuſcipit emolumento, tutor potiùs illorum, quàm dominus eſt, quia oneratus moleſtiis & laboribus infinitis ne deſiderium quidem admittit amplificandæ propriæ vel auctoritatis vel potentiæ. Paſtor ſcilicet, niſi gregem ipſe ſuum velit conficere, ſed tueri cum vitæ periculo, neque curam aſpernari procurandi ſalubris pabuli; neutiquam cogitat aut locupletare ovile ſuum, aut ſpoliare alienum. Quid enim hoc eſſet niſi pondus addere, quo premitur, ponderi? Ego (nam & hoc adiecit iuvenis) etſi nunquam regnaverim, doctus tamen optimis legibûs & inſtitutis ſapientiſſimorum, qui leges condidêre, hominum non ignoro, quam arduum ſit regere urbes & Imperia. Contentus itaque patriis finibus utcunque egenis & modicis, dignitatis abunde poſſideo, ſi iuſtè, ſi ſanctè, ſi fortiter illos guberno. Et hercle (quod vereor) voluntate mea gubernabo citiùs. Dii velint, velint, inquam, in iisdem ſceptrum gerat è naufragiis ſuperſtes genitor, donec ad extremos provectum apices ultimæ ſenectutis repoſcat ipſius naturæ conditio: ut eo diu magiſtro perdiſcam cupiditates meas edomare, & ex his edomitis cupiditates univerſæ gentis moderari! Denique: Audite, inquit, quotquot hìc præſentes reges deveneror! & quod exponere me ſalus nimirum veſtra iubet, percipite. Dauniis regem iuſtum ſi dabitis, reget eos iuſtè & legitimè; quódque ex Adraſto diſcere non potuerunt, docebit, quanti interſit ſervare fidem, & ex alieno non diteſcere. At quamdiu gubernabuntur à rege ſapiente & iuſto, nihil movebunt. Quid? quòd pro tam bono rege neceſſitudini veſtræ ſe dabunt: pro dulci pacis & fortunato,

nato, quo fruuntur, otio habebunt gratias: non modò inimici non erunt, ſed deprecatores etiam ſalutis veſtræ apud Superos. Rex vobis ſceptrum, populus ſe ipſum debebit vobis. Iam verò terras eorum portionibûs diſtribuite. Calamitates certè à me nunc recenſendas non evitabitis. Hic populus, ſpe prohibitus meliorum, renovabit bellum. Pro libertate ſua tam pugnabit iure, quàm faventibûs, qui tyrannos oderunt, Diîs; qui ſi ſemel belli cauſam aſſeruerunt ſibi: nomen veſtrum labem accipiet, felicitas diſſipata inaniſſimum finem. Conſilium & ſapientia Principes, fortitudo duces, copia rerum terras veſtras deſtituet. Delibuti veſtrâ ipſorum fiducia offeretis vos temeritatibus: afferetis verè & ſaniora ſuaſuris ſilentium: rebúsque veſtris fortuito collabentibus, inferetis vos omnium gentium ludibriis, inſultantium: Hæne gentes illæ, quæ attingentes cœlum orbem legibus ſuis univerſum vinciant; nunc verò ne ab hoſtibus vinciantur ipſæ, profugiunt? Ludus gentium cæterarum & ſub pedibus calcantium ſunt. Deorum hoc opus eſt; hoc præmium iniuſti, ſuperbi, & inhumani populi.

Illud porrò attendatis velim, diviſâ inter vos, quam expugnâſtis, provinciâ, ſe populos omnes, qui quidem terris veſtris iunguntur, adversùm vos ſociaturos; fœdúsque abominantes, quòd Heſperiæ ſaluti contra iniquos Adraſti conatus pepigiſtis; rectè vos ipſos publicæ tyrannidis arguent. Quodſi tamen & Daunios, & quidquid præterea eſt gentium circùm vos, armis veſtris contigerit ſuperari: hæc ipſa certè victoria res veſtras profligabit. Sic enim habete.

Hoc

Hoc conſilium ſocietatem animorum veſtrorum rumpet. Cùm enim non ſit profectum ex diſciplina æquitatis, deerit vobis ratio certa & evidens definiendi, quid quantumque veſtrum quivis ex iûre ſibi poſſit aſſerere. Petetis quisque ſcilicet, ut portio acquiſitæ regionis reſpondeat magnitudini bello navatæ operæ. In nullo veſtrum reſidebit has inter gentes auctoritas, ob quam portiones definientem interturbare habeatur nefas. Hoc igitur caput belli erit, ad ſeros etiam poſteros transmittendi. Præſtat herculè iuſtum & humanum eſſe, quàm ambitionis impetum per tot diſcrimina, per tot, quas præterire non licet, calamitates ſequi. Conſiderate, quæ pacis amœnitas? quæ illi annexa, quàm ſine nævo, quàm ſine acerbitate oblectatio? quæ copia rerum? quæ finitimorum amicitia? quantum iuſtitiæ ſemper coniunctum decus? quæ laus, ob integritatem fidei nominari arbitrum quarumlibet gentium externarum? Hæc bona, hæc numquid aptiora ad intuendum ævum, quàm ex occupato regnorum dominatu profecta inanis commendatio? Videtis Principes, ut rerum mearum ſponte non memor vobiscum agam. Mementote igitur acquieſcere diſſuadenti, volentíque ex propoſita veritate vobis, quos tantopere amat, diſplicere.

Hæc cùm Telemachus, quanta nunquam adhuc auctoritate, diſputat, laudésque ab attonitis regibus conſequitur ſenilis in conſultando prudentiæ: incerti quidam ſtrepitus per caſtra propagati eò demum penetrârunt loci, ubi habebatur concio. Inter alia hæc in aures ſignificantiùs lapſa: Advena quidam ingentis ſpeciei & planè imperatorio

habitu ſe ad hanc oram applicuit. Diuturnîs calamitatibûs multíſque, ſed animo ſemper inconcuſſo, facilè intuentes intelligunt eſſe iactatum. Qui ex maritimis populis littori præſident, oppoſuerunt ſe velut inimica voluntate facturo exſcenſionem. At ille ſtrenuè expedito gladio oſtendit paratum ad impetum excipiendum eſſe; ceterùm pacem rogare & gratiam hoſpitalitatis. Tum oleam tetendit ſupplicis ſpecie. Auditus eſt. Petiit autem duci ad reges Heſperiæ; ad quorum alloquium modò huc tendit.

His nunciis exactis advena intravit conſilium tanta gravitate oris, ut in ſtuporem magìs quàm admirationem raperetur concio. Nefas haud fuiſſet ſuſpicari Martem eſſe, cùm in Thraciæ montibus cogit ſponte ad edendas ſtrages ruentes exercitus. Fuit autem hæc eius oratio:

Paſtores gentium, curâ vel tuendæ patriæ vel optimarum legum hìc congregati! Audite hominem, fortunæ cladibus, quas à vobis procul & ſemper Dii amoverint, confectum. Diomedes ſum rex Ætoliæ, reus vulneratæ ad Troiam Veneris. Cuius quidem vindicta nuſpiam terrarum unquam me deſtituit. Neptunus, qui precibus natæ è pelago Divæ reluctari non valet, me permiſit irati maris libidini. Quoties hinc ego impactus ad cautes & ſcopulos? Ferrea meos ad gemitus Venus perſeverabat eripere ſpem videndi Imperium, meos, dulciſſimam patriam. Et hercle viſurus ſum nunquam, quæ mihi chariſſima. Poſt tot itaque clades marî, amplector hoc ignotum littus; ſedes fatigato tantisper propitias & tutas precor. Si Deos, & Iovem maximè, quem hoſpitum

curam

curam habere credimus, timetis; ſi humanitatem colitis: concedite mihi obſecro, in his vaſtis regionibus particulam ſterilis ſoli, alióſve locos, nudos humani cultus, obſitos arenis prærupt íſque ſaxis & cotibus, ubi cum ſociis calamitatis meæ conſtituam urbem, quæ velut imago amiſſam patriam obiiciat triſti memoriæ. Spatiola quædam, quæ vobis aliàs nec uſui, nec curæ ſunt, petimus. Pacatos nos habebitis, vobíſque coniunctiſſimos. Hoſtes veſtri hoſtes noſtri erunt, & una omnium ſalus. Nec aliud paciſcimur, niſi ut nos legibus noſtris vivere patiamini.

Inter hanc orationem Telemachus, defixis in Diomede oculis, vultu ſuo animi motus non ſimul, ſed ſingulos, & ùt in loquente apparuerant, exhibuit. Imò Diomede ſeriem calamitatum ſuarum referre aggreſſo, ipſe ſpem ingredi non dubitavit, hunc tanta gravitate virum genitorem ſuum fore. Enúnciato ergò Diomedis nomine, ſuffuſo pallore colorem mutavit floſculi inſtar, cuius decus immitiores ab Arcto flatus delibârunt. Querelæ deinde de diuturna Numinis invidia acriter perſtrinxêre iuvenilem animum, quoniam & patrem & ſe in eadem verſatum eſſe meminerat. Obortis igitur partim præ dolore, partim præ gaudio lacrymis, ad amplexandum Diomedem ſtrenuè progreſſus:

Ulyſſis, inquit, quem nôſti in occupandis Rheſi equis tibi utilem fuiſſe, filius ſum. Dii non ipſum, quàm te, habuêre mitiùs. Niſi Erebi oracula me fefellêre, vivit adhuc; at non vivit mihi, quia extra hunc amplexum. Reliqui Ithacam, ut recuperarem eum mihi. Sed nec patria valet à me re-

 cuperari,

cuperari, nec pater. Diſce ergo, quæ mea calamitas; atque inde, quantum tua me moveat, ſtatue. Infelicitatis hic fructus eſt, intelligere, quantum miſerearis infelicium. Ego itaque, quamquam & ipſe alienigena, poſſum tibi, magne Diomedes (neque enim, tametſi inter patriæ meæ dolores & vulnera adultus, tuam ex rebus bello geſtis celebritatem non didici) poſſum, inquam, tibi poſt Achillem inter Græcos invictiſſimo ſuccurrere aliquà. Inhumani non ſunt, quos hìc vides Principes. Sciunt humanitate virtutem & ſtabilem gloriam contineri. Magnorum virorum laudibus novam affundit lucem calamitas. Deeſt aliquid eorum magnitudini, ſi numquam fuerunt infelices; exempla ſcilicet patientiæ & conſtantiæ. Tangit calamitoſa virtus animos, in quibus ſenſus honeſtatis nondum elanguit. Noſtrum itaque erit, ærumnæ tuæ fomenta proſpicere. Miſerunt te huc Dii. E cœlo tu nobis donum, quod ex miſeriis ſuis poſſe recreare pars felicitatis noſtræ reputabitur.

Ita loquentem Diomedès diligenter intuitus, ſenſit ſe totis viſceribus efferri. Inter mutuos deinde amplexus, quibus ſe velut pro veteri conſuetudine ſtrinxerunt: Fili, inquit, & verè Ulyſſis fili! Video eandem oris atque orationis gratiam & ſuadam, idem ingenium, ſapientiámque eandem tibi cum genitore eſſe.

Sed & Philoctetes Tydiden iam ad memoriam poſteritatis inſignem ſalutavit cum amplexu. Relatóque inter ſe, quibus quiſque caſibus eſſet perfunctus: Utique periucundum, inquit, tibi erit ſapientiſſimum Neſtorem denuò intueri. Adhuc vitæ, imò elata nuper ſobole ultima, Piſiſtrato, lacry-

lacrymis ſupereſt. Veni, ſolare. Faciliùs ab infelice, quàm ab alio, infelix admittet ſolatium.

Mox ad Neſtoris tabernaculum itum. Atque is ægrè Diomedem agnovit triſtitia miſcente præteritorum memoriam. Ceterùm Diomedes nec momento tenuit lacrymas; neque potiùs ſalutationem, quàm mœrorem videbantur ſociare. Tum quidem præſentia iſtius amici paullatim erexit oppreſſum ſenis animum. Nec iam obſcurum erat, dolorem eius interpellari oblatâ copiâ narrandi, quæ ipſe; & audiendi, quæ Diomedes pertuliſſet.

Dum vacant ambo mutuis ſermonibus; revocatô ad rem præſentem conſiliô, regibus ſuadet Telemachus, ut Arpis Diomedi attributis, Dauniis Polydamantem ex eadem gente regem darent. Erat Polydamas belli gloria & muneribus clarus, à conſpicuis gradibus militiæ prohibitus Adraſti invidia; veriti ſcilicet, ne meliores ſucceſſus, quorum auctor unus volebat haberi, operæ tam periti viri adſcriberentur. Et certè is regem clam frequenter admonuit, in hoc bello, quod adversùs tot gentes ſuſcepiſſet, præter ſuam Imperii etiam ſalutem apertè periclitari. Neque omiſit eum inducere, ut cum vicinis ſimpliciùs & moderatiùs ageret. At quibus gravis eſt veritas, iis graves quoque eſſe neceſſe eſt, qui verum dicere non verentur. Iſtorum hominum nec fides movet, nec ſtudium, nec, quem cupiditate rerum ſuarum exonerant, animus. Obfirmabat Adraſtum ſpecies indulgentis fortunæ ad ſaluberrima conſilia, quæ, etſi contempta, ſequebatur aliud atque aliud in dies ex hoſte decus. Inſolentia, doli, impetus ſemper inclinabant in partes eius victoriam. Clade, cuius

 metum

metum tam diu ingeſſit Polydamas, nulla ſequente, illudebat Adraſtus illam, opinione ſua meticuloſam, prudentiam, quæ cognitione futurorum malorum ſe fatigaret. Polydamantem ergo, ùt ſibi permoleſtum, excludebat officiis, patiebatúrque ſolitudini & inopiæ conflictari.

Equidem Polydamas initio ſtatim in hac regis offenſa fuit. Ceterùm ex ea legit fructum, quo adhuc maximè caruit. Didicit inde, vanam eſſe fortunam, quoties indulgentior. Sapiebatque damno ſuo; ut infelicem delectaret fuiſſe. Paullatim aſſuevit opportunè tacere, victitare paucis; vero placidè inſiſtere, virtutes interiores & reconditas, quæ honeſtati ceterarum, venientium ſub aſpectum, longè antecellunt, colere; exuere demum ſe conſuetudine hominum. Mandârat vitam ſolitudini, in quam mons Garganus procumbit. Rupes medio flexa ſinu præſtabat tectum, lapſæ è rupe aquæ potum, poma non nullæ arbores. Agellum colebant duo mancipia eius, quibuscum laborem ipſe iungere ſolitus. Reddebat terra tam largum ſtipendium, ut inopi nihil eſſet inopiæ. Poma & legumina abundabant. Florum, quos ex odore laudamus, nullum deerat genus. Hìc ergo ille deplorare ſortem mortalium, quos ſtolida regis unius cupiditas immittit exitio: hìc expectare in dies Adraſti à Diis, quàm iuſtis, tam patientibus caſum. Quantò ad maiora incrementa graſſabatur regis felicitas, tantò credebat paulò pòſt certæ ruinæ eius adfuturos nuncios. Quippe florens inter errores ſuos imprudentia, potentiâque elata ſine modo, & extremis ſummi abſolutíque imperii apicibus inſidens, regum atque regnorum præcur-

rnnt

runt interitus. Adraſti ſtrage & morte nunciatis nihil præ ſe ferebat lætitiæ, quòd ſeu id genus mali præſenſerit, ſeu tyranni iſtius iugum exierit. Gemitus duntaxat edebat metu imminentis Dauniæ genti ſervitutis.

Hunc ergo virum Dauniis Telemachus ſuaſit præficiendum; cuius quidem virtutem & fortitudinem haud tum primùm cœpit habere perſpectam. Telemachus enim (quæ erat Mentoris inſtitutio) non negligebat pernoſcere tam utiles, quàm perverſos mores perſonarum, quibus ampliora officia tum apud fœderatas gentes, quibuscum militabat, tum apud hoſtes erant demandata. Præcipua eius cura fuit, ubique indagare in homines, quos aut dotes præclaræ animi, aut ſupra vulgum virtus reddebat conſpicuos.

Non omnibus regibus initio prorſus è re viſum, Polydamanti committere inſignia. Didiciſſe experientia, quantùm Dauniorum regem, qui arma & amet & peritè tractet, timeri oporteat. Polydamantem autem re præſtare militari. Ab eo itaque periclitari ſummam regnorum ſuorum poſſe. Neque Telemachus negabat Polydamantem egregiè eruditum ad bellum. Addidit tamen eum præterea eſſe pacificum. Atqui hæc duo ſunt, inquit, quæ requirimus in rege. Qui ærumnas, diſcrimináque & labores belli non ignorat, hercle lubentiùs ſubterfugiet bellum, quàm qui nunquam in armis fuit. Polydamas commoda tranquillæ vitæ guſtare & collocare didicit. Adraſti conſiliis manus pedéſque oppoſuit: ſecutura ex iis mala proſpexit. A Principe ignavo, rudi & imperito quod timeatis, longè maius eſt, quàm ab illo, qui ſuæ ipſius cogi-

tationi res omnes penſandas ſubiiciet. Rex ignavus atque indoctus, nec inſtructus uſu, videbit oculis non ſuis, ſed unius vel chari hominis, quem rerum ſuarum partiúmque depravat ſtudium, vel inquieti & ambitioſi ſervuli. Hac ergo cæcitate in belli retia non ſentiens, quia imperitus rei, quam agit, ſe induet: nunqam ab eo eritis ſecuri, quia ipſe nunquam eſt à ſe ipſo ſecurus. Violabit pacta: feſtinabit vos in eas anguſtias, ut aut ipſum à vobis aut libertatem veſtram ab ipſo perire neceſſe ſit. An ergo non erit utilius, non tutius, non tempori, non honeſtati congruentius, ſuſtentare, quam in æquitate veſtra Daunii ponunt, fiduciam; iisque regem dare, qui hac amplitudine dignitatis non videatur indignus?

Probabat hanc Telemachi orationem univerſa concio. Itur ergo ad Daunios, expectatione reſponſi permoleſtè ſuſpenſos, ut indicaretur iis, placere, ſi Polydamantem regem ſtatuerent. Proclamato igitur illius nomine: Nunc demum, inquiunt, nobis certum perſpectúmque eſt, fœderatos reges agere ſimpliciter, & æternam pacem habere in animo, quoniam virum decrevíſſent tam præſtanti virtute, tam idoneum ſceptro. Si ignavum, effœminatum, malè inſtitutum ſuaſiſſent: ſatis licuerat credere, ruinam gentis noſtræ quæri, & qua aſſuevimus regi, diſciplinæ. Neque conceptus ex voluntate tam acerba fraudulentáque dolor in animis unquam noſtris reſediſſet. Nunc autem frequens in Polydamantem conſenſus argumentum eſt, verè nobiſcum agi. Nimirum confidunt ſociati Principes, dum nobis præficiunt dominum, à detrimentis libertatis & gloriæ noſtræ

tota

tota mente abhorrentem, nos facturos tantùm iuſtè & ingenuè. Ceterùm Dii teſtes, ad fontes ſuos retro prius lapſura flumina, quàm ex animis noſtris debitus amor tam beneficis populis. Iidem Dii memoriam iubeant beneficii, quo lux hodierna nos cumulat, accipere ultimos è nobis poſteros, ac per Heſperiam univerſam de progenie in progeniem revocata aureæ ætatis otia transmittere.

Inſtitit deinde Telemachus, ut Diomedi pro condenda colonia permitteretur Arpinus ager. Gens nova, inquit, vobis incrementa ſua debebit in regione, cultus veſtri aliàs exorte. Meminiſſe iuvat, amorem meritò hominem ab homine requirere. Ampliorem terram eſſe, quam neceſſe ſit vicinîs premi; & ſi vicinos velimus, optimos utique eſſe, quibus auctores extitimus ſalutis. Moveat vos regis calamitas, interclusi reditu ad ſuos. Coniunget illum Polydamanti vinculum Iuſtitiæ & virtutis, quod vinculum unum iuxta ac firmiſſimum. Ergo & vindices pacis erunt, cauſâque, ut terror nominis veſtri in omnes circùm gentes, ſi quos concitârit amplificandæ cupido poteſtatis, propagetur. Ecce regem vobis, Daunii, tribuimus, quo ducente ſe decus veſtrum ad ipſa ſidera extulerit. Ergò & vos, quod rogamus, regi omni ope & miſeratione digniſſimo terræ portionem, vobis inutilem, tribuite.

Reſponſum à Dauniis nihil ſibi fas eſſe negare Telemacho, quo auctore meminiſſent ſe regem Polydamantem habere.

Hunc ergo in ſolitudine ad accipienda Imperii inſignia illicò ſurrexerunt conquiſitum; poſteaquam ad condendum novū regnum fertiles Arpini planicies

Diomedi tradiderunt. Fuit hæc res ſociis incredibili lætitiæ; quippe partes ſuas hiſce ex coloniis plurimùm aucturis, ſi peſſimo Adraſti exemplo Daunios finitimarum regionum nefaria libido invaderet. Interea Principibûs tota cogitatione adornantibus reditum, & ipſe Telemachus, poſtquam Diomedi ſeni, afflicto Neſtori & Herculearum ſagittarum digno hæredi Philoctetæ amplexus ultimos iniecisſet, inter uberes fletus cum milite ſuo profectus eſt.

TELEMACHUS.

LIBER XXII.

ARdebat Telemachus intolerabili deſiderio rurſus videndi in urbe Salento Mentoris, & dehinc cum eodem ineundæ in Ithacam navigationis, quò genitorem non dubitabat rediiſſe. Ingreſſus ſalentinos agros ſatis mirari non potuit, videns regionem, quam incultam ferè deſertâmque reliquiſſet, totam horti diligenter inſtituti ſpeciem, & operarum ingentem multitudinem oſtentare. Adorabat ergo in his veſtigia Mentoreæ ſapientiæ. Sub ipſum autem in urbem ingreſſum advertit numerum eorum artificum, quorum opera voluptatem humanæ vitæ promovent, luxûmque oppidò defluxiſſe. Offendebat hoc iuvenem, quippe ingenio cupido ſtudioſóque rerum, imperatoriam ſpeciem ac dignitatem præferentium. At continuò ſalubriora ſubiecit animus. Ibat in redeuntis occurſum Idomeneus cum Mentore, quibus ipſe procul viſis ſimul tenerrimo gaudio cœpit perfundi. Quamquam autem res proſperè contra Adraſtum geſſerat, verebatur tamen, ut Mentoris arbitrio ſatisfecerit. Unde quò

ille

ille fiebat propinquior, eò iuvenis erat in obſervandis oculis venientis curioſior, utrùm nihil præferrent obiurgationis.

Continuò Idomeneus haud alio quam patris amplexu ſtringebat Telemachum. Inde ſe iuvenis Mentoris cervici lacrymâſque affudit. Inter quæ: Satisfeciſti mihi, Mentor inquit. Erraſti non ſemel, non leviter. Sed inde didiciſti te ipſum noſcere, & diffidere eidem tibi. Plus interdum prodeſt homini vituperiô, quàm laude geſſiſſe digna. Hæc quippe tentant ſuperbiâ animum, & admiratione ſui inficiunt; illa hominem ſibi ipſi, ſimúlque elapſam inter res ſecundas ſapientiam reſtituunt. Quod ſupereſt: Deos lauda; tu verò noli ab hominibus laudari. Præſtitiſti grandia; at numquid viribus tùis minimè? Nónne acciderunt illa tibi quaſi adventitia, & non enata intra te, atque ita, ut potuerint temere feſtinatis conſiliis tuis diſſipari? Senſiſtin', te in alium quaſi hominem mutatum, levatúmque ſupra te Minervæ numine, ut, quæ agebas tu, illa manu tua perageret? Illa, illa curſum imbecillitatum tuarum non ſecus atque Nereus cohibitis procellis iratos fluctus ſtitit.

Interea dum Idomeneus ad varia è Cretenſibus, qui cum Telemacho redierant, interroganda cupiditate novitatis prolabitur: Telemachus docentem Mentorem non ſegniùs audivit. In omnes deinde partes oculos circumferens attoniti habitu, ad Mentorem: Viciſſitudinum, inquit, quæ ubique ſe offerunt, cauſam non capio. Salentum ergo mali quid abſente me paſſum? Quid illos ante meam profectionem luxus & ornamenta disiecit? Non aurum, non argentum, non gemmas intueor.

Veſtes

Veſtes nihil diverſæ à vulgaribus: Ædificia minùs ſpatioſa cultâque: multatæ artes & frequentia opificum. Salentum ſolitudo eſt.

Mentor tenui riſu ſciſcitabatur, num conditionem obſervâſſet urbani ruris? Annuente Telemacho, ſe agriculturam florentem, & glebam, antea ſterilem, nunc probe ſubactam inſpexiſſe: Quid ergo tu præfers, ille ſubiicit, auro argentóque inſtructum oppidum cum inopi & neglecto ſolo? an cultum fertiléque ſolum cum mediocri & bene morato oppido? Abundans civitas artificibûs, quorum diſciplina opitulatur morum voluptati, monſtrum mihi eſt, cuius caput eximium & ſplendidum, corpus verò aridum eſt, excluſum alimentis, & minimè congruens. Veriſſimæ regni divitiæ ſunt copia civium & alimentorum. Habet nunc Idomeneus populum innumerabilem, induſtrium, amplitudini limitum ſuorum ſufficientem abunde. Regnum eius totum una nunc civitas; Salentum verò centrum duntaxat iſtius eſt. Homines, quorum in urbe non erat uſus, hinc in agros tranſtulimus, quibus deerant colentium manus. Augetur ubertas ſoli, quantum numerus eorum, qui colunt. Hæc iucunda, hæc pacata incrementa plus me hercle regnis adiiciunt, quam alienigenarum occupati dominatus. Summa eius, quod iſta in urbe egimus, eſt; quòd artes ſuperfluas interdiximus, quibus tum pauperes abſtrahuntur ab agreſti opera, ex qua vera humanæ vitæ ſublevanda neceſſitas; tum divites depravati ſuperbia & mollitie vergunt in deterius. Ceterùm nec artes ingenuas & utiles, nec ad percolendas eas à natura comparatos tetigimus. Ergo Idomeneus nunc longè potentior eſt,

eſt, quàm cùm magnificentiæ illius ſplendor te perculit. Celabat is ſplendor putidam miſeriam, univerſum Imperium paulò poſt ſubruituram. Nunc verò non plures modò ſubditos alit, ſed etiam commodiùs alit, & meliùs; qui quidem omnes rura ſua operáque manuum ſuarum putabunt ſibi defendenda. Itaque hoc Imperium, quod tu prolapſum exiſtimas, exurgens haud multò pòſt in admiratione totius Heſperiæ verſabitur.

Cogita, Telemache, duo plerumque reperiri in ſummo imperio. Primum eſt iniuſta & nimis violenta potentia, quam reges ſibi conſueverunt aſſerere; alterum verò luxus, quo quidem ad bonos mores nihil importunius. Reges, qui ſe permittentes cupiditatibus, aſſueſcunt leges præter ſupremæ voluntatis ſuæ libidinem nullas revereri, agere poſſunt, quæ libent. Sed ea ipſa res, quòd agere poſſunt, quæ libent, tentat violátque fundamenta, quam habent, potentiæ. Agendi imperandíque modum & rationem certam non ampliùs tenent. Sudant ad palpandos eos omnium ſtudia. Non iam habent ſubditos, ſed mancipia, quorum numerum dies decerpunt ſinguli. Quis verum docere? quis huic torrenti imperare limites? recedunt omnia. Mandant ſe latebris & triſti ſolitudini, qui pollent conſilio. Soli impetus improviſæ viciſſitudinis bacchantem extra iuſtos fines potentiam ad æquitatis curſum poſſunt compellere. At quoties impetus, ad eandem moderandam idonei, omnino percellunt etiam unà cum ſpe diſſipandam ſe reparandi! Præſagitio ruinæ oraculo certior eſt æquo altiùs provecta potentia. Arcus eſt plus, quam patiatur, intenſus, quem ſi reſolutum non laxas,

laxas, præter opinionem diffringitur. At quis eum reſolvet? quis laxabit? Atqui tam lenis illecebra immoderatæ potentiæ Idomenei pectus omnino peſſumdederat. Exutus ſoliô errorem tamen ſuum non exuit. Huc neceſſe fuit à Diis nos mitti, ut eum moveremus ex perverſa æſtimatione huius tam cæcæ, tam à modo, humanáque conditione abhorrentis potentiæ. Quid? quòd mira quædam cenſuerunt adiungenda, ut radios diſciplinæ noſtræ oculi ſponte cæcutientis admitterent.

Alterum malum, ídque perinde ferè inſanabile eſt luxus. Ut reges immoderata potentia; ita luxus corrumpit univerſum populum. Et luxum quidem excuſant, quòd egenorum obſequia victum poſſint ex ſumptibus opulentorum hominum conſequi. Ac ſi vero pauperibus non liceret utiliùs ali, ſi non doceant ingenia ſua corruptelæ divitum, ſed induſtriam ſuam agrorum fertilitati deſervire. Hac demum ratione nationes integræ aſſuefiunt inter fulcra humanæ vitæ reputare putidiſſima titivilitia. Dies ſinguli novas neceſſitudines parturiunt; rebúsque plurimis ætatem præſentem adſtringunt, quarum ne quidem nomen tempora paullò ſuperiora noverunt. Audit hic luxus rerum adulterato nomine limatum pulchritudinis iudicium, artium perfectio, nationis urbanitas. Hoc vitium, quocum connectuntur cetera ſine numero, commendat ſe laude virtutis. Hæc peſtis manans à regibus ſerpit ad plebem infimam. Propinqui regis æmulantur eius magnificentiam: premunt ſplendorem iſtorum proceres: proceribus ſe æquant, quorum non ultra mediocritatem conditio: mediocribus ſe inferunt minimi: intra vires ſuas nemo

nemo quiſquam ſe continet. Eas ultra provehit alios faſtus & divitiarum iactantia, alios inſanus pudor & cura celandæ inopiæ. Iam neque ipſi, qui mala ſatis intelligunt tam abominandæ perverſitatis, tantum ſapiunt, ut occurrentes ſuo exemplo audeant hanc peſtem contravenire primi. Evertit ſe tota natio: collidunt ſe ſe permixti ordines. Cupiditas diteſcendi, ne deſit facultas ſplendidorum ſumptuum, tentat integerrimos animos. Languent rerum omnium, ſi divitias excipis, ſtudia. Paupertati honeſtas detrahitur. Eſto artium optimarum diſciplina eruditus, ad res gerendas natus factúsque, virtute ſingulari & prorſus eximiâ; eſto magiſter præceptorum, laureis & trophæis conſpicuus, vindex patriæ, ex aſſe devotus civium ſaluti: niſi ornamentis iſtis dignitatem opum affundat luxuria, è plebis ultimæ reiectaneis numquam emerges. Sed & illi, quibus ferè manus porrigenda ad ſtipem, divitiarum aucupantes nomen, more divitum victitant. Inde petuntur mutua: ſuſcipiuntur doli; nullæque machinæ, nullæ præſtigiæ omittuntur ad exſculpendam pecuniam. Quis malis iſtis medebitur? Toti nationi induendum novum ingenium, nova conſuetudo; aliæ leges conſtituendæ. Ad iſta autem cui facultas ſuppetit niſi regi, intelligenti rerum planè omnium; qui noverit amatoribus luxuriæ frugalitatis exemplô afferre verecundiam, meliora ſapientibus animum, plurimùm utique gaviſuris, ſi moderationi ſuæ honeſtas regiæ auctoritatis acceſſerit.

Philoſophantem in hanc ſententiam Telemachus ferè audiebat, ùt qui ſibi è gravi ſopore reſtituitur. Quæ à Mentore diſputabantur vera, comprehenſa

henſa mandabat animo, ut ductus ſuos peritus artifex marmori, cùm delicatè ſpirantis habitum eidem affingit. Finienti ſermonem nihil reſpondit. Sed repetitis apud animum ſuum, quæ à Mentore fuerunt prolata, quidquid in urbe aliam formam acceperat, oculis percurrit. Spectatis omnibus:

Inter reges, inquit, Idomeneum ſapientiſſimum effeciſti. Alius rex, alius populus eſt. Antecedit enimvero immenſis ſpatiis tuum hoc facinus noſtras nuper victorias. Multum iuvant bellorum ſucceſſus fortuna & armorum potentia. Admittendi ſunt in ſocietatem victoriæ etiam gregarii. At verò huius gloriæ, quam es adeptus, ſocium tu habes neminem. Tu unus regem, tu populum univerſum, tu phalanges perverſitatum debellâſti unus. Curſum item ac eventum armorum gravat calamitas atque invidia. Hìc verò omnia ſpirant opus cœleſtis ſapientiæ. Omnia placida, pura, idonea ad alliciendas voluntates, & loquentia auctoritatem, quam in homine non reperimus. Mortales, qui laudis incitantur deſiderio, cur eam ex beneficentia & bonitate non petunt? Ut perversè metiuntur verum decus, ſi gloriam ſtabilem è terrarum populationibus & ſtragibus hominum ſibi putent naſcituram.

Mentor ſenſum miræ voluptatis præferebat vultu, cùm videret Telemachum hac ætate, cui tam alioqui familiare, obrui comparandæ laudis illecebrâ, vanam de gloria armorum opinionem depoſuiſſe. Unde poſtea ſubdidit: Bona quidem eſſe & probanda, quæcumque aſpiceret. Cetèrùm meliora adhuc poſſe conſtitui. Nam Idomeneus, inquit, tametſi cupiditatibus ſuis egregiè reſiſtens legúm-

legumque imperandi ſollicitus, multis adhuc erroribus conflictatur, qui ex prioribus ceu triſti ſcatebra manant. Credas homines, cùm avertuntur à vitiis, iisdem tanquam inſequentibus premi. Perſeverant (& diu ſatis) pravæ conſuetudines, ingenium lubricum, errores inveterati, præiudicia ſeu opiniones ante imbibitæ, vix movendæ ex animis. Beati, qui errore nunquam ſunt lapſi. Etenim his longè planior ſe ſternit ad bonum via. A te quidem, Telemache, quàm ab Idomeneo, plus exigent Dii. Nam & inter amplexus veritatis adoleviſti, & nunquam permiſſus es lenocinio nimium indulgentis fortunæ.

Ceterùm Idomeneo non deeſt ſapientia, non illuſtre ingenium. Verùm intentior ad ſingula, minùs rectè contemplatur ſummam & caput rerum ad ſe pertinentium, ut ſpeciem quandam formámque earum perfectam effingat in animo. Principis diſciplina non verſatur in eo, ut ſingula ipſe conficiat. Pinguis & incondita vanitas eſt aut ſperare, ſe aſſecuturum, quæ intendit animo; aut credi velle, ſe ad aſſequenda illa idoneum. Imperare rex debet eligendô & inſtituendô eos, qui præſunt cum ipſo, unáque imperant. Perperam rebus ſingulis admovet manum: ſic enim officia occupat exequenda à ſuis. Itaque rationem duntaxat rerum, quæ actæ ſunt, debet exigere, ſatíſque inſtructus eſſe à prudentia, ut, quam reddunt negotiorum procuratores rationem, introſpiciat penitus. Præclarum imperium eſt, deligere & adhibere, quantum à natura ſunt comparati factíque, ſui adminiſtros imperii; ſummum verò illud, bene regere, qui regunt unà. Obſervandi ſunt, continendi

 ſunt:

ſunt: corrigendi, incitandi, extollendi, amovendi ſunt: transferendi denique, & ſemper habendi in poteſtate. Omnia & ſingula ſubiicere velle ſuæ ipſius induſtriæ, diffidentiam redolet, & putidam ſolertiam; invidiâmque gignit oſtentationis ingenii, ingredientis in ſingula: quibûs eximitur bonum otium & libertas animi, geminum ad maiora negotia non modò ſubſidium, ſed & fulcrum. Quippe res penſaturis momenti, opus eſt animus liber & compoſitus. Vacandum eſt meditationibus rerum tempore vacuo, & cùm mentem non diſtrahit cura ambigui negotii. Exhauſtus ſollicitudine ad rerum ſingularum minutias animus inſtar fæcis ſe habet de vino, quæ nec acris ad guſtum, nec exquiſita eſt. Qui regnum adminiſtrant curâ ſingularium, mentem circumſcribunt præſentibûs; excurrere ad futura non ſinunt. Semper impliciti rebus diei, in quam incidunt, iſtis duntaxat ſe commodant: iſtis inſudant: iſtis cogitationem totàm affigunt; etſi nec plenam nec integram. Neque enim iudicium integrum ferre de rebus licet, niſi omnes ſimul comparatæ certum redigantur in ordinem, ut iuſta quadam ſerie connexæ inter ſe congruant. Hoc imperandi præceptum qui negligit, par eſt fidicini, qui ſonos optimos ſymphoniæ ſigillatim tentat & invenit, ſed iuſto eos concentu committere non ſtudet. Par eſt architecto, qui partes ſuas putat adminiſtratas quàm optimè, ſi prodigioſas columnas, ſaxâque affabre excisa congeſſit magno numero, nondum in mente deſignata ſpecie & proportione concinnandi ædificii. Dum laxat in aulam ſpatia; non meminit, ſcalam aulæ ex amplitudine debere congruere. Dum partes domus moli-

molitur præcipuas; nihil ſubit de area, nihil de porta principe. Totum opus nihil niſi congeries eſt ſplendidarum, ceterùm ad ſe non facientium partium. Itaque tantum abeſt, ut artifici ſuo ſit honorificum, ut potiùs monumentum exiſtat ignominiæ, ex quo intelligent poſteri, fabrum non ſatis prudentem fuiſſe ad deſtinati operis imaginem rectè concipiendam. Eſt hoc ſignum anguſtis finibus incluſæ & alienis viribus ſublevandæ intelligentiæ. Qui ingenium eſt nactus, intra cancellos recularum ſingularium duntaxat induſtrium, nihil poterit, niſi brachiîs alienîs, efficere. Certum habe, Telemache: adminiſtrationi regnorum tam neceſſaria eſt harmonia quædam & iuſta proportio, quàm illa Muſicæ, hæc architecturæ.

Quodſi velles me porro comparationi, quam ex his artibus petebam, inſiſtere: docebo, quàm non ſuperent vulgi ingenium, qui præſunt, ſingularibus affixâ curâ. Qui in iuſto vocum concentu non nullas tantum partes modulatur, ſimpliciter cantor eſt, quantumlibet canat peritè. Qui autem totum concentum dirigit, eiúsque partes omnes concinnavit, ille magiſter artis habetur Muſicæ. Sed & qui excidit columnas, vel educit parietem, nondum eximitur aut numero aut nomini illorum, qui vacant & manus admovent murali ſtructuræ. Ille ſcilicet unus architectus eſt, qui totum opus invenit, eiúsque partes omnes combinavit animô. Ergo nec illi regnant, ſeu reges ſunt, qui laborant; qui imperata exequuntur, & pleraque negotia conficiunt. Operarii duntaxat ſunt, vocati in partem operæ, non poteſtatis. Unus ille rex & præſes reipublicæ ac velut quidam Deus eſt, qui, dum agit

 nihil,

nihil, facit, ut agantur omnia; qui meditatur, qui excogitat; qui proſpicit futura, revolvit præterita; qui ordinat, & normæ proportionis cavet; qui ſe longè poſt venturis accomodat; qui aſſiduè contendit obluctari fortunæ, ùt natans adverſo torrenti; qui denique noctes diesque vigilat, ne quid cogatur arbitratui ſortis permittere.

Putásne, Telemache, peritiſſimum quemque pingendi labori toto inſudare die, quò citiùs opus, quod præ manibus habet, perficiat? Profectò id genus tormenti, hæc craſſa obnixáque laboris contentio facultatem fingentis animi eius ita offenderet, ut nihil dehinc ſuppeditaret illius induſtriæ. Quæ ab eo fiunt, fieri debent præter propoſitum, curſim, ùt ſtomachus fert & calens impetus. Aut certè terendis coloribus, accomodandis penicillis dat otium? Tyronum hæc penſa ſunt; ipſius verò meditari, invenire. Quod ab illo tota cogitatione ſuſcipitur, ſunt ductus audentiore penicillo deſcribendi, qui addunt imagini generoſum ingenuúmque habitum, vitam, &, qui congruat, ſenſum. Ille cogitata, ille mentem induit Heroum, quos it expreſſum coloribus. Toto animo in eorum regreditur tempora; & velut ereptus ſibi, in eodem, quo ipſi fuêre, articulo ſe rerum conſtituit. Ad hunc quaſi divinum animi afflatum adhibenda ex diſciplinæ inſtitutis prudentia, qua cohibeatur intra iuſtos limites, ne quid falſum ſeu erraticum, vel mendoſum, aut male congruens cogitanti ſubiiciat. Iam ad efficiendum bonum Principem, quàm pictorem, minore putas opus eſſe aut incitatione afflatúque ingenii aut facultate animi? Ex his ergo ſtatues, regis eſſe meditari, exempla concipere maiorum

iorum operum ac negotiorum, viros denique idoneos eligere, quibus ea curanda rectè committat.

Hæc diſſerenti Telemachus: Equidem videor mihi, inquit, aſſequi ſatis, quæ doces. At ſi hæc in gerendis rebus tenetur ratio, regem frequenter hallucinari neceſſe eſt, quippe qui ſe cuivis rei curandæ ſigillatim non tribuit. Quin tu hallucinaris ipſe, Mentor reponebat. Ipſa univerſalis intelligentia regnum adminiſtrandi vetat hallucinari. Qui tam arte carent gerendi negotia, quàm facultate internoſcendi ingenia, continuò incedunt, ùt qui in tenebris. Fortuitum eſt, eos errore non labi. Quid quærant, quid intendant animo, ne ipſi quidem intelligunt. Diffidere tota eorum eſt diſciplina. Honeſtiſſimum quemque, contradicere qui audet, habent ancipitis fidei, & magìs, quàm, qui blanditur, præſtigiatorem. Contra qui ad imperium probè ſunt inſtituti, nec rudes ingeniorum, ſciunt, quid ab his contendere, & quomodo debeant, quod contendunt, obtinere. Satìs intelligunt, ſummatim certè, num ad deſtinata idonei, quorum operam conduxêre? Utrùm rite, quod poſtulantur, introſpiciant, ut ne fallat ſucceſſus inſtituti conſilii. Adde, quòd ſeorſum non implicant ſe cuilibet graviori negotio. Ergo tanto minus obſtat, quin caput & ſummam rei, quæ agitur, uno quaſi emetiantur obtutu, videántque, utrùm ſucceſſus eius ad finem primarium conducant. Si quandoque contingat illos hallucinari: parùm inde deterius habet, quod ea in re eſt præcipuum. Porro invidioſas defendunt ſuo ab animo, argumentum anguſti & ignobilis ingenii. Manifeſtum ipſis eſt, ſine errore res grandiores geri non poſſe,

quoniam gerendæ per homines, quorum tam ſolennis induſtria errorem obiicere. Perniciosius eſt, ob errandi ſuſpicionem nihil ſtatuere, quam modicum errorem alienâ malitiâ admittere. Sat magna felicitas, tantùm in mediocribus falli. Neque enim hæc obſtant rei, quæ agendorum eſt caput; quod quidem unicè curandum eſt Principi. Equidem detectæ fraudi haud ſanè danda impunitas. At expectanda ſubinde fraus etiam verè illam conanti deſugere. Nihil officina ſubducit vel oculis artificis vel operæ. At ipſa amplitudo Imperii regem vetat videre & agere ſingula. Agere tantùm debet, quæ curam vicariam reſpuunt; & videre, quæ ad diiudicanda graviora pertinent.

Poſtremò Mentor affirmavit Telemacho: Deos illi favere, & deſtinâſſe Imperium, quod totum videatur ab ipſa Sapientia conſtitutum. Hìc loci quæcunque intueretur, magis ad eum erudiendum, quàm Idomeneum illuſtrandum in hunc adducta ordinem fuiſſe. Leges optimas, quibus admiraretur Salentum nunc regi, præmonſtrare duntaxat ſpeciem rerum, quas, ſi virtutem ſuam æquaret illuſtri fato, quondam eſſet ſuſcepturus in Ithaca. Et iam tempus eſt, inquit, cogitandi de noſtro hinc abitu. Excipiet profecturos paratum à rege navigium.

Nec morabatur Telemachus, quo eſſet ad iſta animo, oſtendere. Ceterùm minus liber erat ſenſum explicantis ſuum habitus, ob voluntatem ſcilicet proclivem ad aliquid, quo Salentum charum ipſi eſſe occeperat. Dabis, inquit, forſan crimini, quòd, cùm peregrinum me eſſe meminerim, hìc in amores æquô faciliùs defluam. At nunquam deeſſet, quod mihi obiiceret animus, ſi celatum te velim,

velim, me amare Antiopen, Idomenei filiam. Non eſt, amice, hæc cæca cupiditas, quali me in inſula Calypſûs exſolveras. Scio, quod amanti inflixit Eucharis, quàm fuerit non negligendum vulnus. Ipſum adhuc nomen illius non prodit hîs labrîs innoxium. Nondum eam delevit temporis diuturnitas, non abſentia. Moneor ergo hoc triſti uſu memet habere ſuſpectum. At enim alia ſunt, quæ ab Antiope ſentio. Non is ſtolidus amor, ſed voluntas, admiratio, & invicta perſuaſio quædam animi eſt. Felicem me, ſi vitam meam contingeret cum illa tranſigere. Si genitorem mihi reddent immortales Dii; ſi nolent ſolitarium Telemachum eſſe: ſponſam mihi legam Antiopen. Amandi cauſæ mihi ſunt taciturnitas, modeſtia, continentia, labor aſſiduus, induſtria, qua lanæ & acui admovet manus; diligentia inde ab elata genitrice curandi rem domeſticam, neglectus apparatuum muliebrium, æſtimatio pulchritudinis ſuæ luculenter nulla. Iuſſam à genitore ad tibiæ numeros præſultare Cretenſibus puellis, germanam credas lætæ Veneris, Gratiarum ſtipante comitatu. Ab eodem ducta venatum, auguſto habitu & iaculandi dexteritate Dianam aſſequitur, inter numeroſum Dryadum famulatum exultantem. Atqui ipſa ſola, quod ceteri admirantur, ignorat. Templum Deorum ſubiens cum libationibus, exceptis caniſtro hærente in capite, credi me hercle poſſit ipſa Numen eſſe, ad quod adorandum ſe agit. Et qua pietate operantem videmus Divinæ rei, propitiare Deos, quando aut expiandum crimen, aut amoliendum triſte omen? Confidentem in grege fœminarum cum aureo radio, pro Minerva ſalutaverim, quæ indu-

induta humanam ſpeciem, terrigenas liberalibus diſciplinis inſtituit. Illa ceteras hortationibus animat: moleſtiam mitigat, nauſeámque laboris abolet eximia vocis dulcedine, qua mira Deorum recenſet. Non exquiſitiùs, non delicatiùs penicillus deſcripſerit, quæ ipſa acu. Felix, cuius vita hanc conſortem amabili vinculo Dyphtera adiunget. Non habebit, quod metuat, niſi aut illam amittere, aut vivendo ſuperare.

Deos, amice, teſtor, me profectionem nihil abnuere. Eundem quidem amori Antiopes & vitæ meæ decrevi finem. Ceterùm itineri noſtro nec momenti ponet moram. Quodſi alium illi ſponſum Dii, ego in æterno luctu ero. Abibo tamen, & nunc quidem; etſi non ignarus, illâ me privari per abſentiam poſſe. Amorem hunc meum & ipſi, & parenti ipſius celabo. Huius te ſolum fas eſt mihi conſcium eſſe, donec recuperato ſolio Ulyſſis cónſenſus aliud nato permiſerit. Atque ex his, dilecte Mentor, facilè perſpicies, quantum interſit inter hanc meam voluntatem & illum impetum animi, quo me cæcutientis more in Eucharin dolebas abreptum.

Perſpicio, Mentor interiicit, quantum interſit inter utrumque. Antiope lenis, ſine dolo, & prudens eſt: non averſatur laborem: novit tacere & agere omnia ex continenti ordine, ac cum moderatione. Semper occupata, ſemper tamen libera eſt, quia reddit ſingula ſuis temporibus. Domeſticus ordo ac nitor eam adornat, & magìs, quàm oris, qua præſtat, elegantia. Curat familiam; quódque muneris eius eſt, pleriſque fœminis invidiæ, corrigit, obiurgat, dat repulſas petentibus,

mode-

moderatur ſumptus: amatur tamen à tota familia. Cuius quidem hæc ratio eſt, quòd nec immoderata affectio animi, nec contumacia, nec levitas, cognata fœmineo generi mala, dominentur in virgine. Iactu oculi docet, quid velit. Timetur eius offenſa. Mandata ſua diligenter definit, eâque agentium accommodat viribus. Appellat de perperam commiſſis ſine bile, appellatos benignis hortatibus confirmat. Collocat in ea cor Idomeneus, ùt ferè viator in molli gramine ſubter umbras reficiendos artus. Rectè amas, mi iuvenis. Theſaurus eſt Antiope, inveſtigandus, etiamſi remotiſſima regna occulerent. Non ingenio, non pulchritudini ſuæ indulget luxuriem; reſtringit vim animi, quantumlibet expeditam promptámque, modeſtiâ. Loquitur, quando, & quantum petit neceſſitas: dulcis ſuada ex ore loquentis fluit, & lepos non arte quæſitus, ſed in labiis ſponte enaſcens. Ad dicendum ſimul os aperit, ſimul conſequitur eorum, qui adſunt, ſilentium; ex eo autem ipſius verecundia, ut parùm abſit, ne, animadverſa diligentiore audientia, à cœpto ſermone deſiſtat. Vocem dicentis planè audire potuiſſe multi operis fuit.

Meminiſtin', Telemache, cùm à genitore intromittebatur? Adfuit humi defixis oculis, & velata plurimùm. Sermonem duntaxat orſa eſt, ut Idomenei indignationi intercederet, mancipium deſtinantis gravi ſupplicio. Laudabat primò, quæ decreverat pater. Deinde admovebat idonea mitigandæ iracundiæ. Poſtremò exhibens, quæ videbantur ad excuſandum reum eſſe, quanquam non oſtendebat, iram concepiſſe maiorem delicto, adduxit ad æquitatem & miſericordiam. Non The-

tys ſpumas placidiùs detrahit iratis fluctibus, cùm Nerei canos obit muliebri illecebra, quàm Antiope genitori æſtum concitati animi. Quanquam autem aliquando nec ius ullum poteſtatis ſibi vendicabit, nec iuris poteſtati par abutetur oris decus: mentem tamen ſui quondam coniugis reget æquè levi opera, atque nunc, cùm leniſſimos concinnat ſonos, lyram. Rectè amas, inquam, mi iuvenis. Hanc te Dii volunt. Prudenter amas. At expectandum, dum Ulyſſes iunget tibi. Rectè item amorem illi celabas tuum. Etſi autem per ambages, à te inveſtigatas, cogitatio tua perveniſſet ad eius animum, hac reiecta certè in admiratione tui refrixiſſet. Nunquam illa ſponſum ſuo, ſed patris arbitratu accipiet. Sed neque accipiet, niſi qui & Deos & quæcunque decent, obſervet. Attendiſtin, poſt reditus tuos, quàm antea, comparere minus; minus etiam indulgere oculis? Novit, quæ in bello geſſiſti proſpere. Novit genus tuum, eventus vitæ, beneficiáque à Diis tua. Atqui propterea tecum modeſtè & cautè agit. Eia Telemache! in Ithacam! Meum adhuc eſt, efficere, ut rurſus genitorem aſpicias, téque comparare ſatìs, ut hanc lectiſſimam obtineas; quæ etiamſi non inter regii genitoris adoleviſſet brachia, ſed in rigidis Algidi paſcuis, felicem tamen beatúmque te ſponſum efficeret.

TELEMACHUS,

LIBER XXIII.

IDomeneus haud otioſè ſuſpicabatur, profectionem hoſpitibus ſuis in animo eſſe. Quare omni eam conſilio protrahere conſtituit. Iam contro-ver-

troverſiam enarrabat Mentori, quam ſine eo non poſſet dirimere, inter Deophanem Iovis Conſervatoris & Heliodorum Apollinis ſacerdotem ortam ſuper ominibus, quæ ex avium volatu & extis hoſtiarum collegerant. At Mentor: Quid, inquit, te ſacris inſinuas? Quin iudicium transfers eorum in Hetruſcos, quos & vetuſtiſſimorum oraculorum traditio & afflatus animi interior interpretandis Divinis accommodat? Puto ego, auctoritatem tuam ponendam in eo, ut ipſa initia huiusmodi obruas diſſidiorum. Quod dum agis, oſtende, te nec ſtudio partium, nec prævia opinione duci. Satis ſit tibi curare, ut re iudicata ſtetur. Memento regem obnoxium eſſe religioni, atque alienum ab eo, ſacris unquam moderari. A Diis religio eſt & altior Sceptris. Cuius ſi rectores, non cuſtodes reges ſunt, ſit è religione mancipatus. Quippe reges hac ſua potentia & hac imbecillitate ceterorum mortalium ſi ad cauſas religionis admittantur iudicandas: periculum eſt, ne omnia cogantur regum obſecundare ſentiendi libidini. Id genus controverſias ergo amicis Deorum cede; auctoritatem verò, quanta polles, contrahe ad reprimendos eos, qui iugulatum ibunt pronunciatam ſententiam.

Poſtea Idomeneus multis cauſis privatorum aiebat ſe urgeri, turbarique. Iterum Mentor: Tu quidem nullam quæſtionem, inquit, recuſabis, quæ ſeu ad confirmandam iurisprudentiæ diſciplinam ſeu explicandas leges videbitur pertinere. Ceterùm noli te cauſis privatorum dare. Cingent te litigatorum cumuli. Iudex cauſarum totius Imperii tui depoſcéris unus: ceteri à te dati iudices fruſtra

occu-

occupabunt tribunalia. Hæ res minores te obruent: avocabunt à gravioribus; neque tamen ſingulis quibusque componendis ſufficies. Cave te his turbis & remoris iniicias. Privata ordinariis magiſtratibus remitte diſceptanda: nec age, niſi cuius agendi onus ſuſcipere alieni humeri non valent.

Rogatus præterea fui, Idomeneus addit, ut conciliator ſim quorundam coniugiorum. Sunt nimirum, iíque haud parùm ſupra vulgus, qui arma mea ſecuti, re domeſtica magnam partem exciderunt. Hi ergo damnorum ſuorum ſubſidio ſponſas ampla dote appetunt. Quas ut habeant, verbulo duntaxat regis opus.

Idque ego, Mentor occurrit, haud dubito. At verbuli iſtius, vide, quàm iniquum impendium. Tune copiam parentibus negare, & ſolatium ſibi legendi generos, adeóque & hæredes? Servitutis hoc genus erit graviſſimum, ferendúmque omnibus, quorum natales vel maximè ſunt ingenui. Reus eris malorum, quæcunque cives tuos intra domeſticos parietes prement. Sunt mehercle aliàs ſatis ſpinoſa coniugia, neque opus ea hac re triſti exaſperare. Fidem operis compenſare ſi tuis voles, incultum ſolum tribue: honores decerne, pares illorum conditioni & navatæ induſtriæ. Adde, ſi opus eſt, cenſus, quos ex ſumptibus tuis fecerit ærarium reliquos. Debita cave retribuas filiabûs nummatorum civium, locatîs nuptum cum amicorum invidia.

Ab hac quæſtione mox divertit ad aliam. Conqueruntur Sybaritæ, inquit, nos quasdam è regionibus ſuis occupâſſe vi, eásque, nullo adhuc inſtructas cultu, aliunde evocatis colonis tradidiſſe ſubigendas.

gendas. Cedámne his querelis? ſin ita, credemur paſſim nudis aliorum poſtulatis acquieſcere.

Nec Sybaritis, Mentor inquit, nec tibi fas eſt in cauſa propria credi. Cui ergo? ſcitatur Idomeneus. Neutri: reponit ille. Sed capiendus eſt vobis ex vicino populo arbiter, qui in neutram partem videatur propenſior. Cuiusmodi ſunt Sipontini; quippe quorum ſalus veſtræ inimica non eſt. Ego vero, rex oggerit, arbitro cur habeam fidem? Nunquid rex ſum? Regiáne auctoritas patiatur Imperii ſui limites alieno iudicio definiri? Continuò Mentor cœptum ſermonem hunc in modum provexit:

Quoniam fixum eſt tibi, nec transverſum digitum cedere: certum habere debes, ius tuum eſſe legitimum. Sed neque Sybaritæ quid cedunt; aſſerúntque certò deberi, quæ peterent. Ergo diverſa opinantibus vobis neceſſe eſt aut arbitrum utrinque delectum aut armorum diſcrimen intervenire. Neque enim relinquitur tertium. Iam ſi Rem quandam ingredereris Publicam, ubi nullîs magiſtratibûs, nullis iudicibûs familia quæque arbitretur licere ſibi, quodcunque ius ſuum contra affines vi proſequi; defleres profectò mala gentis tam miſeræ; tantámque inter ſe dimicandi licentiam vagantem per omnes familias, cum horrore aſpiceres. Et Immortales Deos credis orbem, vaſtiſſimam illam Rempublicam, lætiùs intueri, ſi quælibet natio, quæ nihil amplius eſt, quàm ingens quædam illius Reipublicæ familia, ſibi fas putet armis extorquere poſtulata à finitimis? Si quis agrum ſubditus à maioribus accepit, in eius poſſeſſione conſiſtet haud aliter, niſi legibus & iudiciô

magi-

magiſtratuum. Lueret profectò cum ſeditionum auctoribus, ſi, quod ipſi ius aſſerit, vellet auctoritate ſua defendere. Et tu reges putas iuris vindicandi cauſa ad arma proſilire ſine piaculo, prætermiſſis quibusque lenioribus mediis? Cùm de integris provinciis agitur, nunquid ſanctiùs à regibus habenda iuſtitia, quàm cùm de modicis portionibus culti ſoli diſceptant privatorum familiæ? Tyrannus & prædo eſt, qui pauca iugera involat; & qui regiones integras, iuſtus quin & heros audiet? Si in cauſis levioribus privatorum tibi imponis, indulges, cæcutis: in re ſumma & publica non ſuſpiceris facilius, ne indulgentior ſis, minúsque ab errore alienus? Quis ipſe in cauſa ſibi credat tam inſidioſa fidei? in cauſa, quæ per ſe timorem facit committendi erroris, ex quo perverſam hominis unius ſententiam tanta mala conſequuntur? quippe error regis, dum in aſſertione iurium blanditur proniori animo, ſæpe populationes, famem, cædes generat, peſtem etiam corporum & morum, manaturam in ultima tempora. Rex ergo, cuius nec momentum, nec latus ullum ab adulatoribus vacuum eſt, tum quidem non timeat aſſentantium inſidias? Quodſi autem ad finiendam litem conſentit in arbitrum: palam facit, qua ſit æquitate, fide, temperantia. Docet digniora argumenta, quibus cauſa ſua innititur. Delectus in arbitrum; pacificator eſt, non iudex cum poteſtate. Acquieſcitur eius ſententiæ non temere, non ſine conſilio; etſi plurimum illi tribuitur. Absque ſumma auctoritate pronunciat iudicium, imò conſilium; eóque auctore, pacis cauſâ non nihil controverſi iuris dimittitur. Poſt omnem regis pro pace indu-

induſtriam ſi tamen excitabitur bellum: habebit tum ſaltem cauſa eius teſtimonium rectæ conſcientiæ, auctoritatem apud finitimos, tutelam denique Deorum immortalium. Victus hac oratione Idomeneus patiebatur Sipontinos inter ipſum & Sybaritas conciliatores eſſe.

Ceterùm rex ùt vidit, nihil porro ſupereſſe, quo ambos hoſpites poſſet à proficiſcendi conſilio avertere: cœpit ad remorandos eos de firmiore vinculo cogitare. Telemachi animum in Antiopen propendere deprehenderat. Inde ergo ſpe concepta, iuvenem vinculo amoris poſſe irretiri, plerumque iubebat illam canere inter epulas dierum ſolennium. Obſequebatur virgo,non auſa genitori refractaria eſſe, at ea modeſtiâ, vultúque adeò non facili, ut nemo ignoraret intuentium,obedire invitam. Sed demum eò Idomeneum amor hoſpitis provexit, ut reportatam de Dauniis & Adraſto victoriam imperaret canenti. Cùm illa decentiſſimè, quod petebatur, deprecata eſt, animo pertinaciter recuſante, res Telemachi geſtas delinire modulis. Nec pater ſuſtinuit moleſtiam afferre nolenti. Ceterùm vox eius lenis & delicata ſe penetrabat in iuvenis animum, liqueſcentem largiſſimo ſenſu. Quo animadverſo Idomeneus haud obiter lætabatur; tum utique, cùm Telemachus (etſi ſponte) videbatur regis conſilium neſcire. Eiusmodi rebus autem quanquam mentem continere non poterat iuvenis, violentior tamen ratio erat amoris affectu. Alius tum ſcilicet iam fuerat, quàm cùm intemperantiori cupiditati obſequebatur in Calypſus inſula. Inter cantum omnino imperabat

perabat linguæ, eóque finito ſermonem diligenter ad alia feſtinabat deflectere.

Hac ergo ratione cùm operam deſtinatis fruſtra navaſſet rex: tandem ad oblectandam filiam conſtituit ſolennem venatum dare. Illa, ùt erat ab ea re alieno tunc animo, lacrymas adhibere cœpit. Sed iam recuſare non licuit, quæ omnino volebat pater. Equo igitur virgo imponitur, qui & ſpumante ore, & totis artubus notas præferens innatæ ferociæ, videbatur prodiiſſe è Caſtoris Hippodromo. Moderabatur illi leviſſima manu. Turba virginum ſequebatur, ex ardore dominæ ferventium; inter quas ipſa, velut Diana in ſylvis conſpicua, parentis & Telemachi oculos abripiebat in ſe. Ille nec ſatiari viſu, nec tum recordari malorum potuit, quæ fuiſſet perpeſſus; hunc dexteritas, & ingens venuſtatum illius apparatus, atque his longè validiùs modeſtia virginis perculerat.

Perſequebantur canes aprum ingentis magnitudinis, parem Calydonio immanitate furendi. Exerebat ſetas non mitiores ferro, neque iaculis minùs innoxias. Oculi ſanguinei, crebróque & præcipiti fulgore internitente terribiles. Vis proturbati halitus indicium ſui longè præmittebat currenti velut ambiguum è procellis murmur, cùm iubente Æolo ſe ad antra ſua recipiunt. Procumbebant arborum ſtirpes decuſſæ, quibus dentes ſuos, formam & aciem falcium largiter imitantes, illiſerat. Canum imminentium temeritas ruptis iliis plexa. Antiope feram, quam nemo audebat premere inſectantium, etiam quorum inter venatoriam pubem celebrior erat animus, non dubitavit è propinquo adoriri perniciſſimi curſus fiduciâ. Vibrato telo ſaucia-

ſanciavit, humero vulnere imminente. Inde manans cruor iram feræ accendit. Protinúsque in auctorem converſa vulneris, equum pavore præter morem concuſſum, & excedentem veſtigio, occupat arietis, qui aheneas compages laxat, impetu, impotémque corporis deturbat humi. Labitur effuſa Antiope: videt non locum, non vires ſupereſſe evadendi dentes, nunc incutiendos à rabioſa beſtia. Cùm Telemachus, qui periclitanti virgini magnopere metuens equum ſuum iam reliquerat, ſe inter deiectum animal, & vindictæ rurſus inſtauratam feram incredibili celeritate interiicit, & venabulo, quod longius torquebat manu, ſecundùm latus, quantum ferè amentum permittebat, imiſſo, eam inter ultimos furores corruentem evertit. Simul monſtro caput deſecuit, adhuc intuentibus terribile, & idoneum inferendo ſtupori univerſis, qui venationem curabant. Ad Antiopen detulit. At illa ſubeunte verecundia, converſis oculis paternum obtutum conſuluit. Rex ùt erat periclitante filia plenus acutiſſimi terroris, nunc, ea ſalva, geſtientis lætitiæ; nutu monuit, quod offerretur acciperet. Eo itaque admiſſo in manus: Ego verò, inquit, à te maius donum vitam capio, & volens debeo.

Vix iſtud ſermonis, vel potius verbi protulerat: iam rurſus verita æquo prolixior fuiſſe, oculos è modeſtiæ ritu compoſuit. Itaque Telemachus videns delibatam ancipiti cogitatione, cautus offenſæ, reſponſum his paucis definiit: Fortunæ gratias agit Ulyſſis filius, quòd annuit cuſtodem eſſe vitæ tanti pretii. Annuat utinam eius etiam ſocium eſſe! Gratias maiores aget. Antiope, nullo

reſponſo, ſtrenuè regreſſa ad comites, equo ſe reddidit.

Idomeneus Telemachum in ipſo veſtigio recentis beneficii pronunciâſſet generum: niſi perſuaſum ipſi fuiſſet, amorem iuvenis incerta ſpe nuptiarum augeri poſſe, ipſúmque deſiderio eas efficiendi induci, ut moram ampliorem Salenti faceret. Et hoc quidem regi erat in animo. At ludus Deorum eſt humana ſapientia. Quæ rex meditabatur in moram, ipſa iuvenem incitârunt ad maturandum iter. Molliores ſenſus, qui paullatim in mentem eius ſerpebant, eandem monuerunt reſtringere ſui ipſius fiduciam. Sed & Mentor ampliùs inſtitit intolerabile patriæ deſiderium admovere iuveni. Ac propterea urgebat Idomeneum, ne proficiſcendi voluntati porro reluctaretur.

Navis inſtructa erat. Mentor enim, qui tempora ſingula Telemachi accommodabat ad ſupremum apicem gloriæ, nunquam patiebatur eum diutiùs morari uno loco, quàm ad exercendam tyronis ſui virtutem videbatur neceſſarium. Quocirca inde à Telemachi reditu omnia ſubſidia curaverat profectionis. At horum aſpectu Idomeneus graviſſimè affectus, cùm nihil deinceps dubitaret, hoſpites, tantum huc usque rerum ſuarum auxilium, diſceſſuros: non iam in triſtitiam incidit, ſed veriſſimum luctum & dolorem, eliciendæ alienæ pietati ſanè idoneum. Immittebat ſe ultimis palatii latebris. Hìc gemitus, hìc lacrymæ vocatæ ad laxandum afflictum animum: neglecta cura alendi corporis: fruſtra ſomnus poſtulatus leniendis doloribus. Defluebat vultu exedente ægritudine, ùt plerumque arbor inſignis ſpeciei

&

& largiore umbra, cuius medullas vermiculus in venulis, provehendo ſucco aſcendentibus, laceſſere incipit. Quæ & ventorum multabat temeritatem obnixo vertice, & alumna felix, beatæ telluris fruebatur ſinu, quâmque non audebant profanare dolabrâ agreſtes manus; denique occulto malo pati debet ſuum profligari decus. Obſoleſcit. Frondes exuit cum apparatu totius pulchritudinis. Solus truncus relinquitur fatiſcente cortice, effœtis foliis, & propediem ituris in caſum. Hæc facies lugentis Idomenei.

Ea res Telemachum vehementer commovit. Non ſermonem ſociare cum rege, non liberè cogitare de diſceſſu audebat. Conabatur invenire, quod eidem afferret moram. Et diu fortaſſis non ſe liberaſſet ambiguo animo, niſi interpellatus à Mentore fuiſſet, dicente, mutationem eius ſibi non eſſe ingratam. Ingenium ipſi naturam inſeruiſſe difficile & elatum, ſuis duntaxat temporibus & commodis cedens. At verò hominem, inquit, tandem induiſti, & magiſtra ſorte tua incipis miſericordiam ſentire calamitatis. Qua ſine quidem nunquam vel humanus vel bonus extiteris, vel aptus imperio. At habet ſuos quoque miſericordia limites; nec fas eſt amicitiam in muliebrem mollitudinem degenerare. Equidem liberet mihi cum Idomeneo loqui, agerêque, ut profectionem nobis annueret. Ita moleſtiam illam prohiberem, quam adeò ingrata ea ſuper re oratio tibi iniiciet. Sed & noxiam verecundiam, & ignaviæ anguſtias ab animis tuis prohibuerim. Fortitudinis conſtantiam diſcas oportet amicitiæ teneritudini ſociare. Cavendum eſt, ſi potes, amico ne crees moleſti-

 am;

am; ſi non potes, illa ſubeunda ſimul, ut, quoad licet, mitiges, quod ab eo arcere non planè potes, vulnus. Atqui hoc ipſum, Telemachus excipit, ut fomentum ſuo rex capiat vulneri, pergratum mihi ſit, eum per te de itinere noſtro edoceri.

Haud ita, mi Telemache, Mentor ait. Ex illis ſcilicet unus es, qui & nati & educati in purpura, volunt omnia, ipſámque adeò naturam voluntati ſuæ obnoxiam, quin tamen ipſi palàm cuiquam auſint adverſari; neque id propterea, quòd vel aliquo numero mortales ponant, vel bonitate ab eorum retrahantur offenſa: ſed quòd iniucundum ipſis ſit triſtes & offenſos vultus intueri in ſuo comitatu. Ærumnas & calamitates hominum flocci habent, modò non videant. Coràm meminiſſe earum, illos offendiſſe eſt. Probant amántque unos, qui ubique nunciant, bene & beatè habere omnia. Inter delectationes nihil libet in oculos, nihil in aures admittere, quod easdem inhibeat. Si quis caſtigandus, ſi corrigendus, ſi docendus ſaniora, ſi depellendus ab intemperantia, ab cupiditate importuna: id quidem aliena potius operâ, quàm linguâ ſua moderatè conſtantérque ſtudebunt perficere. Fœdiſſimam labem iuſtitiæ, ſummis negotiis vitium potiùs inferent, quàm contravenire velint iudicio hominis, quocum neceſſe habent agere in dies. Hæc egeſtas animi eorum ubi ſemel comperta eſt, cogitur omnium ingeniis famulari. Interpellantur, ſtringuntur, obruuntur precibus, atque ita fatigata demum eorum gratia, quidquid poſtulatur, admittit. Præmittuntur blanditiæ & laudes, quas, niſi à Deo, prope nefas eſt accipi, ad aperiendum illorum ſibi animum. Quem ſi cui

unà

unà cum poteſtate officii dederunt, multo circuitu latentis & obſcuræ ſolertiæ ducuntur ſub iugum. Tum verò ſuſpirant. onus excutere iterum iterúmque ſtatuunt; quanquam illud non niſi cum anima poſituri. Non otioſè cavent videri, nutu alieno regi; & reguntur tamen. Imò ſic eos regi neceſſe eſt, quippe conſimiles vitibus, delapſuris in humum, niſi identidem ſerpentes in amplexum ab immiſſis ſtipitibus debilitati ſuæ emendicent ſubſidium.

Itaque non permittam, Telemache, pectus tuum his anguſtiis, nato ad ſceptrum verè peſtiferis, circumſcribi. Tu, qui tam delicato ſenſu doloris nunc Idomeneum affari non audes, luctum eius deſines miſerari, ubi vix tergum Salento obverteris. Non mœror, quo ille conficitur, ſed præſentia eius te movet, mi iuvenis. I, regem alloquere! Diſce hoc loco, quomodo teneræ menti adiungere conſtantiam debeas. Audacter doce, profectionem ab eo tibi quidem permoleſtam accidere; ceterùm neceſſariam eſſe.

Verebatur iuvenis tam obſiſtere Mentori, quàm convenire Idomeneum. Ducebat ſibi pudori, quem præferebat vilem metum; ſed nec audebat illum excutere. Hæſitabat: progrediebatur in unum & alterum veſtigium; mox inde referebat ſe, ſignificatum Mentori nova argumenta differendi, quæ ſuaſiſſet. At unicus magiſtri obtutus diſcuſſit verba, totúmque excuſandi ingenium. Hic ergo (lepidè inſultantis voce Mentor) ille Dauniæ genti Hercules, ille magnæ Heſperiæ cuſtos Deus, ille illuſtris partus Ithacenſis Oraculi, qui, iſto per fata tacituro, ſortes Græciæ populis edet?

 Iſte

Iſte non audet regi nunc dicere, ſpem videndi genitoris non pati, deinceps iter ad ſuos differri. Infortunatam Ithacam, ſi quondam dominabitur tibi mancipium intempeſtivæ verecundiæ, ſummos, neglecturum fructus ob timiditatem ad gerenda minima. Ecce quantum inter fortitudinem illam belli & hanc domi diſcriminis! Riſiſti pugnantem Adraſtum; lugentem Idomeneum times? Dedecus hoc eſt Principum, quorum magnitudo præclarè geſtis enituit; qui poſteaquam in bellis ſe præſtiterunt heroës, demum hebeſcunt cum poſtrema plebe ad negotia quotidiano vulgata uſu, quibus alii intrepidam admovere manum conſueverunt.

Iuvenis tam ſibi perſpícua veritate à Mentore prolata, quàm acriori obiurgatione eius motus, protinus, reluctante licèt animo, inde ſe abſtulit. Víxque intraverat locum, ubi ſe Idomeneus continebat demiſſis oculis, dolore fractus, & exhauſtus triſtitia: cùm inter ſe mutuò cœperunt formidare. Neuter attollere oculos, neuter loqui auſus; etſi loquebatur ipſum ſilentium: quod ne ſolveretur ab altero, uterque metuebat. Poſtremò rex magnitudinem mœroris non ferens: Eccur, exclamat, virtutem colimus, cultoribus propè ingratam ſuis? Edoctus illa vitia, quæ me profanârunt hactenus, ecce in ipſo melioris rudimenti limine infelix tyro deſtituor. In antiquam ergo ſylvam revertar meorum malorum. Deſinant ſe obtrudere præcepta regalis diſciplinæ, quam etſi animo, opere attingam nunquam. Piget morari inter homines. Et quò tu, Telemache? Vixit genitor. Fruſtra quæris. Ceſſit Ithaca inimicis ſpolium.

lium. Mortem illi tibi inferent, ſi tu illuc pedem. Ex illis item eſt (quid dubitas?) tori vinculo matrem qui mancipavit fidem. Mane. Gener meus & hæres eris. Me elato ſceptrum, me ſuperſtite ſummam poteſtatis geres. Habitabis in hoc animo, omnium arcanorum particeps. Quodſi nihil iſtorum te movet; at Mentorem, in quo omnia mea collocavi, ſaltem mihi relinque. Loquere, fare! Noli obfirmare animum. Miſerere mortalium infeliciſſimi! Quin reſpondes? Eheu! ſentio, quàm in me crudeles Dii; & ſentio magìs, quàm cùm nati cruorem hac manu Cretenſe ſolum bibit.

Denique Telemachus quanquam voce nec firma, nec intrepida: Meus, inquit, non ſum. In patriam me vocant fata. Ex iſtis me Deorum interpres Mentor hinc iubet proficiſci. Et quid magìs faciendum mihi? Abdicabo genitores meos, & genitoribus potiorem patriam? Natus ſceptro cùm ſim, memini me non natum dulci otio, non voluntati meæ. Equidem prævalet paterno regno tuum. Sed &, quod deſtinârunt Dii, prævalere debet illi, quod tu benignè deſtinabas mihi. Antiopen habere ſponſam vel nulla dote, argumentum eſſet, me non charum modo, ſed & in amoribus haberi fortunæ. Quos ne planè tribuat indigno, abeundum mihi, quò officii iubet neceſſitas. De cætero ſponſam filiam nato poſcet genitor. Tu verò nunquid reducturum nos in Ithacam receperas? Nunquíd propterea in Adraſtum ibam cum Sociis? Nunc demum ire in mala & hoſtes Domus noſtræ tempus monet. Dii, qui me dedêre Mentori, etiam Mentorem dedêre Ulyſſis filio, ut

adiutore eo tangat, quam ipſi fata poſuerunt, metam. Amiſſis omnibus amittere etiam Mentorem me iubes? Nec fortunas, nec certam domum, nec patrem, nec matrem, nec ſtabilem patriam habeo. Vir unus mihi ſupereſt probus & ſapiens. Is mihi à Iove donum maximum, ſummum. Tu ipſe nunc æſtima, illo carere & volens carere num queam? minimè. Præſtat mori. Vitam eripe; nihil hæc eſt. At Mentorem cave eripias.

Ut in ſermone progrediebatur Telemachus, ita vocem & animum ſenſit amplius confirmari. Contra Idomeneus nec refellere poterat argumenta iuvenis, nec aſſentiri. Fruſtra ergò quæſitô, quod opponeret: ſaltem dolente obtutu & geſtu ſenſum pietatis conabatur excire. Et tunc Mentorem ſupervenientem vidit; à quo in hæc verba ſeriò compellabatur:

Mœrorem pone. Proficiſcimur; at quæ Deorum præeſt voluntatibus, ſapientia curam geret tui. Iam id unum certum habe, eſſe nimis fortunatum te, quòd appulſi huc à Iove ſumus, ut interitu Imperium, erroribus animum tuum liberaret. Philocles, quem tibi reddidimus, cum fide adiuvabit te. Nunquam ille deponet in Deos reverentiam, in virtutem & populos ſtudium, humanitatem in miſeros. Hunc audi, hunc rebus cum fiducia, & ſine ægritudine æmulationis admove. Rerum autem, ab eo quas fieri voles, caput eſt, ut ei ius tribuas errores tuos, ùt verè & omnino ſunt, admonendi. Eſt ille animo verè & ſummè regio, qui amicos ſibi putet conquirendos, ſine fuco, & ex aſſe integros, qui, ne ignoret, quæ peccat, efficiant. Nihil ex abſentia noſtra deterior, ſed beatus eris,

eris, ſi modò hoc animo ſis. At ſi adulationibus, quæ illabuntur ſerpentium ritu, mentem interclusam rurſum aperies, & ſinceris occludes conſiliis lubrico metu, periiſti. Noli te facilè præbere doloribus; ſed ad ſequendam virtutem conſurge. Quæ ſeu ad labores tuos ſublevandos, ſeu ad fiduciæ in ſe tuæ abuſum pertinent advertendum, Philoclem edocui. Præſtabo tibi hunc hominem, quem, ùt me Telemacho, cœleſtes tribuerunt tibi. Fatum ſuum quemque neceſſe eſt audacter ſequi. Trepidare nil iuvat patri patriæque reddito Telemacho, huc denuo reciperem me, ſi hac tibi dextera foret opus. Quid enim egerim mihi iucundius? Non ſequor divitias: auctoritatem non quæro. Illis unis opitulatum eo, qui ſequuntur iuſtitiam, virtutem quærunt. De cetero coniunctionis & amicitiæ, qua me dignabare, memoriam dies nulla revellet.

Hæc verba ſubitò mutavere Idomeneum. Sentiebat turbas animi perinde atque modeſtiores ad Tridentis iuſſum undas concitati maris, reſediſſe. Tacitus & lenis dolor perſeverabat; quanquam ſenſus potiùs erat delicatè affecti animi, quàm ad acerbitatem pertingens dolor. Robur mentis, ſpes, virtus, & fiducia è cœlis auxilii revocata gliſcebat ſinu.

Deſeres ergo me, rex inquit, Mentor, & ego me ipſum non deſeram? Idomenei ſaltem cave obliviſcaris unquam. In Ithaca, cùm eò regreſſus frueris integerrimo fructu ſapientiæ tuæ, memento Salentum opus tuum eſſe, ibíque relictum tibi, infelicem & ab uno te pendentem regem. Vade, non diſpar ex Ulyſſe genus! vade: non te moror

amplius. Non refragabor, qui ad tempus mihi hunc theſaurum, Diis. Et tu, Mentor, oraculum & humani apex generis; ſi tamen in humanas vires cadit, quæ te præſtare vidimus; & niſi ad erudiendum firmandumque ignarum ac debile mortalium genus humano habitu celatum numen es. I, comitare Ulyſſis filium, beatiorem, quòd alumnus tuus, quàm quòd Adraſti victor eſt. Ite ambo. Non audeo plura. Ignoſcite gementi. Ite, vivite, florete unà! Nihil in orbe iam ſupereſt mihi præter memoriam veſtræ hìc quondam præſentiæ. O tempora dulcia, fortunata! O longè, quàm agnoverim, pretioſiora! O nimis elapſa citò mihi & elapſa in perpetuum! Fruſtra dehinc & ſemper requirent oculi, quod intuentur modò.

Et tunc Mentor profectionem arripuit. Complectebatur Philoclem, affuſis lacrymîs non voce valedicentem incumbenti. Mentoris manum prehenſabat Telemachus, ut ſe amplexui regis eximeret. At hic tum medius inter abituros ſimul proceſſit ad portum. Illi regem intueri: gemere: aggredi verba non continua, & ſingultu interveniente multata ſenſu.

Inter hæc diverſæ voces miſcebant littus, quod nautæ compleverant. Panduntur vela, tentata illico ſubeunte aura. Abituri, haud ſanè firmi ad lacrymas, ſupremò conſalutant regem, poſt tenaciores (ùt in abitu) amplexus utrumque oculîs, quàm longè ſinebatur, conſecutum.

TELE-

TELEMACHUS.

LIBER XXIV.

IAmque vela idoneos promovendo navigio flatus acceperant; ſublatíſque anchoris videbatur auferri ex oculis tellus. Leucaten gubernator procul vidit, cuius iugo terra ſpiſſos halitus afflât & coëuntes gelu: dehinc Ceraunia vel adhuc ſuperbo in cœlos ſupercilio, quanquam toties multato fulminibus.

In itinere Telemachus ſermonem orſus cum Mentore: Videor nunc demum mihi ſatis intelligere, quæ tu præcepta regiæ diſciplinæ. Initio quidem ſe præbebant menti velut incerta per quietem ſpecies. At paullatim eidem apertiora & ſine ambiguitate apparent; veluti primam ſub auroram quæcunque ſuccedunt in oculos, caligine aſperſa; at luce ſenſim copioſiore formas rerum, quóſque colores à natura habent, reparante è rudi quodam chao ſeu informi congerie videntur prodire. Certum mihi iam eſt, caput illorum præceptorum eſſe, rectè internoſcere animos hominum, tum ut eos poſſis ſine errore deligere, tum pro facultate ingenii ſui rebus gerendis adhibere. Ceterùm reſtat ſcire, qua ratione animos hominum internoſcere queam.

Id obtinere volenti; Mentor reſpondit: Non obiter meditandi ſunt, diſcendíque homines. Sæpe inſpiciendi, frequentandi ſæpe. Admittent itaque reges ſubditos in conſuetudinem, in ſermonem, in conſilium: periclitabuntur eos per negotia leviora commiſſa: rationem iſtorum repoſcent, ut, num

apti

apti ad maiora, intelligant. Ecqua tu ratione, Telemache, didiciſti iudicium ferre de ſtatuis & imaginibns? hac ſcilicet? Diligenter ſculptorum inſpiciebas opera: quæ mendoſa, quæ recta, collato cum peritis ſermone, adnotabas. Ergo & de vitiis & de virtutibus hominum frequenter ſermonem confer cum viris ſapientibus & probis, quíque in pernoſcendis animis multum ætatis poſuêre. Ita ſenſim ingenia noſcere incipies, & quid de illis tibi promittere debeas. Quis porro te inter bonos & malos poëtas docuit ſcitè diſtinguere? Diligens lectio, & ſuſcepta cum idoneis poëtices arbitris conſilia. Et muſices unde tibi non rudis notitia? Nimirum ex diligenti ad magiſtros artis eius attentione. Quæ igitur ſpes bene imperandi hominibus, quos non bene noveris? Quomodo autem bene noveris, ſi nulla tibi cum illis conſuetudo? Neque enim illa conſuetudo cum hominibus cenſenda eſt, cùm vides eos in concionibus, ubi de rebus nullius partis ſermones accuratè cogitati communicantur. Sed ut conſuetudo ſit, opus eſt ſingulos ſeorſum inſpicere, perveſtigare ab intimis, delibare qualibet, expiſcari opiniones & voluntates, quibus imbuti. Porro ut verè de hominibus iudices, noſſe præprimis oportet, quænam hominis officia, quænam virtutes meritáque vera & ſincera: ut, qui iſtis verè ſunt inſtructi, rectè diſtinguas ab iis, quos ſpurium duntaxat meriti effert decus. Non alius frequentior ſermo quàm de meritis & virtutibus. At quàm rara meriti & virtutis vera cognitio! Plerumque, qui de illis ſermunculos in horas iactitant, illuſtres logos ferunt & verba præter argumentum palantia. Præ-

cepta

cepta cêrta cognitâque habeas neceſſe eſt Iuſtitiæ, prudentiæ, virtutis, ſi viros prudentes iuſtos ac probos noſſe in animo eſt. Item inſtituta regnandi optima perſpecta habere oportet iudicia laturum de intelligentibus regiæ diſciplinæ, illíſque, quos ab iſta removet errori affinis ſubtilitas. Quid multis? menſuro diverſa corpora menſura certa & proba opus eſt: ergo etiam idoneè iudicaturo præceptis ſolidis & rectis, ad quæ exigenda iudicia. Scire oportet & probè quidem, quem finem homines vivendo, quem tu imperando ſpectes. Totus autem finis omnino hic eſt, ut tibi non tui cauſa petatur ſuprema auctoritas (hæc enim ambitioſa voluntas deſciſcet in tyrannidem) ſed eò prorſus flectenda ſuprema poteſtas, vel potius ſupremæ poteſtatis moleſtia, ut per te virtuti & felicitati initietur ſubditus. Secus in incertum temere & ſine conſilio totâ vitâ procedes, haud ſanè diſpar in altum ſine gubernatore provecto navigio, quod nec ſtudioſum petendi ab Aſtris conſilii, nec peritum vicinarum crepidinum temere ſe offert pereundi diſcrimini.

Principes quoniam ſæpe naturam virtutis ignorant, ſæpe nec, quid requirant ab hominibus, ſciunt. Virtutem putant aliquid nutrire iniucundi: auſteram eſſe, & nimis ſufficientem ſibi. Unde illam horrent: abominantur. Contra obvertunt ſe adulationi. At tum longè vertit tergum cum veritate probitas. Proiiciunt utramque manum ad ſplendidum phantaſma inanis gloriæ, eóque ipſo ſe albo expungunt candidatorum veræ laudis. Facile aſſueſcunt ſibi perſuadere, virtutem veram extorrem eſſe non tantum regiâ, verùm etiam orbe.

Etſi

Etſi enim probi verè cognoſcunt improbos; at hi probos nec cognoſcunt, nec credunt dari. Iſtorum Principum ergo hæc demum eſt una & ſumma intelligentia diffidere planè & promiſcuè omnibus. Latebras & ſolitudinem quærunt: omnia, etiam quæ flocci, ſuſpicionibus perſtringunt: homines metuunt, & metuuntur ipſi: averſantur lucem, & quales re ipſa ſunt, apparere non audent. Volunt ignorari & ſciuntur tamen, quia malignæ curioſitati ſubditorum nihil impervium, nihil perpetuò inacceſſum. Sordidi illi homuli, à quibus occupantur, immortaliter gaudent, ſibi ſolis aditum patere ad dominos. Arcet à ſe verum rex, qui arcet homines. Involvitur veritas criminationum caligini, & quidquid lumen cognitionis ei poſſet afferre, repellitur. Huiuscemodi Principes obbruteſcunt agreſti & inhumana ſua auctoritate, difficiles moroſique perpetuo metu, ne fallantur; quanquam illos ſic & neceſſe & æquum eſt falli. Quippe ubi primùm ad paucos conſuetudinem ſuam contrahunt: admittere omnes illorum voluntates debent, &, quæ animis ſuis homines iſti imbibêre, iudicia. Habent vel ipſi boni errores ſuos & opiniones rei cuiusvis iudicio & cognitioni præcurſuras. Coguntur præterea etiam delatoribus in ſe permittere arbitrium; quo quidem genere hominum nihil vilius, malignius nihil. Veneno quippe ſe alit: Venenô graſſatur in innoxia: exaggeratione cumulat minima: mala potius invenit, quam inferre deſiſtit: in rem ſuam ludit cum diffidentia & indigna humiliſque curioſitate Principum, in quorum ieiunos egenóſque animos ſola dominatur ſuſpicio.

Ho-

Homines ergo, Telemache, perdiſcas oportet. Diſcutiendi ſunt, ſcrutandíque. Fac alterum de altero loqui: periclitare eos paullatim. Permitte te nulli; & ſi es lapſus iudicio, uſu ſapere diſce. Tectior eſt improbitas & reconditior, quàm ut probitati fucum non obiiciat. Unde cave, feſtines in alios ſeu virtutis ſeu perverſitatis iudicium; utrumque enim peſtiferum eſt. Hoc modo præcepta ſaluberrima trahes ex præteritis erroribus. Si quem invenies ab ornamentis virtutis & animi idoneum, utere illo fidenter. Quorum enim honeſta vita & recta eſt, nolunt æquitatis ſuæ ignorationem haberi. Minus cupiunt diteſcere, quàm æſtimari & digni cenſeri fiduciâ. Ne illos deprava impertiendo poteſtatem non definitam cohibitámque terminis. Plerique conſtanter coluiſſent virtutem, qua nunc carent, quoniam illis poteſtatem divitiasque nimiùm auxit favor dominorum. Qui ſecundîs Dîis ex omni numero ſubditorum amicos vel duos vel tres invenit, quorum ſapientia probitásque nunquam vacillet: Facilè per hos ipſos eorum inveniet ſimiles, quos anguſtioribus officiis præponat. Ex bonis & integris hominibus, quibus familiariùs committimur, diſcimus, quæ per vires noſtras in cæteris ſubditis rite diſcernere non valemus.

At enim, Telemachus opponit, malos intellexi nonnunquam idoneos rebus eſſe. His ergo utemur pariter? Iis uti, Mentor inquit, ſæpe nos cogit neceſſitas. Sunt nonnunquam apud nationes turbulentas, extráque ordinem legum diſſipatas, iniuſti callidíque homines, quorum auctoritas iamiam invaluit. Funguntur ſplendidiſſimis muneribus,

bus, quibus privari abſque periculo non queunt. Potiti ſunt neceſſitudine nonnullorum hominum; quos ùt ſupra vulgus effert virium conditio, ita delicatè decet attingi. Sunt ergo hi improbi, quoniam rectè ſuſpecti habentur, & facilè turbare res valent, frequentandi cautè. Debet tantis per opera eorum uſurpari; ſimul autem ſenſímque id agi, ut illa non neceſſaria, ipſi ſupervacanei eſſe incipiant. Præprimis autem cave, intimam cum iis amicitiam unquam ingrediaris. Abuti hac poſſunt, & quæ ipſis credidiſti, arcanis te conſtringere invitum; quod quidem vinculum pertinacius eſt ferro, & par illis ex adamante. Adhibe eos negotiis, quæ diu non tenent: benignè accipe: ſuis ipſorum voluntatibus & deſideriis obſtringe ad fidem; his ſolis quippe à te poſſunt vinciri. Neque tamen admittes ad occultiora Conſilia. Ratio quædam ſemper tibi in promptu ſit, eáque abſtruſa, qua voluntati tuæ ſe ſinant accommodari. Aditu pectoris tui, rerúmque ad te pertinentium, ſemper interclude. Si imperium tuum pacatum, legibus revinctum, atque ſub adminiſtratoribus erit, de quorum prudentia & integritate rectè confidas: tum demum improborum operam, qua neceſſe tibi fuit uti, paullatim ſine damno iubebis conſeneſcere. At ne tum quîdem eos malè habebis: nam neque malis fas eſt malam referre gratiam. Dum autem à te bene habentur, ſimul ad emendationem illorum incumbe. Sunt quædam in iis toleranda vitia, quæ, quia naturæ adhærent, facilè conſequuntur à nobis veniam. Nihilominus revocanda ſenſim melior auctoritas, criminá-que illa reprimenda, quæ, ſi res in eorum perſe-

veraret

veraret arbitrio, apertè committerent. Illud inſuper malum ingens eſt, res bonas adminiſtrari à malis. Quod etſi ſubinde evitari non queat: ſenſim tamen & pedetentim eſt abolendum. Princeps ſapiens, à quo omnis ad morum legúmque incolumitatem refertur cogitatio, conſequetur aliquando, ut omnino valeat fraudulentæ malitiæ carere obſequiis; bonóſque inveniet, quorum & facultas ingenii & numerus ſufficiat.

Ceterùm ſatis haud eſt bonos tantummodo ſubditos reperiri in populo. Adnitendum præterea, ut alii quoque ſimiles eorum incipiant eſſe. At enim hoc opus arduum, hic labor intolerabilis: Ita Telemachus. Contra negabat id Mentor; &: Labor, inquit, quem collocas in viris idoneis boníſque ad dignitates & munera conquirendis, idoneum quemque impellit & allicit, ut virium ſuarum facultatem totam expromat. Quàm non pauci inſordeſcunt ignobili otio, inſerendi heroibus, ſi induſtriam eorum honeſta æmulatio & ſpes optati ſucceſſus accenderet! Et quos egeſtas, atque imbecillitas virtutis ad obtinendum decus, cogitatione non laceſſivit eius conſequendi per ſcelus? Si ingenio, ſi virtuti decernas præmia & dignitates, quotusquiſque ſubditorum ſe iis acquirendis non reddet idoneum? Imò tu ipſe quot reddes, ſi ad ſummæ aulæ officia ab infimis iubebis aſcendere per gradus? Hoc nimirum agendô efficies, ut quas à natura accepêre dotes, omni diligentia excolant; & ipſe, quantum ingenio poſſint, virtute velint, percipies. Illi enim procedent ad ſuprema officia, qui inter tuos oculos adoleverunt in infimis, quóſque à gradu ad gradum euntes rite ob-

ſervaveras, & quos denique non verbîs, ſed tota operum, quæ præſtiterunt, ſerie diiudicabis.

Dum his ſermonibus Mentor Telemachum inſtituit: vident Phæacum navigium depulſum ad inſulam, non ſpatioſam, deſertámque, nullo etiam cultu, ſaxîſque ambientibus ad horrorem intuentium ſeptam. Et tum, ventîs compoſitîs, ipſi etiam Zephyri animam videbantur de induſtria cohibere. Stagnabat mare ceu lævigatum in glaciem: fluebant remiſſa vela, paulo ante anima, nunc pondus navigii: fruſtrabantur quantumlibet incitati remi fractam nautarum operam. Iaciendæ ergo erant anchoræ ad hanc rupem veriùs, quàm humano cultui idoneam inſulam, & aliàs, niſi tum æquè venti reſediſſent, vix permiſſuram innoxiam exſcenſionem. Phæaces venti expectatione ſuſpenſi, non ſegniùs videbantur ſe, quàm Salentini, navigationi offerre. Telemachus iiſdem appropinquabat per pronum littus; & fortè obvium, num Ulyſſem Ithacæ regem vidiſſet in Alcinoi regia, percontatur.

Alienigena erat, quem temere occurrentem iuvenis interrogaverat, auguſta, etſi triſti & ærumnoſa ſpecie. Videbatur multa cogitatione diſtentus, ut vix audiret, quæ primò interrogabatur à iuvene. Tandem: Non falleris, inquit. Ulyſſem accepit Alcinous his locis, ubi par Iovis & hoſpitii religio. At iam tetendit aliò. Ibi nequicquam quæres. Profectus illinc eſt animô, ſi reditum annuant placati Dii, videndi Ithacam.

Vix ubi iſta grávi cum mœrore protulerat: ſe agebat in ſylvulam crebris arboribus præalto incubantem ſcopulo. Inde triſti obtutu obibat mare.

Ipſéque

Ipſéque horror & fuga à congreſſu hominum, quos viderat, oſtendit, anxium eſſe de ſuſpenſo itinere. Telemachus in hoc homine defixerat oculum. At quò intuebatur diligentiùs, eò magìs perſtringi cœpit, & turbari animo. Unde converſus ad Mentorem: Peregrinus iſte mihi reſpondit, ùt qui fere aurium uſu & meliori ſorte omnino eſt multatus. Tangit me aliena miſeria, ex quo ipſe miſer ſum. Vix audire, vix reſpondere dignabatur. Sentio mutari hoc pectus ſuper iſto homine: cauſam mutationis fruſtra inquiro. Et is me quidem accepit indignè; nequeo tamen malis ſuis non optare finem.

Mentor modeſto riſu: Ecce tibi fructum adverſæ ſortis! Sapientiam regibus tribuit, & ſenſum alienæ miſeriæ. Deos ſe credunt, ſi nihil præter venena guſtârunt felicitatis. Montes ipſos volunt in planities defluere, ut planum ſit voluptatibus ſuis iter: homines flocci, naturam univerſam ludibrio habent: omnis de miſeriis & calamitatibus ſermo ipſis videtur monſtroſus, & referentis viſa per noctem. Viderunt nunquam, quid diſtent tempora luctus & gaudii. Sola ipſos calamitas poteſt humanitate imbuere, ſaxeúmque cor humano permutare. Tum quippe perſentiſcunt ſe homines eſſe, & ad ceteros homines opus habere humanitate. Certè ſi vicem tantopere doles ignoti hominis, quòd hæc littora more tuo oberret extorris: quanto maiori opere indolebis olim, ſi quæ ſint futura, Ithacii populi miſeriis? illius, inquam, populi, quem curæ tuæ, velut nos paſtori oves, mandabunt Dii, quémque forſan perdet aut tua ambitio, aut luxus, aut imprudentia. Populo-

rum enim ruina vel calamitas fontem unum habet, vitia regum; quos tamen neceſſitudines omnes iubent curare, ne quid cervicibus ſubditorum adverſi inſultet.

Differente in hanc ſententiam Mentore, Iuvenis demiſſo in gravem triſtitiam animo, tandem quaſi perculſus: Si planè, inquit, ita res iſtæ ſe habent, profectò regum haud alia infelicior eſt conditio. Servus illorum & mancipium eſt, in quos videtur dominari. Propter eos à Diis eſt conditus: illis debet ſe totum, & ex aſſe: ipſe fulcrum eſt ad onera omnium; omnium item & ſingulorum, quibus imperat, vera & propria poſſeſſio; levamen, cuiusque accommodandum infirmitati; Pater denique omnium, qui corrigat, inſtruat, fortunet. Vis & auctoritas, qua videtur pollere, ipſius non eſt. Nihil gloriæ, nihil libidini ſuæ, habet, quod gerat. Poteſtas quippe ipſius non ipſius, ſed res legum eſt propria. His idem ipſe ſubditus, & ſubiectus eſt. Re enim vera cuſtos tantùm eſt legum, & adminiſter, leges ut imperent. Ipſe eſt, qui omnem curam debet ad conſervandas leges referre, & totius Imperii unus minima quiete frui. Mancipium eſt, quod otia ſuæ libertatis libertati publicæ conſecravit.

Rectè philoſopharis, Mentor inquit, regem ea propter duntaxat regem eſſe, ut populi ſui curam habeat ſeu ùt paſtor gregum, ſeu ùt paterfamilias ſuorum. An autem infelix tibi videtur, quòd bene mereri debet de toto numero mortalium? Scelus coërcet ſuppliciis: virtutem accendit præmiis: velut Deus quidam humanum genus ad probitatem inſtituit. Parúmne laudis habet ex legum,

quam

quam imperat, reverentia? Mehercle non laus illa, quæ in leges ſibi adſciſcit arbitrium, laus vera, ſed impietas & vilitas eſt. Rex ſi perverſitati ſe tradit, nequit niſi eſſe infelix. Tumultuoſa enim eſt, cui obſequitur, cupiditas, & turbulenta ambitio. Contra ſi probus ſit & tenax recti: in virtute excolenda ponere operam & operæ iſtius æternam à Diis mercedem expectare, habebit liquidiſſimæ ac certiſſimæ voluptati.

At Telemachus quanquam his præceptis optimè erat imbutus, & alios ipſe imbuerat; perſtrictus tamen occulta acutáque ægritudine, videbatur earum rerum diſciplinam nunquam accepiſſe. Difficilis quædam moroſitas veriſſimis placitis, quæ proferebantur à Mentore, obvertebat eius quanquam inviti ingenium, præfractéque ad ea exacuebat refellenda. Opponebat autem ſapientiſſimæ doctrinæ ingratum humani generis animum. Quid? nos, inquit, tanto opere ſudare, ut amorem conciliemus iſtorum ſcilicet hominum, quibus fortaſſe amabimur nunquam? Nos bene mereri de malis, qui avertent bene merita ad malè nobis faciendum?

At placidè à Mentore occurſum: Ab hominibus equidem non eſt, quod ſperemus, præter ingratum animum. Atqui propterea fas non eſt, frigere bene merendi induſtriam. Bona ipſis præſtanda ſunt non tam ipſorum cauſâ, quàm Deorum, qui id iubent, gratiâ. Nunquam inutile eſt beneficium. Obliviſcantur illius homines; at non obliviſcuntur, qui referent, Dii. Sint plerique ingrati; at præter pleroſque nunquam non ſunt, virtus tua quos movet. Sint plerique inſtabili voluntate, ſuíque

tenaces arbitrii; at nec ipſa inconſtantia pervicaciáque omittit veræ virtuti, quod par eſt, tribuere. Quodſi tamen libet ingratam ab hominibus arcere voluntatem: cave, iisdem unicè velis ex divitiis admovere potentiam, ab armis conciliare auctoritatem, de obſequio voluptatum proſpicere. Hæc auctoritas, hæc rerum copia, hæ illecebræ ſtragem faciunt illorum moribus, animum inducunt deteriorem, adeóque magìs ingratum. Donum ſunt, ſed exitiale, & quale noſtri reliquerunt ad Troiam. Venenum ſunt quò blandius, eò funeſtius. Contra in eo exiſtima tibi ponendam operam, ut profligatos mores reſtituas, ut iuſtitiam, candorem, religionem, humanitatem, fidem, præter temperantiam voluptatum, fugámque ſordidæ cupiditatis in animos inſeras. Quantum eos ad colendam virtutem adduces, abduces à mala beneficii gratia. Virtutem enim, quæ verum bónum eſt, ipſis tribues, quæ ubi mentes verè inſederit, eas perpetuo vinculo auctori tanti boni coniunget. Atque inde tu quoque conſequêre beneficium, quoniam tibi poſt veras divitias tributas timendus non erit ab iis, quibus tribueris, immemor accepti animus. Homines in illos dominos mirum, ingratos eſſe, à quibus meminerunt, avarè, ambitiosè, crudeliter, ſuperbè & cum perfidia ſibi imperitatum? Expectandum eſt Principi à ſuis, ad quod faciendum ſuos exemplo inſtituit. Contra ſi & virtute & auctoritate ſua eos ſtuderet ad cultum erudire probitatis; conſequeretur ſanè fructum laborum ſuorum ſubnaſcente diſcipulorum virtute, aut certè ex ſua probitate & Deorum amicitiâ ſolatium deceptarum expectationum.

Solu-

Solutus Mentoris congreſſu iuvenis ad vectores detentæ in portu Phœacæ navis decurrit. Verſúſque ad hominem, cuius anni iam pridem à lætiori ætate receſſerant, ſcitatur, unde domo? quo iter? nihil Ulyſſis meminiſſet vidiſſe? Reſponſum à ſene: venire ex inſula ſua Phæacia ad colligendas ex Epiro merces. Ulyſſem (ùt paulò ante ſibi fuiſſet indicatum) ingreſſum Phæaciam, dehinc rurſus inde exceſſiſſe. Quis ergo ille, Telemachus urget, qui expectans, dum navis veſtra hinc ſolvat, tam triſti ſpecie ſcrutatur deſertiſſimos locos? Peregrinus eſt, ſenex inquit, & nobis incognitus. Cleomenem dicunt appellari, & in Phrygia editum. Matri, antequam eum edidiſſet, Oraculum indicâſſe, quem geſtaret utero, futurum regem, niſi remaneret in patria; ſin extra eandem non tenderet, terribilem luem Phrygibus incubituram.

Vix editum in lucem nautis quibusdam parentes tradidêre exportandum in Lesbon inſulam. Ibi clam & patriæ ſumptibus educabatur; quippe cuia magni intererat, eum adoleſcere alibi. Exiguo temporis intervallo corpus pueri magnitudine & robore cœpit eſſe eximium. Acceſſit venuſtas & ad omnia, quibus corpora aptamus, habilitas. Scientias & artes non avidiùs amplectebatur, quàm alacrius. Ceterùm omnibus gentibus erat intolerabilis.

Vulgabantur quippe hæc de illo oracula. Quocunque devenerat, noſcitabatur. Ubique ſuſpicionem movebat regibus, poteſtati eorum imminere. Unde cœptos à teneris errores itinerum nullibi terrarum ſiſtere, nullibi commorari permittitur. Contendit nonnunquam ad gentes, ad quas patriæ

ſuæ ne nomen credere fas ſit perveniſſe. At vix urbem ingreditur, cùm & patria & editæ de illo ſortes propalantur. Iniiciat ſe latebris & ubivis obſcuram ingrediatur vitam : nunquam, etſi iuſſæ, celare ſe valent dotes animi eius, tam quæ ad bellum, quàm quæ ad ſcientias, réſque ſummas adminiſtrandas referuntur. Plerumque ſe obtrudit improviſa occaſio, quæ protractum è latebris inſerit publicæ notitiæ. Ipſa merita aggravant illius ſortem. Efficiunt quippe, ut rerum deteriorum ſuſpicione, quocunque habitatum contendit, reiiciatur. Fatum eius hoc eſt, ubique æſtimari, diligi, in admiratione eſſe, & ubique expelli.

Nunquam Aſia, nunquam Græcia tametſi molliores annos pridem egreſſo permiſit oram, quæ illi non extiterit turbulenta. Ut favores notabiliores fortunæ non appetit, ita ſe ab ambitione abeſſe ubique oſtendit; futurus profectò omni ex parte beatus, niſi oraculum regia dignitate ſignificaſſet beandum. De cætero ſpe prorſus exceſſit ſalutandi unquam Penates patrios. Satis enim credit, præſentiam ſuam univerſis Penatibus fatalem & peſtiferam fore. Itaque regium decus, propter quod miſer eſt, ne appetit quidem. Illud tamen de regno in regnum trahit non ſua, ſed fatorum voluntate, ſequens ; & videtur eum fugere, ut in graviorem usque ætatem miſeri hominis ludibria ſua propaget. Vah Deorum ſiniſtrum munus, quo robur ætatis eius concutitur, & calamitatibus opplentur tempora, quæ vel maximè ſibi otioſa depoſcit eſſe humana infirmitas.

Addebat præterea ſenex, eidem in animo eſſe proficiſci in Thraciam, & populum, neſcio, quem barba-

barbarum & nullas hactenus leges paſſum, perveſtigare; cui collecto, iuſtáque forma compoſito interea temporis imperaturum, dum expleta oracula formidinem ipſius celebrioribus regnis abſtulerint. Inde ad ingrediendam integerrimam libertatem ſtatuiſſe Cariæ vicum petere, vacatum agriculturæ, cui mirum in modum eſſet addictus. De reliquo virum eſſe non ſapientia modò valentem, modeſtiáque eximium, ſed pietate præterea adverſus Deos veriſſimè imbutum: peritum denique mortalium animîs, gnarúmque iîs præter incautam fiduciam uti. Atque hos demum rumores de advena ferri, cuius conditionem ex ipſo voluiſſet cognoſcere.

Hæc referente ſeniculo Telemachus oculos ſubinde deflexit in mare, cui tunc eximi quies cœperat. Immiſſo vento excitæ undæ alliſæque ad rupes inhærente ſpuma relinquebant ſui veſtigium. Cùm ille ad iuvenem: Abeundum mihi. Morari comites non decet; ſimul ad littus ſe proripit. Inſcenditur: volutatur per crepidinem littoris ambiguus nautarum fremitus, fervénsque ex ſoluta demum percupitæ profectionis mora.

Ceterum ille alienigena, cui Cleomeni erat nomen, media regione aliquamdiu palatus, altiſſimos quosque apices montium conſcendit. Inde in nullos terminos procumbens maris æquor percurrebat triſti obtutu. Nunquam eum ex oculis dimiſerat, nunquam à veſtigiis, quæ faciebat, intentam cogitationem averterat Telemachus. Movebatur vera pietate, quoties virum aſpiciebat adeò probum, extorrem, &, quanquam deſtinatus erat ad ſumma, infelicem; quámque crudelibus modis

 iacta-

iactaretur à ſorte, penſabat. Fieri ſaltem poteſt, inquit, ut ego Ithacam rurſus aſpiciam; at non fiet, ut iſte Cleomenes Phrygiam. Ita de præſente maiori calamitate tanti viri fomenta calamitati ſuæ legebat Telemachus.

Tandem peregrinus ille poſteaquam navem ſuam idoneam vidit ineundo itineri: è montium præruptis deſcendit. Tantáque fuit inde decurrentis pernicitas, ut æquaret illam Apollinis, cùm in Lyciæ ſaltibus per prona ambiguáque graſſantem culmina, vinculo imperante modum flaventi capillorum licentiæ, cervis aprísque deſtinatæ ſtragis deſiderium abripit. Iamque recepto advenâ undas diffiſi pelagi moliebatur navigium: cùm Telemachum arcanus doloris ſenſus cœpit corripere. Affligebatur, & neſciebat cauſam: ſolvebant etiam ſe fletus, & nihil præ iſtis iuveni accidebat iucundius.

Tum Salentinos nautas omnes vidit ſuper herbas ex ipſa fatigatione multo ſomno reſolutos. Quieſcendi otium feſſos artus leniter invaſerat, omnémque vim coactam ex herbis, quibus nocturnum exciri ſoporem credunt, aprico die Minervæ numen dormituris immiſerat. Et iuvenis quidem vehementer mirabatur, cùm videret ſomniculoſam ignaviam nec uni Salentinorum abeſſe. At potior cura fuit diligenter contemplandi Phœacam navem, iam extra oculorum futuram proſpectum, quam pedem ferendi ad abrumpendam quietem comitum. Occultus quidam pavor & ſenſus, percurrens animum, oculos Telemachi pertinaciter affigebat rati, quanquam eò usque iam provectæ, ut nihil ad obtutum eius præter vela pertingeret, inter cæru-

cæruleas aquas quoquo albi coloris diſcrimine noſcenda. Porro ne ipſum quidem Mentorem exaudiebat iuxtà loquentem. Abierat ferè à ſenſibus; ut Mænades, cùm Thyrſum iactantes manu inſanis ululatibus Hebri ripas ſaxáque Rhodopes Iſmaríque percellunt.

Faſcini genus erat, quod ei inciderat. Inde utcunque exſolutis ſenſibus, in lacrymas revolvi cœpit. Ergo Mentor: Haud miror, Telemache, te imperare lacrymis non poſſe. Tu quidem cauſam huius rei ignoras; at non Mentor. Naturæ hæc vox eſt, quæ prodit ſe. Natura te afficit hac teneritudine. Ignotus ille, à quo tanti animo tuo fluctus, magnus Ulyſſes eſt. Quæ tibi ille ex Phæacia ſenex denarravit Cleomenis nomine, commentum ſunt, contextum ad obſcurandum genitoris tui ad ſua reditum. Ithacam rectà proficiſcitur. Et iam propinquus eſt littori, & compos illius, quem tam optabat diu, aſpectus. Vidiſti genitorem, quæ ſors tibi prænunciavit edita; ſed non agnoviſti. Ceterùm paulò poſt eum & videbis & agnoſces, téque ab illo agnoſci intelliges. Ut extra Ithacam illum agnoſceres, hoc temporum & rerum iſtarum ingeniô permittere Dii non poterant. Ipſius perinde atque tuus animus tangebatur. At pro ea, qua eſt ſapientià, noluit ſe manifeſtare ulli mortalium ibi terrarum, ubi in cognitionem publicam inſidiáſque procorum Penelopes periculum erat incidendi. Genitor tuus ita ſapit unus mortalium, ut ſecundum non habeat. Cor eius puteus eſt, cuius intima nudari non poſſunt. Amat verum; nec verbulo illi iniurius eſt. At prodit nunquam, niſi poſcat neceſſitas. Sapientia

entia ab labiis eius ſigilli coërcet fide, quæ manifeſtata non proſint. Ut affectus eſt animo, cùm reſponſum ab eo filius exigeres! ùt imperavit paternæ cupidini, ne, quis eſſet, excideret non ſentienti confeſſio! ùt tuo percutiebatur aſpectu! Hæc ſcilicet erant, quæ illum deiiciebant triſtitia.

Dum hæc proferebantur à Mentore, vultus Telemachi non madere, ſed ſtagnare lacrymis viſus, quas poteſtati eius vehementior motus ardórque animi eripiebant. Diúque ſermonem prohibente ſingultu, tandem voce eiulanti quam loquenti viciniore: Sentiebam, inquit, ſentiebam eheu! dilecte Mentor, in hoc peregrino neſcio quid inuſitatum, quod illi adiungebat meum hunc animum, ipſáque hæc viſcera movebat loco. At at! ante abitum cur reticebas eum mihi? Sciebas Ulyſſen eſſe? eccur miſſum hinc feciſti, non compellatum ſermone meo, non ſpecie ſignificatum, conſtare, quis eſſet, tibi? Ecquod hoc arcani eſt genus? Egóne ſemper confligere triſtiori ſorti? Egóne ſtatuentibus Diis, ſitire alter Tantalus, qui fallaci labiáque ſua averſanti undæ inſidiatur incaſſum? Méne Ulyſſes, Ulyſſes, inquam, fugiſti perpetuò? Quid ſi vidi ultimùm? Quid ſi te in paratas mihi caſſes induent materni proci? Te ſi ſequerer, tecum certè perirem unà. Ah Ulyſſes! Ulyſſes! niſi ad rupem te agat pelago adhuc in te reſiduus impetus (quid enim à ſortis invidia non metuam miſer?) timeo, & ô quantum! ne quàm Agamemnoni Mycenæ, tam funeſta tibi ſit Ithaca. Tu verò Mentor, cur obſcurabas alumno tuo hunc propitium fortunæ aſpectum? Nunc Genitorem amplecterer. nunc

cum

eum genitore verſarer in Ithacæ portu: nunc in hoſtes univerſos iuxtà procederem.

Mentor conſueto ſeu moderato riſu: Ecquid vides, inquit, mortalis hominis ingenium? Quia viſum genitorem non agnoſcebas, nunc impos ſolatii es. Quanto herì non fuiſſes empturus nuncios, verè aſſerentes, adhuc eum vivere? Atqui hi tui oculi id hodie aſſerunt tibi. Et adeò non gaudes propterea, ut nihil ex conſueto dolore amittas. Ita mens hominum perverſa, quæ maximè expetit, ubi eorum potitur, contemnit; & ad argumenta procedit dolendi de iis, quæ nondum obtinuit. Hac rerum ambiguitate te trahunt Dii, ut ſtadium patientiæ tibi aperiant. Tu quidem hæc tempora exiſtimas rebus tuis ſterileſcere; at totius ætatis tuæ fructuoſiſſima ſunt. Hic quippe dolor, hæc ægritudo te erudit uſu virtutis, imperaturo præ, quàm alia, neceſſariæ. Patientia enim opus, ut & tibi & reliquis moderêre. Intolerantia, quam vim & poteſtatem iudicant animæ, debilitas eſt. Qui nec moram nec mala ferre poteſt, comparandus eſt homini, arcana celare non valenti. Tam huic, quàm alteri deeſt ſe retinendi facultas & copia, ùt fermè homini raptanti currum in hippodromo ad reprimendos, cùm opus eſt, inter curſum equos ſat firma manus. Non obſequuntur habenis, ſed infideli mole proniores affliguntur arenæ: imbellis auriga, effluentibus loris in caſum præceps, obteritur. Atque ita homo, cui frenum deficit patientiæ, ab indomitis & efferatis cupiditatibus raptatur in abyſſum miſeriæ; quóque maior eſt illi potentia, eò pernicioſior eidem exiſtit intolerantia. Moram nullius rei patitur:

tur: neſcit deliberationi dare iuſtum otium: vi agit omnia, ut violenta deſideria compleat: ramos frangit, ut fructus nondum maturos legat: cardines vellit potiùs, quàm expectet liberum aditum. Meſſem ab agris veſperi poſtulat, quos mane conſevit. Quidquid feſtinatò & intempeſtivè gerit, perperam geſtum eſt, & perinde manſurum non diu, ac fluxa eius lubricáque deſideria. Hoc maleſanum ingenium hominis, omnia in poteſtate virium ſuarum exiſtimantis eſſe, útque viribus ſuis abutatur, importunis cupiditatibus obſequentis. Dii ergo, Telemache, qui erudire te volunt ad patientiam, tam dubium patientiæ tuæ palum figunt, ut te videantur ludum ſuum facere, qui hæc ancipitis tuæ peregrinationis tempora nolint ambiguitatum moleſtia exſolvere. Bonum, quod ſequeris, ſimul oſtendit, ſimul aufert ſe velut ſomnium, quod diſcuſſo ſopori ne momentô ſuperſtes eſt. Ex quo documentum capies, ſubitò elabi, quæ credis contineri manu. Minùs te erudiret vel Ulyſſis magiſterium, tametſi à ſapientia propè Divinum, quàm diuturna illius abſentia, & quæ inde cervices tuas premit, calamitas.

Secundùm hæc Mentor ultimò, & quàm unquam aliàs delicatiùs periclitaturus iuvenis patientiam, cùm is forte ſummo ardore nautas ad maturandam profectionem vellet urgere, deſubitò repreſſum iubet Minervæ ſuper littus ſolito operoſius ſacrificium conficere. Paruit iubenti non aliter ac genitori optimus filius. Inde & inde cumulati in aram ceſpites. Diſpertiebantur incenſi odores nubem: ſtillabat ſectis iugulis hoſtiarum copioſus cruor: Telemachus inter piiſſimas preces profitebatur Divæ potens auxilium. A re

A re Divina actutum ſecutus eſt Mentorem obſcuro receſſu, quo intrabatur, quæ in proximo, ſilvula. Cùm repentè videt vultum amici ſui mutari. Exterſæ fronti rugæ, velut umbra, cùm in Orientis aditus ſublapſa aurora horizontem modeſtè accendit. Oculi, aliàs recepti ſub frontem & difficiles, nunc cæruleo colore & divina luce intercurrente cœleſte decus induerant. Videri deſinebat, quòd ſubnatum mento & nutritum ſine cultu, indicium erat iam multæ ſenectutis. Oris conformatio generoſa, intrepida, venuſtate elegantiáque mixta perſtringebat aſpicientem Telemachum. Iam vultus oculis eius obverſabatur fœmineus, præ flore, cuius ad oculum illecebras modò Phœbus elicuit, pubeſcens delicatiùs, miſcénsque, quod ſeu in liliis ſeu in roſis commendatur. Ambroſiæ odorem ſpirabant fluentes capilli: ſplendor veſtium aut audacior, aut non languidior coloribus, quos in cœli convexis nubibúſque nocturnæ caligini præter auri decus diffuſum ſol oriens ſubſtituit. Pedibus humum, cùm ſe movebat, Diva non tetigit, ſed levi tenuíque tractu, quali aves meant, labebatur per auras. Manus firma & lætiſſimis viribus, ſuſtinebat haſtam, non ſegniùs micantem fulgure, urbésque & bello validiſſimos populos concuſſuram, neque à Marte aſpiciendam ſine metu. Vox iucunda & lenis, firma tamen & facile labens in animos. Verba ſingula non celeriùs, quàm acutiùs Telemachi pectus effodiebant, relicto dolore miræ dulcedinis. Cono galeæ inſidebat noctua. Ægidem præcordiis, illuſtrem terrorem, obiecerat. Inde conſtabat Telemacho, Minervam eſſe.

Túnc

Túne Diva, exclamat, tu ipſa dignabare, genitoris ergò, comitari, ducere Ulyſſis filium? Plura dicturum in eandem ſententiam lingua deſtituit. Nitebatur os nequicquam verba accommodare ſenſis, quæ ab intimis animis magnitudo ciebat affectus. Opprimebatur vi præſentis numinis, velut qui per quietem ita occupatur mole nocturnæ imaginis, ut intercepto ſpiritu vocem nullo conatu labiorum poſſit exprimere.

Tandem Minerva: Poſtremùm, inquit, alloquor Ulyſſis filium. Ex omnium mortalium numero te unum adhuc ſumma cura inſtitui. Hac manu per naufragia duxi te, per ignotos populos, per cruentas pugnas, per mala ærumnáſque omnes, quas ad tentanda ingenia mortalium invenimus Dii. Uſu certiſſimo & manifeſto te imperandi præcepta recta perverſáque edocui. Errores, quos commiſeras, quàm calamitates, tibi non profuêrunt minus. Quotusquisque enim mortalium ſapienter imperat, niſi ex adverſis, in quæ culpa ſua eſt impulſus, ſapere probè didicit? Terras mariáque caſus tui æquè ac parentis implevêre.

Proficiſcere igitur, dignus tandem, qui veſtigiis eius inſiſtas. In Ithacam, ubi, quem quærebas, hoc punctum temporis exponit, brevis & expeditus hinc curſus eſt. Pugnantem genitorem adiuva: imperanti ut è vulgo ſubditus auſculta: præi, quod ceteri ſequantur, obediendi exemplum. Antiopen ſponſam tibi leget, dabítque lætis auſpiciis in manus, quoniam ſapientiam & virtutem pulchritudine ducebas potiorem. Admotus ſceptro, honeſtatem omnem puta, revocare aureæ ætatis ſortem. Æquas aures nulli nega: paucis crede: & nimium

ipſe

ipſe tibi credas, cave. Nunquam pone erroris metum; & ſi erraſti, id ne erubeſcas profiteri. Ama populum; à quo ut ameris, ſtude. Timore opus, ſi amor deficit; etſi timore, ob violentiam ambiguo poteſtatis remedio, ægre duntaxat & cum dolore utendum. Quid ſit futurum ex rebus, quas ages, conſidera. Proſpice, quæ maximo extitura diſpendio. Scito, veram fortitudinem eſſe, penſare omnia diſcrimina, & contemnere, quæ vitari non queunt. Qui pericula recuſat proſpicere, aſpectum eorum æquo animo non feret.

Verè ſapiens & magnanimus eſt, qui omnia ſinguláque conſiderat, vitari quæ poſſunt; æquo animo ſuſtinet, quæ ſubire neceſſe eſt. Fuge voluptatem, faſtum, luxuriam. Decus tuum ſimplicem vitam exiſtima. Ornamenta tibi, regiæque tuæ ex virtutibus & rectè factis adſciſce. Hi tui ſatellites, hi cuſtodes ſint; quibus ſtipatus documentum exiſtas orbi, in quo veram gloriam conſtituat. Meminiſſe ne deſine, reges imperare non ob ſuam ipſorum gloriam, ſed communem ſalutem. Quæ agunt bona, in poſtrema tempora ſimpliciter tranſeunt; mala autem, quæ perpetrant, in aliud atque aliud genus volutata cum incremento, ultima poſteritas accipit. Subinde perverſum unius hominis imperium origo eſt calamitatum per plures ætates graſſantium. Ab ingenio tuo tibi præprimis cave. Hoſtis eſt, quem ad urnam usque tecum trahes. Intrabit omnia tua conſilia, depravabítque, ſenſum eius ſi audies. Occaſiones profligat temporáque optima. Ingenti rerum diſpendio aſſuefacit alia pueriliter ſectari, alia refugere.

In ſtatuendis maximis pondus omne vocat in argumenta leviſſima. Obſcurat dotes animi: virtutem debilitat: hominem reddit varium, ignavum, vilem, intolerabilem. Ab hoc ergo hoſte tibi cave. Deos, Telemache, Deos time. Timor hic humani cordis theſaurus eſt. Cum eo veniet tibi ſapientia, æquitas, pax, gaudium, ſine nævo delectatio, vera libertas animi, dulcedo abundantiæ ſincera, inviolata.

Deſero te; at non deſeret ſapientia, niſi memor eſſe deſieris, te ſine illa nil poſſe. Tempus nunc eſt, ut te viribus tuis permittam. Libuit mihi in Ægypto & Salenti abeſſe à te, ut aſſueſceres ſocietatis carere ſolatio, quemadmodum ſobolem à primis infantiæ alimentis removet genitrix, ut ſolidioribus incipiat veſci.

Simul hæc ultima protulit, ſimul Dea, levata ſurſum condente aurea cæruleáque nube, porro ſpectabilis non fuit. Telemachus gemere, commoveri, demitti in terram impos ſui, porrigere cœlo ſupinas manus. Deinde excitatis è ſomno comitibus, ſtrenuo itinere appulſus in Ithaca, genitorem apud fidelem
Eumæum invenit.

L. D. & D. V. H.

INDEX

INDEX
RERUM AC VERBORUM.

A.

ACanthi transfugæ conſilia detecta 388. ſententia 390.
Aceſtes rex Siciliæ 12. 13. occupatus à barbaris 15. victor per Telemachum & Mentorem 16. eius in utrumque munificentia 16.
Acherontia oppidulum in monte, ubi aditus ad Inferos 348. &c.
Achilles inter manes 373.
Achitoas nobilis lyricen 155. æmulus Mentori 156. 158.
Adoamus Præfectus navis Tyriæ 143. benevolus in Telemachum 142.
Adraſti regis Dauniorum mores 217. bellum cum regibus Heſperiæ 217. inſidiæ 320. ſqq. Doli 388. crudelitas & perfidia 388. mors à Telemacho 405. &c.
Adulatio infeſta regibus 219. 220. 429. noxia 186.
Adulatorum genius 226. 227. 249. 323. 324.
Ædificiorum ſplendor reiectus, diverſitas, ratio 239.
Ægis clypeus Minervæ 16. 66. 137. 225. 316. 350. 399.
Ægypti fertilitas 18. 20. diſciplina 20.
Æmulatio amoris 124. ſqq.
Æolus in ſpectaculo marino 80.
Æſtimatio, ſeu admiratio quomodo obtinenda 65. habenda bonarum legum. v. lex. Senectutis in Creta. v. ſenex.

Æthna 29.
Affectionum impetus ſiſtit oratio prudentis 212. ingenioſæ in rem ſuam 122. noxiæ 45. 47. 63. 141. ingenii ſui peſtis 481. 482.
Agamemnon inter manes 374.
Agriculturæ neceſſitas & utilitas 100. 242. 244. 245. 376. 428. magiſter Triptolemus 428. Magiſtra Ceres 330. promovendæ ratio 244. &c.
Aiax inter manes 374.
Amathus, untis, urbs Cypri 57.
Ambitionis mala 19. 35. 82. 84. 287. 335. 380. media 83. 417.
Amicus verus 56. quando & cur quærendus? 77. quomodo amandus 225. Solatur amicum 156.
Amicitia malorum non diuturna 261.
Amoris initia 120. æmulatio 124. 134. vincendi ratio 136. 450. cæcitas 121. 136. victor 136. ſqq.
Amor, in Regem, Ducem &c. 251. unde 259. 413.
Amphimachus pulcher à Philoctete peremptus 401.
Amphitrite, Dea maris, deſcripta 79. 80.
Anchiſæ ſepulchrum in Sicilia 13.
Antiope filia Idomenei bene morata 439. ſqq. amata à Telemacho ibid. liberata 449.
Antrum Calypſus 3. 4. ſqq. Philoclis 277. 282. Philoctetis 297.
Apenninus promontorium Italiæ 325.
Aper inſignis occiſus à Telemacho 448. 449.
Apollo paſtor 28. ſqq.
Apuli pop. Italiæ inf. viſu terribiles 192.
Arachne in Clypeo Telemachi 329.
Arbitri cauſarum laus 289. admittendi neceſſitas 445.

Arce-

Arceſius atavus Telemachi inter manes 369.
Architecturæ ratio in Republica 239.
Archidamas rex Dauniorum per Telemachum 402
Ariadne in Clypeo Telemachi. 330.
Arion transfuga Daunius & proditor 388.
Ariſtodemus rex Cretæ per Mentorem 108. bene moratus 108. 109. tribûs conditionibûs Rex 110. liberalis in Telemachum & Mentorem 110. 111.
Ariſtogiton verſatilis 309.
Arma Telemachi 328. ſqq. Herculis 308. optima contra perfidiam 384. ultimum remedium 207.
Arpos provincia aſſignata Telemacho 414. data Diomedi 425.
Artes inutiles 241. 242. 428.
Aruſpices 183. 214.
Aſtarbæa concubina Pygmalionis 58. amat Malachontem invitum 58. quem plectit 59. amat Ioazarem 144. veneno tollit regem 147. fugam tentat 151. venenum haurit 152.
Athamas gubernator navis Tyriæ illuſus à Neptuno 169. ſqq.
Atridæ filii Atrei, Menelaus & Agamemnon 300. 374.
Avarus v. Pygmalion. deſcriptus 45. 46. 47. avaritiæ triſtes effectus 45. inviſa Cretenſibus 83.
Auctoritas regum iniuſta pernicioſa v. faſtus 429.
Aurora 62. 115. 174. 459. 479.

B.

Bacchus cantu celebratus 7. eius geſta 82. 116. amantis effigies in armis Telemachi 330.

Baleazar fil. Pygmalionis exul. 145. ſervatus 149. reverſus 149. 150. Rex 150. bene moratus 150. 153.
Beati in campis Elyſiis 365. ſqq.
Bæticæ provinciæ & incolarum eius deſcriptio 158. ſqq.
Bellona Dea armorum cum Marte 398.
Belli damna 98. 164. 200. 287. apparatus 199. 233. 241. prævertendi ratio 149. 193. & vitandi 289. quale ſit 189. 336. fraudes indignæ 391. ſtudio ardentes ſpreti 163. 190.
Bocchoris fil. Seſoſtris ſuccedit in regno 35. eius mores importuni cauſa ſeditionis 35. 38. occiſus à rebellibus 38.
Boni noſcunt inter ſe 285. 462.
Brutii pop. Italiæ 193.
Butis Præfectus paſtorum malignus 25.

C.

Cæſtuum pugna 92.
Calamitatis utilitas 25. 150. 179. 180. 185. 303. 420. 451. 467.
Calypſo Dea, filia Atlantis & Thetidis, regina Ogygiæ inſulæ. Dolens Ulyſſis fugam 1. 2. deſcripta 3. excipit Telemachum hoſpitio 2. convivio 7. curat magnopere 61. averſatur Mentorem 10. 116. offert amores Telemacho 8. 117. æmulatione ſuccenditur 124. maturat hoſpitum profectionem 129. indignatur utrique 132. &c.
Campi Elyſii 79. deſcripti 365.
Candor animi 39. 227. 310. 323.
Cantus v. Muſica 7. 28. ſqq. 155. ſqq.

Car-

Carpathia Inſ. maris mediterr. à Philocle oppugnata. 256. 259.
Chari homines corrupti. 252. &c.
Charon 351. 353.
Clamor terribilis. 403.
Cecrops Ægyptius conditor Athenarum 375.
Cenſus perdunt populos 243.
Ceres in clypeo Telemachi 330.
Certamen in hippodromo 92.
Cleomenis ſeu Ulyſſis fata 471.
Creta inſula 81. ſqq.
Criſi moderata quinam perſtringendi 229. ſqq.
Commerciorum laus & ratio inſtituendi 52. 167. 223. 234. ruina 53. 248.
Concordiæ ſubſidia 166.
Concilium Deorum 169. ſqq. 327. ſqq. Cretenſium 94. ſqq. Regum fœderatorum 382. ſqq. 412. ſqq.
Condimenta venena 238.
Conſiliarii regum boni & mali 23. 24. v. Rex.
Conſuetudinis pravæ diuturnæ reliquiæ 433.
Continentia populi curanda 246.
Convivium, rurale ſive agreſte 7. 32. navale 155.
Crotoniatæ iaculandi periti præſtantes 193.
Cupiditas v. affectio 162.
Cupido 66. in inſula Calypſus 119. 138.
Curioſitas in Divinis moderanda 184.
Cypri inſulæ & gentis eius deſcriptio 69. 71. 78.

D.

Dædalus. v. Labyrinthus.
Danaides punitæ 153.
Deianira 291.
Delphini 79. 80.

Demoleon palæſtrites 396.
Demophantes civis Venuſinus proditor reiectus 383.
Deo adſcribenda omnia 427. debetur timor 482.
Deſperatio populorum malè habitorum. v. ſeditio.
Diffidentiæ deſcriptio 144. ſqq. ſtudioſus Rex v. Rex ſuſpicioſus. Sui utilitas 134. 155.
Dioclides rex Cariæ inter manes 380.
Diomedes, filius Tydei, profugus 418. punitus à Venere 418. Rex Arpi per Telemachum 425.
Dioſçorus proditor Adraſti punitus 390.
Diræ Calypſus 125. 132. Mentoris in fœdifragos 213. Philoctetis in Ulyſſem 303. 305. 307.
Diſcordia pernicioſa 206.
Diſputatio pro Corona regia 95.
Diſtinctio hominum optima 162.
Diverſitas veſtium ſecundùm diverſos ordines 236. ædificiorum 239.
Divitiæ damnoſæ 37. malè non acquirendæ 20. quomodo quærendæ? 53. 241.
Domitores gentium & urbium. v. bellum 98. 289. 374. timendi 353.
Dux belli habeat curam vulneratorum 336. det certa & definita mandata 393. ante pugnam 393.

E.

Educatio prolium, curanda 247. 285. utilis 285. quomodo promovenda 42. 83. mollis & perverſa 35. 37. 311. &c. hæredum regni mala. 264. 252. ſqq.
Effœminati hominis imago 59.
Electio regis Cretenſis 89. ſqq.
Enna urbs Siciliæ, ſacra Çereri 330.

Equus generoſus 328. 396. 448.
Erichthonius rex Athenarum, inventor monetæ 376.
Error utilis 427. 480. timendus 481. fatendus 481.
Eteſilas velox curſu 398.
Eucharis rivalis Deæ Calypſo 119. ſqq.
Eumæus fideliſſimus ſervorum Ulyſſis. 482.
Euneſymus rex Pyli 381.
Euphorion victus à Telemacho 333.
Eurimachus explorator & proditor 323.
Eurimedes venator famoſus 396.
Euridice 348.
Exemplum regis potentiſſimum ad corrigendos mores 236. 238.
Exequiæ Hippiadis 340. ſqq. Piſiſtrati 410. ſqq.

F.

Faſtus ignotus in Creta. 84. Thronos evertit. 186. 249. 408. inviſus ſubditis ibid.
Felicitas populi in quo conſiſtat? 18. ſqq. 82. 83.
Fidem frangere periculoſum 202. præſtare decet 384. ſqq.
Fœminarum illecebræ cavendæ 6. 63. 64. 116. 117. 151. ars ſecreta aliorum cognoſcendi ſuis non proditis 63. ſtudium placendi 69. 70.
Fœderati contra Idomeneum 199. pacem ſanciunt 214. contra Adraſtum 217. ſqq. 290. ſqq.
Fortitudo 113. 225. ſine ſapientia & conſilio noxia 37. 38. 189. in quo conſiſtat? 113. ſine ſapientia & conſilio non eſt fortitudo 226. quomodo fovenda pacis tempore? 288.
Fragilitas humana etiam in ſummis viris 228.
Fraus non repellenda fraude 384.
Fundi colendi ars 242. 250. v. agricultura.

G.

Gades inſula v. Tyrus. Urbs ſtructa à Phœnicibus v. Phœnices & Tyrus.
Galeſus fluvius 325.
Garganus mons 422. Polydamantis ſedes. ibid.
Gloria vera quæ? 289. gloriæ deſiderium moderandum 188. 191. 195. 215.
Gratiæ 30. gratia Regum non diuturna 273.

H.

Hæres regius quomodo inſtituendus? 40. v. Telemachus, Rex, Princeps, Educatio.
Hazaëlis ſtudium in ſcientias & mores Græcorum 75. in leges Minois. ibid. in Telemachum 77. in conſuetudinem vitæ privatæ 107.
Hebe pocillatrix Iovis exauctorata, nupta Herculi 295.
Hector victus ab Achille, inter manes 374.
Hegeſippus purpuratus Idomenei, miſſus ad reducendum ex Samo Philoclem 273. quibus argumentis ei perſuaſerit reditum 281.
Herculis fata. 291. ſqq. apparens Philocteti 308.
Heſperia, hîc Italia tantùm 176. &c.
Hylæus præſtans equis bellatoribus 396.
Himerii pop. Siciliæ 15.
Hippias frater Phalantis 313. robuſtus 313. infeſtus Telemacho 314. & inferior 316. occiſus ab Adraſto 327. ſepultus à Telemacho 340. ſqq. deploratus à Phalante 344.
Hippodromus 92. 241.
Homines omnes cognati. 215. hominum iudiciis accommodata virtus mala 357. ſqq. homo ſibi lupus 481. 482.

Ho-

Hoſpitalitas Cretenſium multa 90.
Hydra 294.
Hymenæi agreſtes 251.
Hypocritarum extrema in Inferis ſupplicia 356.

I.

Ida mons. 81. 187.
Idomenei Regis Cretæ votum temerarium 86. triſtes inde effectus 87. 88. 185. condit regnum. Salentinum 89. 176. excipit Telemachum & Mentorem 177. operam eorum ſollicitat bello, quod habet cum Manduriis 187. ſqq. expeditur per Mentorem neceſſitate adeundi aliud bellum 222. 224. pro Idomeneo apologus Mentoris 228. ſqq. cum Mentore urbis Salenti diſciplinam emendat 234. ſqq. qua ratione ſit depravatus 252. ſqq.
Impatientiæ ſeu intolerantiæ damna 477.
Impetus pugnandi coërcendus 188.
Inachus auctor regni Argivorum inter manes 375.
Infeliciſſimus quis? 96.
Inferorum deſcriptio 350. 351. 354. 356. ſqq.
Ingratitudo hominum 469. punita in Inferis 357. punita à Cretenſibus 83. quomodo præveritenda 470. Ingratis etiam benefaciendum 469.
Inopia rationaria mercatorum prævertenda & punienda 234.
Inſolentiæ origo unde 246. 247. damna 194. 195.
Inſula Calypſus deſcripta 3. 4. 5. in acceſſa 142.
Iphicles Adraſti filius à Telemacho interfectus 332.
Irruptio hoſtilis 15. 199. 320. 325. ſqq.
Iris miſſa in auxilium Telemachi 315.

Iucun-

Iucunditas alia virtutis, alia improbitatis 74.
Iudices Inferorum 357.
Iudices inferiores non prætereundi 443.
Iusiurandum Calypſus 132. eluſum 138.
Iuventutis vitia 6. 10. 35. 63. 95. 104. bene educandæ præcepta. v. educatio. non carpat, ſed imitetur 231.

L.

Labor vena abundantiæ 83.
Labyrinthus Cretæ & Ægypti 85.
Laconia regio Peloponneſi 197.
Lacrymari etiam heroum 61. 205. 348. ſqq. 458.
Laus quæ & quàm moderatè admittenda? 339. 412. pernicioſa 412. 413. periculoſa. ibid. quænam vera? ibid. optima non ſine fuco. ibid.
Lectionis laus. 26. 280. exemplum 278.
Lemnos inſula. 296. 299.
Leo à Telemacho victus 32.
Lex. leges Minois. 82. in honore habitæ 95. imperant regibus 468. defendantur à regibus 468. ſqq.
Libationes quid? 214.
Liberrimus quis? 95.
Libri v. lectio.
Liris fluvius 396.
Lites privatorum à regibus amandandæ ad iudices inferiores 443. 444.
Locrenſes populus invictus Phocidis 192.
Lucanii pop. Heſperiæ, bellicoſi 192.
Lucta, genus certaminis, quo victor Telemachus 91.

Luctus Neſtoris in morte Piſiſtrati. v. Neſtor. 409. Idomenei 450.
Luxus abolendi cauſæ veræ 237. 238. vis mores corrumpendi 430. 431. contemptus 83. 161. 481. pœnæ 237.

M.

Malachon malè ſpernit amores Aſtarbææ 59. Mala vitæ quid proſint v. calamitas 134.
Malorum hominum notæ 270. quomodo cum iis agendum? 463. 464.
Mandurii pop. Heſperiæ 189. eorum mores & habitus 191. 192. bellum cum Salentinis 189. pax Mentore internuncio 211. ſqq.
Mars. 398. 403.
Matrimonia ut ſint fauſta, qualia ſint? 165. 440. 442. 444.
Medicina cur neceſſaria? 337.
Mendacii turpitudo 40. quanto odio habendum? 57. 58. quanto habitum à Telemacho? ibid.
Menecrates luctator inſignis 396.
Mentor aliàs Ulyſſis amicus intimus iuxta Homerum; hìc autem Minerva perſonata. v. Minerva 15. 105. 211. Exemplum veri magiſtri 3. 6. 11. paſſim.
Metophis purpurati mores perverſi 23. offenſa apud regem 35. conciliatio 36.
Metrodorus fil. Adraſti, fugit è prælio 407. occiditur à mancipio 408.
Minerva deſcripta 66. 479. ſqq. habitu Mentoris comitatur & docet Telemachum 2. 117. cur perſonata hoc habitu? 117. trahit eum è Cypro 67. ex inſula Calypſus 137. ſqq. docet Hazaelem cui ſervit. 78. Idomeneum 234. ſqq. Manifeſtat ſe Telemacho 479.

Miniſtri quomodo idonei faciendi 465. v. Rex.
Minos rex Cretæ, Iudex Inferorum 85. legislator ſaluberrimus 82. leges eius in honore habitæ 95.
Moderatio affectuum. v. Affectio, Gloria.
Mollis hominis notæ 59.
Monetæ uſus inventus ab Erichthonio. 376. damna 377.
Mores privatorum curandi 236. 248. eorum ruina 470. mores Ægyptiorum 20. Cypriorum. v. Cyprus. Cretenſium v. Creta. Bæticorum. v. Bætica.
Mors quomodo excipienda? 113.
Mors Seſoſtris doloroſa 34. Bocchoridis 38. filii regii 88.
Multiplicandi populi ratio facilis 243.
Mundus quàm exiguus 169. eſt una Reſpublica 215.
Muſicæ effectus v. cantus. quænam proſcribenda & permittenda? 239.

N.

Nabuchodonoſor in Inferis 351. ſqq.
Naiades Nymphæ fontium & fluviorum 282.
Narbal præfectus navis Tyriæ 40. conſulit Telemacho 41. 46. fidus Pygmalioni etſi tyranno 46. 61. Baleazari ſucceſſori 149. 150.
Narciſſus cantu celebratus 157.
Naufragium 1. 113.
Navigatio 40. 77. quomodo promovenda 54.
Nemeſis Dea ultionis 87.
Neoptolemus 300. 301. Herculis ſagittas dolo obtinet à Philoctete 303. 304. privatur armis Achillis patris 301.

Neptunus ulciſcitur Venerem ſpretam à Telemacho 112. 169. diſputat cum Pallade 328.
Neritii pop. Italiæ 193.
Neſtor rex Pyli &c. 197. eloquens 203. pollet memoria &c. 290. vitio cuinam obnoxius? 321. luget Piſiſtratum 400. ſqq.
Nicoſtratus victor gigantis 396.
Nireus formâ præſtans bellator occiſus 401. 402.
Noſophugus medicus caſtrenſis 337.
Numen fallax decipit navigantes 169. 173.

O.

Oaſis deſertum Ægypti 24. 25. ſqq.
Oblivionis aquæ 79.
Oeta mons, buſtum Herculis 292.
Officio ne renunciet ſubditus, quid agendum? 20. v. Rex, Subditus, Princeps, Voluptas, Seditio.
Ogygia inſ. Calypſus deſcripta 4. &c. 142.
Olea donum Minervæ v. Pallas. ſignum pacis 211.
Omphale regina Lydiæ amata Herculi non conſtanter 291.
Ordinum diſciplina neceſſaria 236. habendum diſcrimen. ibid.
Orpheus deſcendit ad Inferos 348.
Oſtentatio cavenda 63.

P.

Palæmon Deus marinus 80.
Pallas diſputat cum Neptuno 328. inſtituit oleam ibid. geſta eius alia in clypeo Telemachi. ibid. ſqq.
Pan Deus paſtorum in clypeo Telemachi 330.
Paris fil. Priami. 171.

Patientia neceſſaria. v. calamitas 176. 227. 477. ſqq.
Patroclus dilectus Achilli 301.
Pax. 163. 165. 166. 190. 221. 417. iurata 214. quomodo conſervanda cum finitimis? 165. 241. 288. 289.
Penelope coniux Ulyſſis, mater Telemachi eximiè dilecta 103. 121. paſſim.
Periander victor Leonis Telemacho inferior 395.
Pericula quomodo ſubeunda 11. 113. 114. 225. 226. 481.
Periſtylion ædificii genus 70.
Phæacia, quo venit Ulyſſes & Telemachus 8. 466. &c.
Phalantes Dux Lacedæmoniorum 197. auctor coloniæ in Heſperia. ibid. inimicus Telemacho 312. 313. ſqq. ſervatus ab eodem 333. & curatus 343. &c. conciliatus eidem 345.
Pherecydes luget Hippiadem alumnum ſuum 341.
Philocles purpuratus fidus Idomeneo 252. privatur regis gratia 253. 258. lenis percuſſori ſuo 260. exul in Samo 262. revocatus 279. recuſat reditum 279. redit officioſus in Proteſilaum æmulum 283.
Philoctetes filius Pæantis 186. averſatur Telemachum 290. amat 290. eius fata 291. ſqq. vitium 321. vulneratus 401.
Phœnices potentes 43. commerciorum principes & dominantes mari 50. ſqq.
Pholoë filia Liridis fluvii, Eleanti deſponſa 396. 397.
Pictores tolerandi 240. eorum impetus 436.
Piſiſtratus fil. Neſtoris percuſſus ab Adraſto 399. ſepultus à Telemacho 410. v. Neſtor.
Pluto 355.

Pœnitentia Telemachi. 316. 317. ſqq.
Polydamas belli dux Dauniorum inſignis. 421. inviſus Adraſto Regi 421. privatus 422. Rex 423. 424.
Potentiæ fundamenta 84. 221. 222.
Præludia ruinæ Regum & Imperiorum. v. Rex, faſtus.
Preces 251. 302. 339. 394.
Princeps bonus paret legi 84. eſt pater & paſtor ſuorum 53. 84. 222. 289. nimis credulus & otioſus 48. v. Rex.
Privatorum mores curandi 236. 248. felicitas 105. 107. 108. 279. laus 108. 109. 277.
Proteſilaus purpuratus improbus, charus Idomeneo 252. perverſus & fraudulentus 252. 253. ſqq. colitur indignè à clientibus 274. excidit regis gratia 276. exul. 277.
Prudentia. v. Ratio, Sapientia 289. 290.
Pulchritudo modeſta inſidioſa 121.
Pygmalion Rex Tyri avarus, ſuſpicioſus 44. 45. 48. 144. Aſtarbææ deditus 58. veneno occidit duos filios 144. ab Aſtarbæa ipſe veneno extinguitur 147.

Q.

Querelæ Seſoſtris de aulicorum perfidia 33. Telemachi ob cupiditates Iuventutis 12. Calypſus contra Telemachum 124. &c. Veneris contra Minervam 112. 171. v. Venus.

R.

Ratio ſuprema 78. neceſſaria in periculis &c. 226. Regnum tutum per quid? 195.
Religionis cura 309. in regem auctoritas 443.

Rex 107. charus & inviſus ſubditis 19. 20. 47. 215. 216. 246. 271. Regis præcepta 26. 84. 85. 104. 106. 111. 221. 222. 226. 227. 234. ſqq. 433. 480. ſtatus miſer 23. 33. 105. ſqq. 230. 364. 280. errores caſtigabiles 105. 196. 197. 219. 220. 230. 424. quos nec fatetur, nec emendat 264. Rex vel ſapientiſſimus decipitur 23. 33. 228. quid agat, ne decipiatur? 60. inacceſſus veritati 23. 33. 195. 219. 264. bonus defletur poſt mortem 34. notæ regis mali 35. 461. ſqq. fortioris, quàm prudentioris 37. avari 44. 45. ſqq. 54. 248. timidi & voluptuarii 452. &c. in quo conſiſtat regis auctoritas? 84. 468. miſer, qui felicem ſe reddit miseriâ ſuorum 84. ſciat præeſſe tempore pacis & belli 98. 423. pugnax an pacificus præferendus? 97. 375. 376. 423. Rex perſonatum mancipium 105. 265. 269. 468. quomodo affectus erga bene meritos 271. 421. 253. 272. qua re præſtet ſubditum 85. qua re verè ſit dives? 53. 415. regis officium erga quemlibet ſubditum 468. cur præ ceteris exhauriatur viribus &c. 179. 180. Regis vitia præcipuè duo 429. credit ſe ſupra metum 185. 186. unde eius metienda poteſtas? 222. 236. 415. 428. 461. qua ratione nitatur ad gloriam 215. 216. 482. ſit fortis 225. 226. 423. oderit ſuſurrones 227. 462. quomodo ſe habeat erga veteres duces 227. ſine errore nullus Rex 228. eius tamen errores magis excuſandi quàm hominis privati 222. 228. 229. 230. cur plerumque ſit ſuſpicionibus & otio deditus? 48. 254. quomodo agat cum ſuis adminiſtris? 433. 463. male permittit ſe uni charo homini 252. 261. 263. 462. notæ regis

certi

certis vitiis & otio dediti 48. 262. 263. 266. 270. 424. 462. Regis mala præcepta impediendæ ſeditionis 246. 248. 267. quantum amet adulationes? v. adulator 48. quinam prænuncii caſus eius? 45. 46. 422. 429. 264. monitorem ſaltem unum patiatur 219. 220. 272. 456. conſiliarios ſanctos habeat & audiat 224. 421. 463. Rex malus poſt mortem 351. ſqq. 359. &c. fama regis periclitatur ob adulatores 233. 234. 462. Rex malè recuſat cauſarum ſuarum arbitros 445. ſqq. qua ratione debeat cognoſcere homines? 423. 459. &c. Regia poteſtas fallax 370. iuncta multis miſeriis 107. 230. 370. &c. 468. rationes eam recuſandi 103. 105. &c. recuſata à tribus ibid. admiſſa ab uno tribûs conditionibûs 110. Reges ſummi minimi 248. regis quanta & quàm ſalubris dignitas? 468. &c.

Rixa Telemachi cum Hippiade 314. 315. ſqq.

S.

Sacrificia 14. 32. 70. 182. 214. 478.

Sagittæ Herculis 292. 295.

Salentum urbs 175. 176. &c. ab Idomeneo extructum. ibid. à Mentore emendatum 234. ſqq. 426. ſqq.

Sapientiæ veræ character 195. neceſſitas v. fortitudo.

Sapiens verè quis 481.

Sanitas unde. v. Medicina, Sobrietas 161. 180.

Scholæ publicæ neceſſariæ 286.

Sculptores 240.

Seditionum cauſæ 35. 37. 89. 265. 268.

Senes, in Creta regi aſſiſtentes, deſcripti 94. 95.

95. emendari non valent 322. ſenex deſcript. 27.

Seſoſtris rex Ægypti laudabilis 21. 45. peccavit duo 22. relinquit ſui deſiderium 34. in campis Elyſiis 379. victoriæ ei fatales 380.

Simulatio, punita à Cretenſibus 83. quanta in palatiis regum? 23. 24. 33. 48. 228. 254. 267. 269. 270.

Silentii laus 41. perdiſcendi ratio 41. violandi ſtimulus 63. reparandi modus 64. non capaces deſcripti 321.

Singularum rerum cura regi non habenda, ſed omnium 433. ſqq.

Sobrietatis neceſſitas & utilitas 161. 180. 238.

Sol oriens 40. 115. 233. 174.

Somnus Telemachi 65. 66. nautarum 474.

Somnium Telemachi 65. 66. 347.

Sophronimus Sacerdos ſuadet mitiora Idomeneo 88.

Spectaculum marinum 79.

Status, regum miſer v. Rex 229. 230. 258. 261. Imperii fortunandus. v. Rex. privatorum melior quàm regum 107.

Statuaria 240.

Subditos in officio continendi ratio 20. 470. bonos faciat rex 465. perdunt regum vitia 467. 468. Subditorum vera poſſeſſio rex 468.

Succeſſus bellorum ſemper funeſti 287.

Superflua amandanda 167. 168.

Supplicia criminum maturanda 248. criminum variorum in Inferis 357. ſqq. 361. ſqq. Regum malorum ibidem 359. 360. ſqq.

Suſpicio Principum &c. v. Rex ſuſpicionibus deditus

ditus 438. 462. non ſufficit ad puniendum reum 389.

T.

Tantalus 476.

Telemachus Ulyſſis Regis Ithacæ & Penelopes filius, qui cùm matrem ſuam non poſſet vendicare â procorum iniuria, nec genitor ex Phrygia rediiſſet cum claſſe Græcorum: ad eum conquirendum iter ingreſſus cum Mentore ſeu perſonata Minerva, ab eodem ad gerendum imperium eruditur tum ſaluberrimis præceptis, tum malorum tolerantia. Unde mira ſortis varietate iactatus 9. 22. 41. 202. 154. &c. &c. accedit Siciliam 9. prope eſt, ut capiatur à Trojanis 10. 11. periclitatur in Sicilia 12. ſqq. liberatur per Mentorem 14. ducitur captus in Ægyptum 18. mancipium in deſerto 24. & paſtor pecoris 25. 26. revocatus 33. in carcere 36. defertur in Phœniciam 40. eripitur crudelitati Pygmalionis 56. 57. 58. proficiſcitur in Cyprum 61. 65. proximus perverſæ voluptati 71. 120. confirmatus à Mentore 71. 73. 74. 121. venit in Cretam 77. Candidatus Coronæ regiæ, quam recuſat 90. &c. 102. reverſurus in Ithacam 110. 112. naufragio ejicitur in Calypſûs inſulam 1. 2. &c. 115. amatur à Calypſo 3. 117. &c. & Eucharide fraude Veneris 119. 123. &c. moram abeundi ſperat incenſo navigio 138. præcipitatur à Mentore in mare, & excipitur à Phœnicibus 140. 141. audit ex Adoamo res geſtas Tyri 144. ſqq. & memorabiles Bæticæ 159. ſqq. removetur à Patria Neptuni dolô 173. 174. intrat Salentum 176. qua indole & ſpe-

cie fuerit? 41. 178. 181. 188. 310. 311. 340. 413. profecturus in bellum inſtruitur à Mentore 225. ſqq. Telemachus in bello 290. 331. 332. ſqq. 346. 392. controverſatur cum Phalante 313. magnanimus in Hippiadem vivum 317. pius in extinctum 340. & Phalantem graviter vulneratum 343. quærit genitorem in Inferis 347. ſqq. in campis Elyſiis 365. ſqq. docetur varia, etiam futura ab Arceſio 369. ſqq. 382. arcani tenax 322. apertus magiſtro 322. diſſuadet fœderatis acceptare occaſionem, oblatam nefariè contra Adraſtum 383. illuſtrior ex cauſa transfugæ & proditoris iudicata 388. ſqq. 391. &c. accingitur pugnæ 394. occidit Adraſtum 405. 406. recuſat portionem expugnatæ provinciæ 414. avertit fœderatos à conſilio dividendi terras victæ gentis 416. parentat Piſiſtrato 410. ſuadet regem Dauniis dari 415. conſulit Diomedi extorri 420. 421. revertitur Salentum 426. inſtituitur porro à Mentore 428. ſqq. cui ſignificat amorem Antiopes 438. laudatum certis conditionibus 441, 442. moras patitur itineris ab Idomeneo 442. 447. facultatem proficiſcendi petere non audet 452. arguitur propterea à Mentore minoris conſtantiæ 452. audacter tandem contendit ab rege copiam diſcedendi 454. 455. proficiſcitur Salento cum Mentore 459. ex quo diſcit veram imperandi rationem 459. ſqq. & homines pernoſcendi ibid. videt genitorem nec cognoſcit 466. ſqq. 475. triſtis propterea, ſed erectus à Mentore 467. Patrem invenit 482.

Temeritas noxia 226.

Templum Veneris Cytheræ 70. Iovis Salenti 181.
Tempeſtas 10. 68. 86. 112. 334.
Thebæ Ægypti 21.
Theophanes vates 182.
Thermoſiris ſacerdos Apollinis ſenex optimæ notæ 27. ſqq. Telemachum conſolatur 28. 31.
Theſeus fil. Ægei inter manes 373.
Timor, debile vinculum obedientiæ 20. præſagus 403. quando & quomodo eo continendus ſubditus? 481.
Timocrates fraudulentus 256. occupat Philoclem ſiniſtro eventu 260. Troiam proficiſcitur cum rege 265. ab Hegeſippo ductus in Samon 277.
Tranquillitatis obtinendæ media. v. privatus 96.
Travmaphilus medicus caſtrenſis 336.
Triptolemus agriculturam emendat Græcorum 377.
Triton Deus marinus &c. 80.
Tunica Neſſi 292.
Tyri urbis deſcriptio 49. 50. gloria obſcurata 53. ſedes commerciorum 50. v. Phænices.
Tyrannis noxia 198. 202. 248. 249. punita in Inferis 352.

U.

Vaticinium 14. 25. 88. 102. 183.
Venatio in inſ. Calypſus 124. 127. Salenti 448.
Venus apparet Telemacho 66. iraſcitur 169. illius templi & ſacrificiorum deſcriptio 70. &c. ulciſcitur ſe 112. quæritur apud Iovem 118. 169. 170. dolo utitur 119.
Venuſium oppidum 382.
Veritas v. Rex. punit damnatos 361.

Veſtitus ratio habenda 236. 237.
Victoriæ conditio penſanda 432.
Vini damna 164. uſus ſobrius 247.
Virtus à malis impugnatur 253. verum & dulçe bonum 461. in quo conſiſtat 358. falſa virtus non eſt virtus ibid. Philoſophica punita in Inferis 357. &c.
Vitæ agreſtis iucunditas. 3. 29. 30. 31. 243. v. privatorum felicitas.
Vitæ humanæ vanitas & brevitas. 396.
Vitia, ſe ſenſim inſinuant. 71. Principum. v. Rex 105. perſonarum illuſtrium magis innoteſcunt. 229. &c.
Vituperandum caute. 231. 232. 235.
Ulyſſes filius Laërtæ, Rex Ithacæ, maritus Penelopes, multis erroribus viarum iactatus everſa Troia extra ſuas terras: quæſitus duce Mentore à Telemacho filio. 241. &c. exceptus à Calypſo. 8. laudatus à Mentore, 19. 42. 231. 475. ſqq. odio habitus à Philoctete. 290. 291. ſqq. 310.
Voluptas vera conſiſtit in ſapientia. 156. 364. quænam admittenda. 156. quæ regia 246. regnorum ruina. v. luxus, Rex. dominata in Cypro. v. Cyprus. fons inſolentiæ & ſeditionum v. inſolentia, Seditio.
Urbs bene morata, & rite inſtituta 21. 51. 52. v. Salentum.

F I N I S.

Digitized by Google

00565587-5

Digitized by Google

Digitized by Google